V. P. F. ALEXANDRI
A SANCTO FRANCISCO
CARMELITAE DISCALCEATI

OPERA SPIRITVALIA

STVDIO, ET LABORE

R.P. Fr. Philippi Mariæ à S. Paulo Sacræ Theologiæ Lectoris

Collecta, & Digeſta,

A C

SERENISSIMO, ET REV.MO PRINCIPI

P. FR. BERNARDO
A BADEN

FVLDENSIS, ET CAMPIDONENSIS

A B B A T I S

COADIVTORI MERITISSIMO

D I C A T A.

Bibliothecæ S. Pantaleonis Scholarum Piarum

ROMAE, Typis Philippi Mariæ Mancini. 1670.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRINCEPS
SERENISSIME,
ET REVERENDISSIME.

PAVPERVM Theſauros apud Principem quidem, ſed Pauperum Patronum, imò inter Apoſtolicos Pauperes candidatum deponere liceat mihi, Princeps Sereniſſime, & Reuerendiſſime. Libellum amplitudini tuæ offero, ſed non ex molis quantitate metiendum. Parua hæc arcula V. Patris Alexandri à Sancto Franciſco eximiæ ſanctitatis viri, & Negotiatoris Euangelici ſolertiſſimi, immenſas Chriſti Pauperibus paratas claudit diuitias; ſiquidem quæ ille deſpecto ſæculo, & inaudito

Digitized by Google

Chriſtianæ magnanimitatis exemplo exuens Mundum, Eiuſq; pompas ipſa die, qua Auunculus ſummi induit Pontificis inſulas, in agro Reformati Carmeli bona reperit, inſcripto de Pauperum Theſauris Opuſculo, & alijs Pijs Tractatibus recondidit. Hos ego diligenti inquiſitione collectos ſub Tuo Sereniſſimo Nomine publicę expono vtilitati. Sub Tuo Nomine, quia decet Carmelitam Diſcalceatum Conuentus Romani Sanctæ Mariæ de Victoria, multis incolam annis aliquo munuſculo obſtricta Tibi ex innumeris beneficijs Fratrum ſuorum ſtudia teſtari: quia decet Pauperum Theſauros Principis, qui & vnicè Pauperibus diues fuit, & ex Pauperum amore in Pauperem voluntarium Reformatus eſt, nomine obſignari, muniri, decorari. Tè locupletes alicui ex prætentis, quæ regias faſces, ac Purpuras Chriſti Sacco poſtpoſitas, viderunt, præſens hoc ſæculum non inuideat. Sanè breui epiſtolæ compendio egregia Tua facinora perſtringere vniuerſa perarduum.

Si partem tacuiſſe velim: quodcunque relinquam.
Maius erit. Veteres actus primamq; iuuentam
Proſequar? Ad ſe ſe mentem præſentia ducunt.
Narrem Iuſtitiam? Reſplendet Gloria Martis.
Armati referam vires? Plus egit inermis.

Hercu-

Herculem te vel in Cunis exhibuiſti monſtrorum hæreſis, ac Vitiorum triumphator ampliſſimus; vt enim Puer ad Catholica Caſtra tranſires, aſſumpto Ephæbo Catholico, & arcani conſcio, & conſilij ſocio glorioſiſſimam fugam à Paterna Domo meditatus es. Iniecit violentia Parentis compedes ne fugeres corpore, ſed non animo, quo ab infantia Lutheri errores, & ſæculi fallacias auerſatus ſub alieno aſpectu pluribus annis Virum Catholicum, & Religioſum egiſti. Hinc licet

Nulla fides, pietaſque viris, qui Caſtra ſequuntur,

Tecum tamen militarunt, vt non immerito pro Te contra veræ Fidei hoſtes pugnauerit Deus, ac multiplices conceſſerit palmas. Quia tamen expugnatione Vrbium glorioſior de ſe ipſo Victoria, quę non niſi fuga comparatur, ſpretis Martis Laureis, dum Tibi benignior ridebat fortuna, fugiſti, viciſti, Mundum, Te ipſum; & vix poſt aliquos menſes ſtupente Germania in Monaſterij ſolitudine pænitens Eremita reperiris, habitu quidem ſæcularis, ſed factus moribus Religioſæ vitæ Monacis exemplum. Tandem & habitu ſæculo vale dixiſti, & quia tempori virtus non ſubiacet, vix Tiro communi Monachorum ſuffragio miles emeritus renuntiatus, non in

Ful-

Fuldenſis tantum , ſed & in Campidonenſis Abbatis Coadiutorem eligeris, vt ſub Tua diſciplina inſtitùti Monaſtici reparetur rigor, decor refloreat. Quis enim regulares faſtidiat labores tanti Principis eos diligentiſſimè ſubeuntis animatus exemplo? Fælices Domus, quæ Te Duce, ac Rectore gloriantur! Adhuc nihilominus ſub modio latitas. Lucernæ tot tantiſque fulgoribus emicanti ſublimius debetur Candelabrum; ſic illi non ſolius Germaniæ, ſed omnium Catholicorum vota Vaticanum Montem præcantur, promittunt, vt inter Purpuratos Proceres toti luceat Eccleſiæ, ſuoque calore Orbem foueat vniuerſum. Impleat communes Omnipotens voces, interim dum tantum Religionis Catholicæ bonum, vel impatienter præſtolamur, ne graueris Sereniſſime, & Reuerendiſſime Princeps animi Tui magnitudine cum huius libelli munuſculo oblatam mei grato humillimam excipere ſeruitutem, & qualecunq; meritis tuis exhibitum obſequium deuotiſſimum.

Romæ Kalendis Auguſti 1670.

Amplitudinis Tuæ Sereniſſimæ, & Reuerendiſſimæ

Humillimus, & Addictiſſimus ſeruus
Fr Philippus Maria à S. Paulo Carmelita Excalceatus.

FR.

FR. PHILIPPVS MARIA A S. PAVLO
LECTORI.

TANDEM quod promiſeram, exoluo V. Patris Fratris Alexandri à Sancto Franciſco myſticos, quos collegi tractatus, publico bono euulgo. Verum quia ſicut ex parentum gloria liberi, ſic ex authorum nobilitate ſibi ſolent libri mutuare ſplendorem, mei videbatur muneris, vt his Opuſculis vel in ipſo exordio debitam conciliarem exiſtimationem, quis ac qualis eorum fuerit Scriptor, tibi breuiter Lector exponere. Duplici tamen ex cauſa me immunem ab hoc onere ſum arbitratus. Prima quia Ethruſco ſermone, & fuſiori calamo ſcriptam Vitam Auctoris edideram: Secunda, quia cum hoc proprij ſupra materiales, habeant partus intelligibiles, & maximè Aſcetici, vt ad viuum animum ſcribentis referant, Scripta hęc ipſa ſatis ex ſe eximias Parentis virtutes producunt, & prædicant. Lege: & vix pauculis lineis decurſis ſenties non niſi virum Deo plenum ex abundantia cordis eà, quæ dictauit, eructaſſe. Vi-

dere

dere vel ipſis oculis tibi videberis pauperem Euangelicum, Mundum, & omnia, quæ in eo ſunt faſtidientem, & vnicè æternis lucris incubantem; hominem Cœleſtem non niſi in Deo theſaurizantem, & ſicut eius vita abſorpta erat cum Chriſto in Deo, ſic eius viuere Chriſtum eſſe, & mori lucrum! Hinc ſi cæterorum omnium, ſicut & plurium iam perijt, Vitæ ipſius heroicorum actuum perijſſet memoria, pauculæ eius paginę, quæ ſuperſunt, ſatis meo videri communem totius Diſcalceatæ Familiæ de eo ſemper habitam opinionem poſteritati ſuaderent, & firmarent, ſcilicet Ven. Patrem Fratrem Alexandrum à Sancto Franciſco Carmeli Reformati Spiritus exemplar fuiſſe abſolutiſſimum, nec non S. Matris Tereſiæ, ac Ven. Patris Noſtri Ioannis à Cruce ſectandis veſtigijs nemini ceſiſſe, adeoque vnum & ſingularem præ cunctis extitiſſe, in quo vel à rigidiſſimis, & zelantiſſimis morum obſeruatoribus nulla vnquam potuerit imperfectionis, defectuſque nota deprehendi. Sic interiorem hominem, & externam corporis faciem occupauerat virtus, impleuerat Deus! Quamuis igitur grandia in ſe non minus ac reliqui Catholicæ Religionis Hæroes, exhibeat facinora admiranda Alexander noſter, mihi tamèn & pluribus, qui eius virtutes proprius agnouerunt, etiam in minimis apparet maximus. Non inuidet diuina Charitas humanæ gloriæ artis, quæ ſæpius in viliori, & minori mate-

ria

Digitized by Google

ria vſque ad miraculum laborat. Pyerius Pictor (ſi Plinio credimus) paucis fuit arte poſtferendus, & tamen inquit ille, Neſcio an ex propoſito deſtruxerit ſe, quoniam humilia quidem ſequutus, humilitatis tamen ſummam adeptus eſt gloriam, & eius telæ vt pote conſumatæ voluptatis pluris veniere, quam maximæ multorum. *Somniauerit Democritus non mixta tantum, ſed & vniuerſum Orbem phyſicè ex athomis conflatum, apertiſſima veritas eſt ad ſpiritualem pulchritudinem, & elegantiam in primis athomos deſiderari, ex athomis Coloſſos ſanctitatis effingi, deificumque amorem artem, & ingenium ſuum mirificè exercere, vireſque in athomis probare, cum vel teſte Seneca* Maior ſit amor, qui pari periculo minus redemit. *Minima quia faciliter contemnuntur ſummam, & vltra humanum poſſe exigunt vigilantiam, vt quis ſe in verbulo, in geſtulo, in quolibet ſui corporis, vel animi motu, lynceis & diuerſi ſpiritus oculis irreprehenſibilem perhibeat. Summa, & conſumata dilectione opus eſt, æquali intuitu, grandia & parua, humilia, & excelſa, quia Deo dilecto placent, reſpicere, & exequi, nec poteſt ſibi totaliter mortuus non Chriſto vnicè viuere, qui proprio ſenſui nec in leuioribus per totam vitam ex eius amore indulget. Hanc ergo excellentiſſimam artem Ven. Pater nos docuit, qua ſummi ex infimis euadamus,*

ſ ſ   damus,

damus, & in athomis lucroſiſſimam aperuit nobis Cœleſtium Theſaurorum negotiationem; Sic excedat imbecillitatem noſtram ſeruor ille, quo ipſe ad nutum obedientiæ ignitos carbones illeſa manu tractauit, & ſe in ardentem Clibanum tali impetu, vt vix detineri potuerit, iniecit, ac pluries venenatas ſtomacumque mouentes beſtiolas dentibus contriuit, & niſi diligenter, & opportunè ſibi ex ore expuere fuiſſet impoſitum, deuoraſſet, ad Lauream veris obedientibus propoſitam conſequendam, ſatis erit eius ad exemplum cunctam Religioſæ vitæ œconomiam in omnibus quotidianis exercitijs humiliter Prælati ſubdere voluntati, ac à ſe proprij arbitrij adhuc in minoribus rebus libertatem abdicare; Excedat imbecillitatē noſtram admirāda eius vitæ auſteritas, qua Reformati Carmeli pœnitentiſſimos aſſeclas longè poſt ſe reliquit; dum nullum tyronibus ſuis pœnitētiæ rigorem ſolitus erat permittere, quin ipſe licet imbecillis valetudinis prior ſubiret, vt ad gloriam Pœnitentiæ martyrum facili negotio aſcendamus, ſub Charitate dulciſſima tyranna in abnegatione perpetua leuiſſimarum delectationum, quas ex vſura vitæ huius in ſucceſſiuo ſenſuum internorum, & externorum miniſterio percipimus, nouam inſtituit carnificinam, & carnificum vices ſubeuntium moleſtos culicum, cimicumque morſus patienter pro Dei amore perferre, ac ſuſtinere. Plura dictaret in V. Patrem affectus, &

deuo-

deuotio, ſed parco calamo, ne præſentis inſtituti fines præteream.

Pauca te Lector admonitum tantum cupio, primum; non omnia, quæ Ven. Pater ſcripſit, colligi potuiſſe; noſtro damno ex diuerſorum Religioſorum, & ſecularium deuotione diſperſa perierunt; Integra vnicè remanent Manuale Pauperum, nec non aliquot Soliloquia pijſſima, & nonnullæ epiſtolę tam latiali, quam Ethruſco ſermone ſcriptæ. Quia tamen vt ſuis locis notabo ipſius doctrinam de Oratione, de præſentia Dei, de acquiſitione, & exercitio virtutum, de Oratione Dominica, alijſque ſimilibus, in eius manuſcriptis, vel alicuius Nouitij ipſius diſcipuli diſperſam reperi, ne periret in diuerſos tractatulos digeſſi. Ne igitur mireris ſi lactea illa eloquij vena V. Patris in his deficiat; Cibus eius eſt, ſed non eiuſdem manu paratus, arte conditus. Imò fateor me ſermonis lepori in illis ſcribendis non attendiſſe, ſatis laudis me aſſequutum putans, ſi tanti Magiſtri ſpiritualia præcepta, ſenſuſque proponerem. Placuit latinè ſcribere, vt non ſolum Italis noſtris, ſed omnibus Chriſtifidelibus in huius Serui Dei Operum euulgatione conſulerem. Commoditati etiam proſpiciens in duas partes diuiſi; Prima continet Manuale Pauperum alias Lugduni poſt mortem Ven. Patris editum, Soliloquia, Tractatum de Oratione mentali, & breuem expoſitionem in Orationem Dominicam;

Secunda, Tractatum de Dei præſentia, Scholam Virtutum, & epiſtolas. Fruere Amice Lector exiguo hoc meo labore, & ex Theſauris locupletiſſimi Euangelici Pauperis Patris Alexandri a Sancto Franciſco ditare, meque horum bonorum fuſis ad Deum prȩcibus participem effice.

Vale.

Digitized by Google

INDEX OPERVM, ET CAPITVM

Quæ hac Prima Parte continentur.

MANVALE PAVPERVM

THeſaurus Primus: *Chriſti merita pagina 9.*
Theſaurus 2. *Merita, & interceſſio Mariæ. pag.* 13.
Theſaurus 3. Merita, & interceſſio Beatorum omnium. pag. 16.
Theſaurus 4. *Merita, & interceſſio Iuſtorum omnium. pag.* 20.

Theſau-

Digitized by Google

Theſaurus 5. *Miſſæ iuge Sacrificium.* pag. 23.
Theſaurus 6. *Promiſſio Christi iurata. Ioan. cap.* 16. *pag.* 26.
Theſaurus 7. *Chriſtus nobis datus, & donatus. pag.*33.
Theſaurus 8. *Reliquiæ micarum, & fragmentorum ; ſeu bona, quæ Deo ſuperſunt. pag.* 36.
Theſaurus 9. *Chriſtus Egenus. pag.* 39.
Theſaurus 10. *Dei miſericordia. pag.* 43.
Theſaurusi 11. *Cor Dei paratum adhuc duriora pati , ſi opus eſſet, pro noſtra ſalute. pag.*49.
Theſaurus 12. *Deus Pater. pag.* 54.
Theſaurus 13, *Chriſtus frater. pag.* 59.
Theſaurus 14. *Chriſtus Amicus . pag.* 64.
Theſaurus 15. *Chriſtus in forma Serui. pag.* 70.
Theſaurus 16. *Chriſtus Sponſus. pag.* 76.
Theſaurus 17. *Chriſtus Omnipotens Dominus. pag.*82.
Theſaurus 18. *Chriſtus legifer noſter, & Magiſter noſter. pag.* 89.
Theſaurus 19. *Chriſtus vnio hypoſtatica, ſeu Chriſtus Deus, & homo. pag.* 97.
Theſaurus 20. *Chriſtus Iratus. pag.* 104.
Theſaurus 21. *Communis inimicus Chriſti , & noſter . pag.* 115.
Theſaurus 22. *Memoriale Dominicum. pag.* 126.
Theſaurus 23. *Exceſſus Diuinę Pietatis. pag.*134.
Theſaurus 24. *Beneficium Chriſti quodcumque . pagina.* 141.
Theſaurus 25. *Chriſti Gloria. pag.* 150.
Theſaurus 26. *Chriſtus Iudex. pag.* 157.
Theſaurus 27. *Donum Spiritus Sancti. pag.* 167.
Theſaurus 28. *Peccata noſtra. pag.* 179.
Theſaurus 29. *Oratio noſtra . pag.* 192.
Theſaurus 30. *Sancta Solitudo. pag.* 201.

EIVS-

Digitized by Google

EIVSDEM V. PATRIS FRATRIS

ALEXANDRI

A S. FRANCISCO

SOLILOQVIA ANIMAE FIDELIS.

Soliloquium Primum. *pag.* 218.
Soliloquium 2. *pag.* 219.
Soliloquium 3. *pag.* 220.
Soliloquium 4. *ibid.*
Soliloquium 5. *pag.* 221.
Soliloquium. 6. *pag.* 22.
Soliloquinm 7. *pag.* 223.
Soliloquium 8. *pag.* 224.
Soliloquium 9. *pag.* 225.
Soliloquium 10. *pag.* 226.
Soliloquium 11. *pag.* 227.
Soliloquium 12. *pag.*228.
Soliloquium 13. *pag.* 229.
Soliloquium 14. *pag.* 230.
Soliloquium 15. *pag.* 231.
Soliloquium 16. *pag.* 232.
Soliloquium 17. *pag.* 233.
Soliloquium 18. *pag.* 224.

RESPON-

Digitized by Google

RESPONSIO

Pagin. 236. vſque ad 240.

SOLILOQVIA.

Amabiliſſimo, & vnico bono meo Altiſſimæ Maieſtatis Deo gloriam, & ſalutem. pag. 241.
Summæ, & infinitæ bonitati: Deo meo gloriam, & honorem infinitum. pag. 244.
Potentiſſimæ Maieſtati Dei mei gloriam, & honorem dicit. pag. 245.
Altiſſimo, & Amabiliſſimo Deo reuerentiam, & honorem. pag. 247.
Altiſſimo, & ſemper laudatiſſimo Deo. pag. 249.
Lamentatio doloroſa Animæ afflictæ. pag. 250.
Altiſsimo, & tremendiſsimo Deo. pag. 251.
Oratio lamentabilis. pag. 252.
Oratio ad contritionem excutiendam. pag. 253.
Ieſus Maria Ioſeph. *Amen Amen dico vobis ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis; petite, & accipietis vt gaudium veſtrum ſit plenum. pag. 254.*

ORATIO AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM.

De Theſauris pag. 260.

ISAGO-

Digitized by Google

ISAGOGEN

AD ORATIONEM MENTALEM.

Pag. 264.

Caput Primum. *De neceſsitate Orationis mentalis, eiuſque partibus.* pag. 265.
Cap. 2. *De Prima parte Orationis, quæ eſt Præparatio.* pag. 266.
Caput 3. *De aliquibus defectibus, qui circa Præparationem committuntur.* pag. 269.
Caput 4. *De Lectione Secunda Parte Orationis.* pag. 273
Caput 5. *Quid ſit meditatio eiuſque finis.* pag. 275.
Caput 6. *Materia meditationis multiplex.* pag. 276.
Caput 7. *De diſtractione in meditatione, eiuſque cauſis, & remedijs.* pag. 279.
Caput 8. *De motione affectus habenda per meditationem.* pag. 283.
Caput 9. *De Ariditate, quæ ſolet adeſſe in meditatione, & quomodo quis in ea ſe gerere debeat.* pag. 288.
Caput 10. *De Gratiarum actione, ac multiplici diuinorum beneficiorum genere.* pag. 290.
Caput 11. *De duplici affectu, qui exerceri poteſt in gratiarum actione.* pag. 293.
Caput 12. *De Oblatione quinta parte Orationis.* pa. 295.
Caput 13. *De bonis propoſitis quæ in oblatione fiunt, & de eorum renouatione, ac obſeruantia.* pag. 298.
Caput 14. *De Petitione ſexta parte Orationis.* pag. 303.
Cap. 15. *A Deo cum fiducia petendum, & afferuntur aliqua motiua pro tali fiducia habenda.* pag. 304.
Caput 16. *Noua afferuntur motiua pro fiducia habenda, in petitione.* pag. 310.

Cap. 17. *Semper à Deo petendum, vel apud Deum mendicandum.* pag. 313.
Caput 18. *Ars mendicandi apud Deum eſt nobiliſsima.* pag. 315.
Caput 19. *Ars mendicandi apud Deum eſt omnium utiliſsima.* pag. 317.
Caput 20. *Mendicare apud Deum eſt Ars omnium neceſſariſſima.* pag. 319.
Caput 21. *Varij modi utiles exercendi Artem mendicandi in Oratione.* pag. 324.
Caput 22. *Multiplex Capitale pro exercentibus Artem mendicandi apud Deum.* pag. 328.
Caput 23. *Magna à Deo petenda ſunt.* pag. 334.
Caput 24. *Non eſt differenda Oratio.* pag. 337.
Caput 25. *Contra aliam tentationem Dæmonis inducentis diffidentiam in Oratione.* pag. 339.
Caput Vltimum. *Quædam adnotantur pro exercitio orationis utiliſſima.* pag. 343.

IN ORATIONEM DOMINICALEM EXPOSITIO.

Pag. 346.

Caput Primum. *In Oratione Dominica tota ſcientia Orationis mentalis includitur, ſed pro his, qui eam deuotè recitant.* pag. 349.
Caput 2. *Explicatur primum verbum Pater, & de fiducia in Deum ex illo concipienda.* pag. 350.
Caput 3. *Explicatur ſecundum Verbum Noſter, & de fiducia*

fiducia quam ingerit. pag. 354.
Caput 4. *Promouetur magis fiducia ex Verbis ſequentibus, Qui es in Cœlis.* pag. 356.
Caput 5. *Explicatur prima Petitio Sanctificetur Nomen tuum.* pag. 357.
Caput 6. *Explicatur ſecunda Petitio Adueniat Regnum tuum.* pag. 360.
Caput 7. *Explicatur Tertia Petitio Fiat Voluntas tua ſicut in Cœlo, & in Terra.* pag. 363.
Caput 8. *Explicatur modus quo debeat fieri Diuina Voluntas.* pag. 365.
Caput 9. *Explicatur quarta Petitio Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* pag. 368.
Caput 10. *Cur Deus requirat à nobis vt pro noſtris peccatis ſatisfaciamus.* pag. 371.
Caput 11. *Explicatur quinta Petitio Dimitte nobis debita noſtra ſicut dimittimus debitoribus noſtris.* pa. 373.
Caput 12. *Explicatur ſexta Petitio, Ne nos inducas in tentationem.* pag. 376.
Caput Vltimum. *Explicatur Vltima Petitio. Sed libera nos à malo. Amen.* pag. 380.

CVm Pater F. Philippus Maria à S. Paulo Prouinciç noſtræ Romanæ Sacerdos, ac S.Theol. Prçlector Vitam ſcripſerit, & opera tam Latino, quam Italico idiomate compoſita *Ven. P. N. Alexandri à Sancto Franciſco* olim Congregationis Noſtræ Definitoris Generalis, ac omnium Regularium virtutum digniſſimi exempli collegerit, & Theologi quibus id commiſimus in lucem edi poſſe iudicauerint, quantum ad nos ſpectat, tenore præſentium, vt prædicta Vita, & Opera typis mandentur, facultatem concedimus. In hoc Noſtro Conuentu Sanctæ Mariç de Scala Vrbis prima Martij 1668.

Fr. Philippus à Sanctiſ. Trinitate Præp. Gen.

Libellum

Libellum inſcriptum *Manuale Pauperum*, triginta Theſauris ſpiritualibus locupletatum à R. P. Fr. Alexandro à Sancto Franciſco Carmelitano Diſcalceato, parum ante ſuum ex hac vita diſceſſum compoſitum, loco teſtamenti nobis relictum, vidi ex commiſſione Reuerendiſſimi P. M. Sacri Palatij, in quo nihil reperi, quod pias aures offendere poſſit, imò pijſſimas, ac deuotiſſimas Meditationes, ab authore profundà orationè magis, quàm arte, & ſtudio ex medullis Sacrarum Scripturarum, & SS. Patrum deductas, quas propterea dignas prælo iudico, pro publica omnium fidelium vtilitate.

Romæ Maij 1631.

Ita ſentio Fr. Damianus à Fonſeca Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Magiſter.

APPROBATIO.

Libellum hunc *Manuale Pauperum*, R.P.Fr. Alexandri à Sancto Franciſco Carmelitæ Diſcalceati, quem Reuerendi P. F. Nicolai Riccardi: S. A. P. Magiſtri auctoritate perlegi cenſeo & magnam redolere pietatem, & illo vnguento redundare, quo mortalium mentes ad cœleſtes delicias ſingulari quadam ſuauitate perunguntur: Ideoque dignum exiſtimo, qui ad publica commoda typis euulgetur.

Romæ in Pœnitentiaria S. Petri. Maij 1631.

Ita ſentio Stephanus Bubalus, Societatis Ieſu, & S. A. Pænitentiariæ Conſultor Theologus.

Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro.

I. de Angelis Archiepiſcopus Vrbinen. Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ord. Præd.

MA-

Digitized by Google

MANVALE PAVPERVM

Ad Theſaurizandum Theſauros non deficientes in Cœlo.

Theſaurizate vobis Theſauros in Cœlo.

Matth. 6.

THESAV-

Digitized by Google

THESAVRORVM
Huius Opuſculi Collectio.

BENEDICTA ſit Sancta Trinitas, ęqualis vna Deitas, ex cuius altitudine diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ, & incomprehenſibilibus iudicijs, & inueſtigabilibus vijs, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, factum eſt, vt homo ex peccato, & delicto mortuus, & ad extremam inopiam redactus, bonis omnibus adeptis expoliatus, & omni ope, & merito bonum quodcumque iterum ex ſe adipiſcendi deſtitutus, ſolùm abundans meritis, quibus diuinam iram, & æternos cruciatus ſuper ſe theſaurizaret, ita conuiuificatus eſt in Chriſto, & conſurrexit, & conſedere factus es in cœleſtibus in eodem Chriſto Ieſu, vt per incarnati Verbi myſterium, & ſanguinem illius, adoptionem filiorum, & remiſſionem peccatorum ſit conſequutus, & ſecundum Theſauros, & diuitias gratiæ illius non ſolum poſſit à ſe repellere mala omnia, quæ ſuis peccatis meruerat, ſed etiam omnia bona ſua recuperare, quæ peccando amiſerat, immò etiam ampliora, & potiora ſuperlucrari, & vi-

1. *Chriſti merita.*

tam æternam conſequi. Vt ſic in ſæculis ſuperuenientibus oſtenderet Deus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.

2. *Chriſti mater.* Per quem, & peccatores obtinuerunt in Aduocatam, & Matrem ipſam Dominam Mariam Dei Redemptoris Matrem, quæ ſemper pro peccatoribus intercedit, ſine quibus mater non fuiſſet tanta digna filio.

3. *Chriſti fratres triumphantes.* Quod ſi Deus ipſe Redemptor, & Mater ipſa Dei Saluatoris ſuas pro nobis offerunt preces, & merita, quàm dignum, & iuſtum eſt, vt omnium etiam Angelorum, & Beatorum, cum ipſo, & per ipſum Saluatorem in Cœlo conregnantium vota, preces, & merita nobis peccatoribus patrocinentur?

4. *Chriſti fratres militantes.* Sed cùm idem Verbum caro factum ſit lapis ille angularis in quo creſcunt, & coædificantur in vnum corpus quicumque fideles credunt, crediderunt, aut credituri ſunt vſque in finem, quàm conuenienter ſibi inuicem communicant ſingula membra quidquid boni habent, & membrum alterius membri onera portat?

5. *Chriſtus Sacerdos, et Hoſtia.* Et ſi omnes vnum Corpus ſumus ſub capite Chriſto, nonne merito ipſius ſanguine, & carne nutrimur, & vegetamur, & vita noſtra, quam emit pretio magno ſanguinis ſui, eodem etiam pretioſiſsimo ſanguine quotidie conſeruatur, & pro eadem eſt ipſemet Chriſtus Sacerdos, & Pontifex, & Hoſtia ex hominibus aſſumptus, & pro hominibus conſtitutus?

6. *Chriſti promiſſio.* Vnde talis ac tantus Pontifex, qui omnia vitę, paſsionis, & mortis ſuæ merita nobis lucratus, & largitus fuerat, vt per eadem etiam omnia nobis lucrifaceret, conſequenter promiſit, & iurauit omnia nos accepturos quæcunque in ipſius nomine peteremus.

7. *Chriſti donatio.* Verùm cùm ipſemet Ieſus Chriſtus Deus verus, de Deo vero datus, & donatus nobis ſit, quomodo non, & cum

cũm ipſo omnia nobis donatà ſunt? & ſi donatã, quomodo noſtra non ſunt? & ſi noſtra ſunt, quomodo petentibus nobis negari poterit à Deo quod noſtrum eſt?

Sed cùm parum, & exiguum ſit quodcumque petimus, ſi ad Deum referatur, quomodo magnum, & difficile erit micas, & quę ſuperſunt de illius menſa reliquias à Chriſto obtinere, qui totum ſanguinem ſibi neceſſarium ad vitam pro nobis effudit? 8. *Chriſti micæ.*

Imò cùm idemmet Chriſtus fecerit, vt nos eſſemus mẽbra ſua, & quod alicui membro fit, illi fiat, cuius eſt membrum, negari ſibimet ipſi Chriſtus non poterit bona, quæ nos petimus membra ſua. 9. *Chriſtus caput noſtrum.*

Et hoc magis, quia ſi diuinę miſericordiæ, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, immenſa quæcumque bona, quæ ab ipſo iam obtinuimus, & obtinere vlterius ſperamus, connaturaliter fluunt, & redundant ex ipſius fontis innata proprietate. 10. *Chriſti miſericordia.*

Nam ſi miſericordia Domini plena eſt terra, quàm æquum eſt vt filij pleni ſint miſericordia Patris? 11. *Chriſti Pater, Pater noſter.*

Sed qui dedit animam ſuam pro nobis, cùm opus non eſſet, & poſſet aliter nos ſaluare; nonne ſi opus eſſet pro noſtra ſalute, nunc etiam denuò pro nobis mortem ſubiret? ab eo autem, qui pro mea ſalute paratus eſt iterum mori, quid mihi pro mea ſalute negari poterit? 12. *Chriſti cordis præparatio.*

Et ſi idem Ieſus Chriſtus Caro, & ſanguis noſter eſt, & ideò conſequenter frater noſter eſt, quomodo cùm habeat omnem ſubſtantiam huius mundi, & videat nos fratres ſuos neceſſitatẽ habere, poterit claudere à nobi viſcera ſua? 13. *Chriſtus frater.*

Sed, & fecit nos, & dixit amicos ſuos, ex quo profeſſus eſt omnia ſe habere nobiſcum communia bona ſua. 14. *Chriſtus amicus.*

Et quia valde inflammat, & conſeruat amorem, numquam velle præeſſe, vel parem eſſe, ſed omnibus, & in omnibus velle ſubeſſe, ideò in forma ſerui venit non mi- 15. *Chriſtus in forma ſerui*

 niſtrari,

niſtrari, ſed miniſtrare, & præſtare nobis quæcunque pro noſtra ſalute peteremus.

16: *Chriſtus Sponſus.* Et vt indiuidua, & perpetua ſua eſſet nobiſcum conſuetudo, & conuerſatio, in fide deſponſauit, & conſtrinxit nos ſibi, vt non amplius duo, ſed vnum eſſemus cum illo.

17: *Chriſtus Dominus.* Et quia vnum erat, quod valdè nobis expediebat, vt nunquam nobis pro noſtræ voluntatis arbitrio placeret ab ipſo diſcedere, noſtræ etiam rebellis voluntatis ſe nobis Dominum exhibuit, vt tantum bonum ab ipſo obtinere etiam orando poſſemus.

18, *Chriſtus legiſer.* Potens eſt enim Deus omnem gratiam ſemper abundare facere in nobis, & ideò leges quaſcumque, & præcepta, & monita illius, vt ſuauiter, fideliter, & iugiter exequamur, ſemper petere,& obtinere facilè poſſumus.

19: *Chriſti vnio hypoſtatica.* Ab eo præſertim, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem Deus, & homo factus in humanitate ſua ſanctiſſima, præſtantiſſima, & innumera bona, & talenta ſuſcepit, & qui tanquam bonus Paſtor, & Epiſcopus animarum noſtrarum miniſterium ſuum, ea pro nobis erogando, implet in ęternum.

20: *Chriſtus iratus:* Diligit enim ſemper, & paſcit oues ſuas, etiam quando in furore ſuo, & in ira ſua arguit, & corripit illas, quas non inſequitur, vt mactet, & pereant, ſed vt ad paſcua ſalubria compellat, & viuant.

21: *Chriſti hoſtis.* Et ſi enim aduerſarius noſter diabolus, tanquam leo rugiens, ſemper circuit quærens quem deuoret, quia tamen inimicus, & hoſtis illius eſt, non vult ipſum gaudere ſuper oues paſcuæ ſuæ, ſed magis ab ipſimet ouibus contriſtari, confundi, & vinci.

22: *Chriſti memoriale.* Contra quem, & contra aduerſa omnia, omnem armaturam nobis prębuit, cum poſuit memoriale ſuum, Orationem dominicā in ore noſtro, per quam, & omnis noſtra indigentia ſuppletur, & omne malum à nobis auertitur.

Sed

23. *Chriſti exceſſus pietatis.*

Sed tanta eſt diuinæ pietatis abundantia; vt merita ſupplicum excedat, & vota, & dimittat interdum, etiam ea, quæ conſcientia metuit, & adijciat, quod oratio non præſumit.

24. *Chriſti beneficium quodcũque.*

Non enim bonum Deo videtur, ſi beneficia nobis ab eo collata, pereant per quæ ad noua, & vlteriora beneficia nos ſemper diſponit, tunc enim maiora à Deo meremur, cum maiora accipimus.

25. *Chriſti gloria.*

Et quod noſtrum maximum bonum eſt, iuſtificatio impij gloria ipſius Dei eſt, & cura illi eſt de gloria ſua, quam alteri non tribuit.

26. *Chriſtus Iudex.*

Et cum Chriſtus datus nobis ſit Iudex, ideò iuſtus cùm ſit, quantum in ipſo eſt iuſtum, æquum non iudicat perire quemquam illorum, quos tot theſauris, & regalibus titulis honeſtauit, & auxit.

27. *Chriſtus largitur S. Spiritum.*

Ideò, aduocatum auxiliatorem, & magiſtrum donauit nobis Spiritum Sanctum de Cœlo, in quo ſciremus & poſſemus quæcumque ſalutaria, quæcumque neceſſaria, & opportuna ſunt ad vitam ęternam conſequendam.

28. *Chriſtus peccatis offenſus.*

Qui ſi non eſſet in nobis, ſola ipſa peccata noſtra eſſent in nobis, quæ, & ſi adeò deteſtabilia ſint, vt mors potius ſit præeligenda, ſi tamen pœnitentiam egerimus ex ijs etiam vberiorem fructum, & maius bonum poſſumus nobis theſaurizare.

29. *Chriſtus oratione præuentus.*

Quare tot theſauros, & tantas promiſſiones habentes oportet ſemper orare, vt mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Chriſti.

30. *Chriſtus in ſolitudine dilectus.*

Et vt perfectè, & ſicut oportet oremus, beatus qui ab ipſo ſæculo, & ſęcularibus curis, & inanibus deſiderijs ſe elongauit fugiens, & manſit in ſolitudine, in qua cognoſcat te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

EXHOR-

EXHORTATIO
Ad Theſaurizandum.

ANIMA mea ſoror mea, ſi verè diues eſſe cupis, veras diuitias concupiſcito. Qui diues eſſe cupiat, reperire in promptu eſt; ſed qui verè diues eſſe cupiat, rarus admodum eſt. Quare à puero, & dicet tibi, quòd diues eſſe cupit, multorum, ſcilicet, nucleorum, ſeu lapillorum, quibus nugetur, & ludat; ſed quaſi verè diues eſſe ad huc neſciat, irridetur à viro, & à ſene: interroga iuuenem, & ſenem; vterque etiam, quòd diues eſſe cupiat, reſpondebit; ſed dùm argento, & auro inhiant, hi etiam ſubſannantur ab Angelis, & à Deo: quaſi puero nihilo ſapientiores verè diuites eſſe adhuc ignorent: eadem enim ratio, quæ pueri ſtultitiam conuincit, & iſtos redarguit. Deſipit puer, qui ea in ſacculo congregat quaſi diuitias, quæ nihil ſunt ei profutura, cùm firmior aduenerit ętas: at non item iuuentus, & ſenectus fines habent ſuos? Num poſſeſſio multa auri, & argenti proderit iuueni ad ſapientiam tempore ſenectutis, aut

ſeni

Digitized by Google

ſeni ad immortalitatem cùm dies aduenerint tenebroſi? Vide Anima mea, quòd omnes iſti eas diuitias concupiſcunt, quæ poſt breuem, & inanem vſum proijciendæ, & relinquendæ ſunt. Optemus igitur aliquando, & quæramus ea quæ hominem in æternitate virtutum verè diuitem faciunt eſſe, ac beatum. Vide quàm bonus ſit Deus, & quàm benignè, & iuſtè nobiſcũ agat; concupiſcere nos non prohibet, nouit ipſe figmentum noſtrum, quam procliue ſit ad lapſum in quo prohibetur. Sint diuitiæ, inquit, in voto, in cupiditate, hoc tantùm moneo, vt diuitiæ veræ ſint. Quis noſtrum panis, piſcis, ſeu oui cupidus, non vera hæc concupiſcat? Si enim lapidem pro pane, aut pro piſce ſerpentem, aut pro ouo ſcorpionem concupiſceret, non eſſet hęc cupiditas ad tuendam vitam, quod intendit; ſed ad perimendum, quod fugit. Ita & tu Anima mea, ſi falſas diuitias pro veris deſideras, depauperari cupis, non ditari. Ne igitur vagari incipias poſt diuerſa veſtigia ſodalium tuorum, quærendo, vbinam hæ verę diuitiæ reperiantur; audi vocem Dei monentis, vt eas theſaurizes in Cælo, vbi neque ęrugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Matt.6. *Audi, & quid per Apoſtolum doceat, vt theſaurizes tibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendas veram vitam.* 1.Tim.6. *Noſtra igitur negotiatio in Cælo ſit, vbi & conuerſatio noſtra; non fluxa hęc, & caduca in terris quæramus; ſed ſolida, & æterna, quæ futuro ſæculo proſint: ad hæc nos inuitat Deus. O mens cæca hominum! adeò ne poſuiſti nos, Domine contrarios tibi?* Gen.2.17. *Vetaſti ſemel ne pomum concupiſcerem, ne ve comederem; prohibitum concupiui, & ad mortem comedi. Tot theſauros modò cupiditati meæ proponis ad veram vitam in Cælo; & ego hos theſauros à Deo ſic inuitatus negligo, qui pomum prohibitus concupiui. Tranſgreſſorem me fecit vna mulier, obſequentem non facit Deus. Bone Ieſu, illumina aliquando tenebras meas, ne ſemper obdormiam*

miam in morte? Signaſti ſuper me lumen vultus tui, vt quid in erroribus demergor? Expergiſcere immortalis anima mea; ſume te dignam cupiditatem dum in via es, dum peregrinaris; ne in die exitus tui inanis, & inops reperiaris, & inter viros illos diuitiarum computeris, qui nihil inuenerunt in manibus ſuis. Crede Domino Ieſu Chriſto, qui theſauros tibi oſtendit, & vitam æternam promittit.

THESAV-

Digitized by Google

THESAVRVS PRIMVS.

Chriſti merita.

CLAVIS ad omnes theſauros, Anima mea, eſt Chriſtus Ieſus. O clauis Dauid! quæ aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit; introduc, quæſo, egenam hanc ſororem meam in cubiculum tuum; pone illam iuxta te, vt diſcat, vbi ſint diuitiæ, vbi theſauri, vbi poſſeſſio multa auri optimi, ne egreſſa vagari incipiat poſt veſtigia gregum ſuorum: O theſaurorum omnium theſaurus Chriſtus meus, in te continens plenitudinẽ omnium diuitiarum, & ex te proferens quidquid pretioſum vſquam eſt, per quem meritorum omnium manifeſtatur origo, & ex quo hauriri ſemper poteſt, & tamen exhauriri vnquam non poteſt: Dilata hic anima mea concupiſcentiam tuam, cogita quantum potes diuitiarum altitudinem; ſemper minor eris in voto eo, quod poſſidere in te potes. Expectabat puſillus grex noſter, vt egrederetur de thalamo ſuo Chriſtus meus, & peregrè proficiſceretur; nam adeò erat genus humanum bonis omnibus depauperatum, & in miſerijs conſtitutum, vt adſpirare ad Regnum non poſſet; terra erat

inanis, & vacua, & mortis tenebræ erant ſuper faciem illius; nulla in ea meritorum ſeges, nulla virtutum plantatio. Venit tandem deſideratus Chriſtus meus, oriens ex alto viſitare ſpeciem noſtram, afferens à ſinu Patris quo ditaret illam, & quamprimùm exoſculatus eſt eam oſculo oris ſui: tunc facti ſumus lætantes; tunc inſpirauit in nobis ſpiraculum vitæ, multò melius, multòque fælicius, quàm in principio, quando creauit Deus Cœlum, & Terram: tunc complacuit Deo dare nobis regnum, & vocatus eſt homo Deus, eò quod Deo in carne copulatus eſt; tunc iuſſit nos ab omni egeſtate liberatos vendere etiam, quæ poſſidere videbamur, & dare eleemoſynam. O beatum gregem à Deo ſic dilectum, & ornatum, & ſuper omnia bona ſublimatum. Sed vt vehementius amore Chriſti tui flagres, anima mea, & intelligas quàm incomprehenſibiles ſint diuitię, & bona quæ attulit tibi; meditare parumper viam, quam iſte Gigas exultando cucurrit, & vide quomodo caput eius, manus eius, pedes eius vbique diſtillauerunt; ipſi quidem myrrham, tibi verò aurum optimum. Vis videre quantum auri, & diuitiarum congregauit tibi? Pondera in hoc itinere, primum illius greſſum, primam actionem illius, primam cogitationem; dic, ſi potes, quantum ponderis, & valoris in eo ſit? Si iudicio æſtimare non vales, appende illam in ſtatera, & pone ex parte altera peccatorum omnium abolitionem, totius Mundi redemptionem. Si vides quòd parum ſit, adde largitionem Gratiæ, adeptionem Gloriæ: & ſi adhuc hæc leuiora apparent; cogita alios Mundos poſſibiles, finge maiora dona: vide quod quidquid appoſueris præter alteram Diuinitatis ad Humanitatem hypoſtaticam vnionem, minus erit. Igitur ò bone Ieſu, ſi vnicus greſſus tuus, vnica cogitatio, vnica lachrymula tantum promeruit: quid in tot itineribus, in tot laboribus, & ærumnis, quibus ſeruire te feci, ab adoleſcentia tua mihi promeruiſti? Quid percuſſus alapa? Quid cæſus flagellis? Quid perfoſſus ſpinis? Quid in Cruce occiſus? O abyſſus meritorum immenſa, interminata, & omni cogitatione maior! O quicumque indiges meritis (& quis es, qui non indiges?) feſtina, propera, curre ad foramina iſta Petræ, ad cauernam Reguli; erue ex ea quantum vis, eme abſque argento, abſque pondere, abſque menſura, eme quotidie, eme qualibet hora, eme momentis ſingulis:

Digitized by Google

gulis: ſed quid dico eme? vtere, quia omnia illius tua ſunt; tibi fatigatus eſt Chriſtus meus, tibi flagellatus, tibi occiſus: & cum in Baptiſmate renatus, Chriſtum induiſti, in poſſeſſione iſtius theſauri poſitus es. Chriſtum itaque in corpore tuo circumferens, ſecurus accede ad emptorium Aeternitatis; cum fiducia poſtula quidquid vis, accipiendo ſemper ditaberis, erogando non minoraberis: ò ſi tibi pro ſæculi vſu talis cenſus eſſet, vt ad quoslibet vſus ſemper ſufficeret, diſpendijs non ſubiectus; quomodo gauderes, & te beatum diceres? Ecce in poſſeſſione cenſus eſt, cuius amplitudo nunquam decreſcit, quo venale eſt Cœlum, ipſe Cœlorum Dominus, & non agnoſcis? æſtimas ſæculi diuitias, quibus pro tua cupiditate pauca, & plerunque etiam noxia conſequi cum labore potes; veras Chriſti tui diuitias, & theſauros negligis, quibus id tantùm aliquando non obtines, quod nō petis, vel quod obtinere detrimentum eſt? Non ſic mater noſtra Eccleſia nos docuit, quæ per Chriſti merita ſemper petit, ſemper accipit. Quid in omni petitione, obſecratione, & oratione non audet, non præſumit? O Chriſtiane meritorum Chriſti particeps, poſſeſſor, & Dominus, ſi intelligeres quantum bonorum, & temporalium, & æternorum his diuitijs conſequi & ipſe per te potes, & per eos qui pro te rogant, quantum a peccatis te liberum, & immunem præſtares; & ſi fortè peccares, quàm citò ad hæc Chriſti tui merita confugiens per veram contritionem, & bonam voluntatem, peccatorum veniam, & iuſtificationem obtineres, & omnia præterea bona, quæ per peccatum perdideras, recuperares? Non enim pro iuſtis, ſed peccatoribus venit ad theſaurizandum theſaurum tantorum meritorum Chriſtus tuus. In hoc enim commendauit charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, mortuus eſt pro nobis, iuſtus pro iniuſtis. Veni igitur quicunque es pauper, ac debilis, cæcus, & clâudus: ecce quàm bonum, & quàm iucundum commercium omnibus patet pro diuitijs cōparandis nemine excluſo, niſi qui ſeipſum velit excludere. Ne timeas etiamſi homo ſis & peccator; concurrere in his cum ipſomet Deo: Deus ipſe Iuſtitiæ legibus ſe ſubdit, & in ſubducendis rationibus res tua, cenſus tuus locupletior ſemper apparet, dum id, quod homo tribuit in pretium ex Chriſti theſauris, ſi ipſorum tantum ratio habeatur, plus ſemper eſt, quàm id,

quod retribuitur à Deo; & quæ pretioſiſſima ſunt præmia, & dona Beatitudinis, & Gloriæ, ipſius hominis æſtimantur merita. Scio Deus meus, remunerator meus, quod ſi me tantum reſpicis, benignè ſemper mecum facis, & retribuis mihi vltra condignum: ſed quid ſi reſpicis in faciem Chriſti tui? quantum facis citrà condignum? Huic itaque tam bonæ negotiationi intentos nos cupiens Mater Eccleſia optat nobis dierum longitudinem, & diuturnam vitam, in qua operari, & negotiari magnum Gloriæ pondus poſſimus; & iure contriſtatur, ſi quis immatura morte decedat, quaſi quæſtum pro maiori Beatitudine non feciſſe, damnum fecerit. Satage igitur, ſoror mea, ſic innixa Chriſto, vt nauem tuam plenam cœleſtibus diuitijs, & æternis mercibus optato in littore colloces, mercedem, retributionem, ac remunerationem operum, laborum, vigiliarum, ieiuniorum, patientiæ, humilitatis, & obedientiæ, & omnium meritorum Chriſti tui ſemper exige: tibi enim totum pro te exigendum reliquit, quod ipſe minus pro illis recepit. Quam magnam ſpem in hoc theſauro collocauerat S. Bernardus, qui infirmatus aliquando grauiter, cum extremum iam ſpiritum trahere videretur, ante Tribunal Domini viſus eſt præſentari, vbi adfuit & Satan ex aduerſo improbis eum accuſationibus pulſans; cumque ille fuiſſet omnia proſequutus, & viro Dei eſſet pro ſe dicendum, nil territus ait. Fateor, non ſum dignus ego, nec poſſum proprijs meritis Regnum obtinere Cœlorum: cæterum duplici titulo illud obtinens Dominus meus (hæreditate ſcilicet Patris, & merito Paſſionis) altero ipſe contentus, alterum mihi donat; ex cuius dono iuſtè illud mihi vendicans, non confundor. In hoc verbo confuſus eſt inimicus, & conuentus ille ſolutus, & homo Dei in ſe reuerſus eſt. Apparuit ei poſtea B. Virgo cum Beatis Laurentio, & Benedicto, ad quorum Altaria fratrem, vt pro ſe oraret, miſerat, & ſanauit eum. Sic igitur & tu ſoror mea, in pretioſis meritis Paſſionis Dominicæ theſauriza tibi Regnum Cœlorum.

THESAV-

Digitized by Google

THESAVRVS II.

Merita, & interceſſio Mariæ.

HOnoremus nunc in Theſauris Mariam Matrem noſtram: ſicut enim qui theſaurizat, ita & qui honorat Matrem ſuam. Eia paupercula anima mea, quæ æſtuas diuitiarum ſiti, de fontibus vulnerum Saluatoris veni ad vbera Mariæ, accurre ad ſinum Matris, amplectere Matrem, Mariam oſtende Patri, & ſufficit tibi. O pulchra negotiatio, cum de diuitijs inter locupletiſſimam, & piam Matrem, & Filium egenum agitur: ò quanta ſecuritas obtinendi, vbi quæ intercedit, eadem eſt Mater Dei, & hominis! Anima mea quantum cupis, tantum aude, quia auctrix, & fons perennis omnis meriti Maria: quid enim non fructificauit illa nobis, quæ ſicut vitis totam fructificauit ſuauitatem odoris? ita, vt neque in Cœlo, neque in terris alius vnquam perflauerit odor, aut perflabit vnquam, quam qui promanat ex Maria. In Chriſto enim reſtaurata ſunt omnia, & Chriſtus genitus per Mariam. O radix Ieſſe quid non meruiſti, quando hunc hominem Deum germinaſti? Hunc Virgo peperiſti, hunc lactaſti, hunc tuliſti, feſſum fouiſti, eodem demum cum illo Paſſionis gladio transfixa es. Quare igitur ò Beata Mater, nunquam Filium interrogaſti, quod fecerunt Apoſtoli; Quid ergò erit mihi? ò bone Ieſu, ſi ſeruis tuis, qui relictis omnibus ſequuti ſunt te, ſedes in Cœlo promittis, Iudices & Principes ſuper omnem terram conſtituiſti; quid facturus es Matri? Si potum aquæ frigidæ vni ex minimis tuis datum in centuplum remuneras, & æternæ vitæ promiſſione; ſanguis quem tibi miniſtrauit Maria, lac, quod ex illa toties ſuxiſti, quam mercedem habebunt? Nunquam, credo, interrogaſti ò Maria, Filium de mercede, aut præmio, vt dignam Matrem eſſe illius te oſtenderes, qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus. Si Filius natus eſt nobis, nonne ſimul & Mater data eſt nobis? Meritò igitur nunquam poſtulaſti quid tibi eſſet præmij ò Maria, vt peccatoribus integrum reſeruares, quidquid tibi debebatur, & haberent ſemper peccatores quid à Deo peterent per te, ò Maria. Ne confundaris puſilla anima mea, de tanto bono tuo, audi adhuc

maiora.

maiora. Parum fuit Mariæ omnia meritorum ſuorum iura peccatoribus quodammodò conceſſiſſe, mercedem ſuam, præmium, & coronam donaſſe; ſed voluit etiam de bono vſu tam magni theſauri nobis prouidere: quid enim tam periculoſum, aut inane, quàm diuitiæ multæ in manu pueri? Te igitur, ſoror mea, dominam eſſe voluit bonorum ſuorum: ſed ipſa ſe conſtituit negotiorum tuorum actricem, ipſa coram Deo per ſe ipſam curare rem tuam voluit, exigere, & petere quicquid oportuerit. Quod loquor, non ex me loquor: Audi anima mea, Matrem tuam Eccleſiam, quæ in die magno dormitionis Mariæ, in ipſo peruigilio annuntiat nobis hoc gaudium magnum, & rem tantam non palam, non vulgo; ſed ſenioribus tantùm, & Sacerdotibus inter ſecreta Myſterij enuntiat, & credit, Mariam, ſcilicet idcircò de hoc ſęculo à Domino fuiſſe in Cœlum tranſlatam, vt apud Deum pro peccatis noſtris fiducialiter intercederet. Ergò ò B. Mater, ideò Cœlum petis, vt pro me impetres? ideò properas ad amplexus, & oſcula filij, vt pro ſeruo nequiſſimo intercedas? Ergò delictorum meorum remiſſio, eſt gaudium, & merces tua. Verùm audi ò benedicta, ſvultum ne auferas à nobis; quare non poſſes etiam conſtituta in terris peccatoribus proſpicere? Quę oculis propè videntur, magis hærent cordi; & ſi merita tua ò Maria, peccatis meis famulari debent, augeri hæc potiùs poſſunt in terris, quàm in Cœlo: meriti enim locus proprius terra eſt. Sed ò Mater, perfectiſſima immenſæ illius Vnigeniti tui charitatis æmulatrix, audieras dum conſolaretur nos Filius tuus, cùm iam profectionem in Cœlum cogitaret, expedire nobis, vt ipſe vaderet; nam niſi abiret, Paraclitum non venturum ad nos; ſi abiret, miſſurum eum ad nos, tunc futurum vt gauderet cor noſtrum. Quid pro peccatorum conſolatione tunc cogitaſti etiam tu pia Mater? Audio & te dicentem: expedit vobis vt & ego vadam, Aduocatum habebitis in terris, quem mittet Pater in nomine Filij, ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia, quibus mandatis filij mei obediendo, diuites, & locupletes eſſe poſſetis; me Aduocata nunc indigetis in Cœlo, vt ſimul cum filio interpellem pro vobis; mittite me, ſinite me abire, cauſa veſtra in Cœlo mihi debetur. Sed eia ò Virgo, confidimus de Paraclito; ſed vultum tuum fiducialiùs deprecamur in terris: ſi abis, & intras

& intras in gaudium Domini tui, oſtendet tibi filius Patrem, & ſufficiet tibi; dices cum alijs Sanctis in illa plenitudine gaudij: Non aliam mercedem cupio quàm te ipſum Deum; & ideò veremur ne nos peccatores deſinamus eſſe gaudium tuum. Quid dicis ò Maria? Audio quid dicas nobis: adhuc modicum lumen in vobis eſt: ſit beatitudo magna nimis ipſum videre Deum viuentem, me tamen Dei Redemptoris Matrem ſpeciale quoddam hoc tangit gaudium, videre viuentem, & redimentem: vos igitur eritis ſemper etiam in Cœlo meum gaudium, de quorum redemptione gaudebo ſemper ſpecialiter in filio. Surge iam, propera amica noſtra, Aduocata noſtra, Cœlum aſcende, & fiducialiter age cauſam noſtram ad Thronum Dei: ſatis dediſti peccatoribus pro merito, donentur nunc tibi ipſi peccatores pro præmio. O quàm benè tecum agitur anima mea, ſi intelligis quòd peccata tua, egeſtas tua, infirmitas, & miſeria, & quicquid mali per Euam hæreditatum eſt, occaſio, & initium quoddam eſt totius patrimonij, & cenſus, & dotis, & præmij, quod collatum eſt Mariæ. Si magna, ſi potens facta eſt Maria, occaſionem, ò peccator, tu dediſti, cur igitur in tanta egeſtate, & miſeria poſitus non ſpontè, non celeriter, non confidenter accedis ad eam, quæ propter te tam diues, & tam potens, & tam beata facta eſt? Abhorres tu quidem ò benedicta, & abominaris peccatum magis, quàm vlla alia creatura; nam ſupra omnem creaturam Deum tuum diligis; Sed peccatores non abhorres, nec abhorrere potes, ſine quibus nunquam fores tanto digna filio; immò inuitas, allicis, & trahis illos ad te, vt in eis peccatum, quod odis, interimas, & hoc bonum illis reddas pro tot bonis, quorum occaſio fuerunt tibi. O quam iniuriam irrogas huic Matri, quicumque peccator opem illius negligis; ſpolias illam, quantum in te eſt, omnibus deſiderabilibus ſuis; tolle veniæ largitionem, remiſſionem peccatorum, gratiæ munera, quid collatum apparebit Matri Redemptoris pro honore, quid Sponſæ Saluatoris pro dote? Vnde carnem, & ſanguinem ſuper omnia pretioſum te dediſſe filio agnoſceremus, propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, ò Maria, ſi aliquod vſpiam ſalutiferum eſſet, quod mihi acquirere per illum non valeres? dicam audaciter; dùm Mariam cogito, Chriſtum judicem non formido; im-

mò quàm libenter concino, & infero cum vniuerſa Eccleſia, Iudex crederis eſſe venturus? Quid ergo? vindictam non timebo de peccatis meis? Immò ne habeas quid vindices, hoc infero: ergò modò ſubueni famulo tuo, quem pretioſo ſanguine redemiſti; alioquin de pretio ſanguinis tui iuſtus iudex non videberis; & quicquid ſanguini tuo non concedis, hoc detrahis Matri. Vide igitur Domine, ne offendas Matrem, dum ſeruo iraſceris. O Anima mea, quanta tibi ſecuritas in Maria? Quid adhuc de paupertate times? ſi Deus tibi placatus eſt, & amicus, gaude, quia omnia cum illo poſſides; ſi iratus eſt, & inimicus, ſis in triſtitia, ſed ne deſperes, citò ſpem concipe: nam cum iratus fuerit miſericordiæ recordabitur, & cuius miſericordię, in ira potiſſimum memor eſſe poteſt? O Domine, certè credo miſericordiæ memor es Mariæ, quam tibi præſentem eſſe cernis, & Matrem dici Miſericordiæ voluiſti. Sicut lætantium igitur omnium noſtrum tam iuſtorum, quàm peccatorum habitatio eſt in te ſancta Dei Genitrix.

THESAVRVS III.

Merita, & interceſſio Beatorum omnium.

O Quàm ampla, & diues eſt Domus Dei; & quis introiuit in theſauros eius? Omnes aulici, & domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus, vaſa, & phialas habent in manibus plenas, nō pro ſuis vſibus, qui nullius rei indigent; ſed pro noſtris neceſſitatibus. Eia igitur puſilla, & egena anima mea, ſi Regis, ſi Reginæ maieſtatem in tam ingenti Aula vereris, accede ad conſeruos, & fratres tuos, ad beatos illos ſpiritus, affer tecum vaſa vacua non pauca; citò per illos à fructu bonorum omnium multiplicaberis, & erit abundantia magna domui tuæ. Ne formides, ne tanquam vna ex fatuis Virginibus repellaris; non accedis vacua pro præmio, ſed accedis pro merito. O quam patentes ſunt aditus huius Aulæ ſic accedenti; vbi æquè ianitores, & Dominus inuitant ad petendum, quærendum, & pulſandum! O felix aula, in qua beatius eſt dare, quàm accipere; in qua

Aulici

Aulici omnes, non quæ ſua ſunt, quærunt, ſed gloriam Regis, & quo plures ſunt in Aula, plures eſſe cupiunt; & qui in maiori gradu ſunt conſtituti, tantò ſe ipſis maiores alios, & excellentiores deſiderant. Vbi tunc maius fit gaudium à Rege, quando egenus aliquis peccator ad limen plorat, quàm ſuper centum Angelorum millium. Vbi eſt in terris ſimilem Aulam reperiri? O verè Ieruſalem beata; quàm glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei! Quid hic in terra inſanis, anima mea, vbi pro obolo in laboribus cum hominibus es, & pro lutoſo honore flagellaris tota die? A ſpondentibus ſolida, & æterna contemnis, inania, & caduca per ambitum, & vim, ſeu etiam per fraudes extorques ab inuitis: tibi militat æther ad coronam vitæ; tu immemor peccato militas ad interitum. Vide quæ ſint vota Angelorum omnium, quomodo cupiunt, quomodo expectant; vt citò impleatur numerus fratrum ſuorum? nonne ex ſpecie tua, nonne ex ſemine tuo? Quid adhuc erubeſcis nuditatem tuam? pete ab illis veſtes valdè bonas, & afferent eas tibi citò, quarum fragrantiam odoratus Pater cœleſtis dabit tibi benedictionem, ex qua repleberis de rore Cœli, & de pinguedine Terræ, & fies dominus fratrum tuorum. Omnes illi adminiſtratorij ſpiritus ſunt, ad congerendas tibi diuitias, quas ipſi magis tibi cupiunt, quàm ipſa tibi; ſicut magis illi cupiunt gloriam Regis, quàm ipſa cupias diuitias tuas. Ne mireris puſilla anima mea, dum hæc audis; nam poſtquam caro tua, & ſanguis tuus Cœlum occuparunt in Chriſto, & Maria, poſtquam multitudo Angelorum in excelſo throno ſedentes adorant virum, & mulierem; ſcito quod adeò illos tangit honor tuus, vt nihil magis quodammodo eos moneat, & angat, quàm videre conſortem Regis ſui, propinquum, & conſanguineum Domini ſui, in miſerijs conſtitutum, egentem, captiuum, & ab hoſte deriſum. Quod de Angelis dico, hoc de Sanctis omnibus dico; imò eò magis, quia Sancti vident ad quantam gloriam nos ſemen Abrahæ ſimus apprehenſi, ad quam Angeli non fuerunt apprehenſi: tanti beneficij intuitu, quàm timent ne fortè iterum ad iram prouocatus Rex exclamet, pœnitet me feciſſe hominem, & tantam illi dignitatem contuliſſe. Ideò & ipſi ad exemplum Reginæ ipſorum, & Dominæ, certant nos ſuis ditare diuitijs, & omnem in nos meritorum ſuorum abundantiam transfundere.

dere. Quare, inops anima mea, ſiue de virginitate candidas, ſiue de paſſionum tollerantia purpureas margaritas, & gemmas quæras, vide expoſitas eas tibi in portis filiæ Sion aditis patentibus: omnes iſti beati mercatores, quos vides, congregati ſunt, venerunt tibi; cogita quomodo de longè venerunt tibi. & quanta paſſi ſint, vt ſecuri aurum, & theſauros ſuos deferrent tibi. Cur non dilatatur modò concupiſcentia tua ad cœleſtia, & immenſa, quæ tantùm inhias anguſtis, & terrenis? Quomodo verè vis ditari, ſi porcorum ſiliquas ſequeris, gemmas, & aurum ſpernis? Vide quàm boni ſint mercatores iſti Hieruſalem, merces pretioſiſſimas virtutum omnium proponunt, merita, quibus illas emas, gratuito ipſi commodant; quæ tum magnum putant rem, & pretium te poſſidere. Quid moraris? Quod ſi tam fatua es, ſoror mea, vt etiam ſic oblatas diuitias negligas, vide quàm humaniter tecum agant; non ideo ſtatim dedignantur, ſicut mercatores terræ; cognoſcunt figmentum noſtrum: in iiſdem tenebris & ipſi ambulauerunt incolæ, & peregrini ſicut nos, iiſdem circumdati infirmitatibus, expectant, & rogant donec nobis illuceſcat dies, & Lucifer oriatur, & retribuatur nobis ſana mens, & bona voluntas. O quàm bona igitur, & iucunda cum Sanctis negotiatio! Quòd ſi maiori adhuc cum ſecuritate, & dulcedine ad illos vis accedere, cogita inter illos multos adeſſe, qui in carne poſiti aliquo vel amoris, vel ſanguinis, vel beneficentiæ vinculo tibi iungebantur. Quantum igitur ab his polliceri tibi potes diuitiarum, & munerum, quando, quæ illis contigit immutatio, & bonorum omnium plenitudinem, & charitatis incrementum contulit? Sed ſuper omnia te lætificet, ſoror mea, quòd in terris cuſtodem tui habes Angelum Domini, cui mandatum eſt de te, vt cuſtodiat te in omnibus vijs tuis, quem, etſi oculis corporis non cernis, ſicut Cecilia, Franciſca, & plerique alij Sancti meruerunt videre, non minus tamen beata es, ſi fidei oculis illum cernas. Hic valdè, & vehementer diligit te, pluſquàm ſi affinis tuus eſſet, pluſquam pater tuus, & mater tua: & quamuis perfectè beatus ſit, libenter tamen in hac lachrymarum valle verſatur tecum, vt nutritor ſit tuus, curator, gubernator, & pædagogus à natiuitate tua vſque in ſenectam, & ſenium. Mirum enim quantum Angeli homines diligant, per quos dignati ſunt Ieſum Chri-

ſtum

ſtum proſpicere, quod per ſe non potuerunt; Ideò miro ſtudio, & cura, & ſollicitudine Dei voluntati, & mandato obſequuntur, in cuſtodiendis, & adiuuandis hominibus, quorum dignitatem reuerentur, & agnoſcunt multo melius, quàm ipſi homines faciant; vident nos te vera infantes eſſe, & tanquam cæcos nihil eorum, quæ ante pedes noſtros ſunt, videre; & vix diſcernere quid vtile, quid conueniens, quid nobis bonum ſit: ideò illuminant oculos noſtros, & oſtendunt viam bonam, per quàm ambulemus, & adſtant in adiutorium noſtrum, vt poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & eruamur, & liberemur à laqueis omnibus, & inſidijs, quas ſuperbi abſcondunt nobis: minimus enim Angelorum fortior, & validior eſt quolibet dæmone. Quare ſi quandoque cuſtos hic, & pædagogus tuus, ſoror mea, aduerſari tibi videtur in via, cum ardua, & difficilia, & ſenſui contraria ſuadet & oſtendit, ſcito hunc illum aduerſarium bonum eſſe, cui iuxta monitum Chriſti conſentire debes in via, ne male ſit tibi; ſicut è contra diſſentire debes, & reſiſtere, iuxta monitum Apoſtoli, aduerſario illi tuo vero. qui blanda, & voluptuoſa proponendo, & ſuadendo, circuit te, & quærit, vt deuoret. Huic igitur tam bono Angelo, ſi conſentiens eris in via, ſi iuuenem hunc pulcherrimum ante oculos mentis ſemper habebis, quàm benè tibi erit, quàm beata eris: nihil boni ages, nihil mali ſuſtinebis, quod Angelus iſte manibus ſuis non offerat coram Deo, vt præſtantiora ſemper tibi beneficia, & opulentiorem gratiam obtineat: neque enim dormitat, neque obdormit, qui cuſtodit te, qui adiutor, & protector datus eſt tibi in ſalutem. Veniat illa dies Sancte Angele, qua peractis huius vitæ laboribus, ſuſcipias ſpiritum meum ex ore meo, & reddas illum purum, & immaculatum Creatori meo, Creatori tuo; ſit per te gaudium hoc ſuper me peccatore coram omnibus Angelis Dei. Quid times ſoror mea, tot adiuta auxilijs, tot vallata præſidijs vim inferre Cœlo, & Regnum arripere?

Digitized by Google

THESAVRVS IV.

Merita, & interceſſio Iuſtorum omnium.

SI terrena hæc inhabitatio, ſoror mea egena, grauem tibi reddit aſcenſum in Cœlum, & ex ijs, quæ de terra noſtra oriuntur ditari nunc concupiſcis, introducam te in cellam vinariam Regis, in qua recondita ſunt vina optima ex electis illis palmitibus, qui manentes in Chriſto fructum multum reddiderunt, reddunt & reddent in terra noſtra: meliora quidem ſunt vbera vino; ſed ſit lac melius, vinum certè bonum. Ingredere igitur in cellam hanc Sponſi, vt lætifices cor tuum anima mea: vide in ea quàm benè erga te ordinata ſit charitas iuſtorum; quomodo omnia poma noua, & vetera ſeruata ſunt tibi. Cogita quæſo congregationem hanc iuſtorum omnium quotquot in terris à ſæculo fuerunt, & quot ſunt, & quot in futurum erunt: pone inter eos non ſolùm, & qui in ſua iuſtitia perſtiterunt præordinati ad gloriam; ſed quotquot amici Dei, pro aliquo temporis momento fuerunt, ſunt, & erunt: percurre mente, ſi potes, omnia opera eorum, quibus Deo placuerunt aliquando, placent, aut placebunt vnquam: cogita deinde te in his omnibus ex perfectæ charitatis lege participem, conſortem, & ſociam; & æſtima tunc, ſi potes, quantum diuitiæ tuæ creſcere, & augeri in immenſum poſſunt. Bone Deus, æterna veritas, nonne ore tuo dixiſti aliquando, ſi duo tantùm ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cœlis eſt? Quid igitur ſi de bono, & diuitijs meis conſenſerint decem? Quid ſi centum? Quid ſi mille? Quid ſi omnes illi, quorum numerum tu ſolus ſcire potes, qui omnia tempora in æternitate concludis? Quàm largè, quàm liberaliter daturus eſt Pater filijs ſuis, promiſſionis memor, portionem, quæ illos contingit? O quàm magnus, & quàm præclarus eſt funiculus hęreditatis tuæ, anima mea, ſi in iſto conſortio iuſtorum viuis! Et vt magis videas fœlicitatem tuam, ſcias, quod Pater iſte cœleſtis in iſtis, qui in bonum tuum conſentiunt, non ſolùm æſtimat opera, ſi quæ magna,

ſi quæ

ſi quæ hæroica præſtiterunt; ſed exigua quæque & modica ponderat, & ipſos capillos capitis iuſtorum enumerat, ne capillus ſine mercede pereat. Quantùm igitur diuitiarum congregare potes, ſi & in capillis Sanctorum habes quod exigas? Lot Abrahæ meritis cum iniquis non reputatur in illo ſodomitico incendio. Nonne & tu, filia es Abrahæ anima mea fidelis, quæ credis? Cogita, quæſo, mecum attentius fœlicitatem hanc tuam: multa mala perpeſſi ſumus in primo capite omnium gentium Adam, & per hanc vnitatem Capitis, traduximus ægritudines, miſerias, & damna multa: ſed gratias modò Deo ſemper agamus, qui per Chriſtum, membris ſuis alia coniunxit capita, per quæ ſanitatem, vigorem, virtutemque omnem, & bonitatem abundanter ſi ſapere velimus, contraheremus. Sic datus nobis eſt Abraham, qui caput eſſet, & multorum meritorum parens, & in cuius ſemine omnes gentes benedicerentur. Sic Noë poſt diluuium; ſic tandem expectatus à regalibus ſedibus venit omnipotens Chriſtus meus, in quo vno iuſtitiæ totius, & ſanctificationis eſſet origo, quæ per totum corpus diffunderetur. Sic poſt diſceſſum ſuum reliquit nobis Petrum, qui caput eſſet, & fundamentum totius Eccleſiæ, cuius fide, & pretioſis meritis tota conſolidaretur, & benediceretur. Quàm igitur iuſtus Dominus, & quantum iuſtitiam dilexit! Per vnitatem cum capite damnati ſumus, & per vnitatem cum capite ſalui facti ſumus, modo praua quadam, & & obſtinata voluntate per peccatum non diſiungamur. O quantum in hac coniunctione ineſt fiduciæ! O Petre, ſi vmbra corporis tui non fuit in obliuione apud Deum, quid nos corpus tuum, & membra de membro? Si tantum virtutis de corpore tuo attraxerunt catenæ vincientes, quid nos ipſa mẽbra corpus connectentia? certè nunquã puto rogauit Petrus, vt inanis illa ſpecies vacuę imaginis ſuæ, & pænalia illa vincula vim ſalutis haberent, & tamen eius virtus in illis tam copioſè redundauit. Pro te ſoror mea, filia, & membrum illius, & rogauit, & etiam paſſus eſt; quantò igitur erit in te influxus ille benedictionis, & copioſior, & efficacior? Non vides quomodo in domo illa iucunda fraternæ vnionis, prius deſcendit vnguentum in barbam Aaron, quàm deſcendat in oram veſtimenti eius? Age igitur nunc ſoror mea, loquere & tu ad imitationem Chriſti capitis tui, ad

exem-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

exemplum Præceptoris tui, qui enim præcepit, eadem nos inuicem dilectione diligere, qua ipſe dilexit nos, loqui etiam ſimul nos inſtituit, ſicut ipſe loquutus eſt nobis. Nonne audis ab ipſo. Qui manet in me, & ego in eo? Ego in Patre, & Pater in me eſt? dicas & tu; Petrus in me, & ego in Petro: manſit in me Petrus dum pateretur, & ego in illo manſi. O magna, ò pretioſa, ò admirabilis vnio charitatis, per quam & res, & perſonæ, & voces in vnum ſic compaginantur! Audi, anima mea, quomodo huic vnitati intentus Paulus obiurgat te, & monet, ne amplius quaſi ad caput illud primum Adam reſpiciens, extorrem te, & hoſpitem, & peregrinā dicas. Ciues, inquit, eſtis Sanctorū, & domeſtici Dei ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Perge Paule; in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in Habitaculum Dei in Spiritum Sanctum. Quomodo in tam pretioſo ædificio diues non eris anima mea? Quomodo in Abrahæ fide, in charitate Petri, & illius Coapoſtoli Pauli, & aliorum Apoſtolorum, & Prophetarum, & Sanctorum innumerabilium virtutibus fundata inops potes eſſe in merito, quæ lapidibus tam pretioſis, & tam multis, vnitatis compage coniungeris? Accipe inter tua Crucem Petri, gladium Pauli, lapides Stephani, Laurentij craticulam, & quotquot inſtrumenta pœnarum meritum, & gloriam Sanctis omnibus contulerunt. Dic deinde Deo tuo; Ecce Domine pro te lapidatus ſum, Cruci affixus ſum, ſectus ſum, gladio occiſus ſum; quæ repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ? ſi dicat tibi: quando vnquam vidi te lapides, Crucem, ignem, & gladium perferentem? Reſponde audacter: quod vnus ex Fratribus meis fecit, & ego feci; nunquid à dilectione illius excluſus fui? ſi tu Domine Chriſtus meus, quod vni ex minimis tuis fit, factum tibi dicis; ſi Ambiano pauperi clamydem à Martino tributam, tibi tributam dicis, & cum illa ante nos appares, & illa veteris tanquam tua: cur non & ego etiam, purpuream chlamydem, quam martyribus donaſti, imponam humeris meis, & cum illa apparebo ante conſpectum tuum, & confitebor meam illam eſſe, & mihi eſſe donatam? eadem enim charitas, quæ Ambianum pauperem vnum eſſe facit cum Chriſto diuite, eadem & te paupercula

anima

anima mea, vnum eſſe facit cum tam opulentis iuſtis. Igitur iam intelligis quantum diuitiarum in hac cella reconditum ſit, modò effodere velis, & experiri quàm bonum, & quàm iucundum ſit, habitare fratres in vnum.

THESAVRVS V.

Miſſæ iuge Sacrificium.

VIdiſti, ſoror mea, quantum à fructu vini multiplicari poſſis: ſed quantò abundantiùs à fructu frumenti ſimul & vini, ſi modò attendis, multiplicaberis? Aſcendamus nunc ſimul ad collem thuris, vbi Deo viuo, & vero quotidie offertur ſuper Altare, non ſanguis hircorum; aut vitulorum, ſed Panis ſanctus vitæ æternæ, & Calix ſalutis perpetuæ: vbi Chriſtus meus, idem Sacerdos, & Hoſtia, idem ſemper in omnibus Sacerdotibus, & hoſtijs, quotquot ab ipſo fuerunt, ſunt, & erunt, pro te apud Patrem exorat clamore valido; vbi confidenter poſtulat, non vt ſolùm ex miſericordia, & miſeratione agatur tecum; ſed vt iudiceris, & diſcernatur cauſa tua. O anima mea, ad quam peruenimus Abyſſum theſauri? Quid vides in hoc colle? Nonne omnia Chriſtus tuus? Cerne primùm teipſam, pro qua offertur: ecce abſcondita es in Chriſto, & in ipſo contineris tanquam membrum in capite; & ideò ipſe in te & tecum orat tanquam caput tuum. Gaude, quia nulli magis, quàm Chriſto illud conuenit: deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. Si Sacerdotem intueris qui offert: & in eo agit Chriſtus; lætare, quia de eo ſcriptum eſt. Et exauditus eſt pro ſua reuerentia. Si Hoſtiam conſideras, quæ offertur: totus latet in Hoſtia Chriſtus, de quo habetur; quod per hanc, & non per aliam introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta. Si Deum, cui offertur, cogitas; Deum vides in Chriſto, à quo audis, qui videt me, videt & Patrem meum. Exulta, quia, de quo tempore veriùs dixit Dauid, quod eſſet tunc acceptaturus Deus ſacrificium Iuſtitiæ? O Chriſte meus, Deus meus, Deus meus, Deus meus, quot nominibus meus? iterum dico iudica nunc animam meam, & diſcerne cauſam eius, & vide, &

diſcerne

diſcerne, an tantum ſacrificium deceat, vt derelinquas puſillam hanc animam meam inter gentem non ſanctam, egenam, doloſam, & iniquam? Hoſtia hæc, hoſtia eſt iubilationis, & hoſtia laudis: ſed quomodo cantabo canticum Domini in terra aliena, inter peccatores conſtitutus? Non ita Domine iudicabis, qui veniſti peccatores ſaluos facere, cuius nomen vocatum eſt Ieſus, non ſolùm antequàm patereris; ſed etiam antequam in vtero conciperereris. Ne dicas amplius igitur, ſoror mea, vtinam iuxta Crucem fuiſſem, cum pretium ſalutis noſtræ tam largè in conſpectu omnis populi eius per cruorem erogabatur: vtinam vel guttula pretioſi illius ſanguinis oculos meos tetigiſſet; certè & cum Longino oculi mei vidiſſent, & gaudium mihi cum Latrone in Paradiſo tunc fuiſſet. Quid dicis, anima mea, vbi eſt fiducia tua? Neque tunc tu aberas à Cruce, ſi rectè cogitas, in Maria Matre tua, & Ioanne fratre tuo; & nunc verè propè illam es quotidie, & per momenta ſingula, quando, ſiue mente, ſiue corpore prope Altare Dei, cum offertur, te ſiſtis. O quanta fiducia, iuxta Crucem ſic poſita, habes ſemper quod poſtules, quod exigas. Quid non daturus eſt etiam nunc Pater, dum reſpicit in Crucem Chriſti ſui? nonne illius voces manent in æternum; Poſtula à me, & dabo tibi? Imò ſi ſemel tantùm Pater in Caluario dediſti pro Paſſione dilecti Filij tui cruente peracta; quid pro eadem in Eccleſia iugiter repetita, & commemorata non es ſemper daturus? O anima mea, ſoror mea, modo ſi pauper ita es, vt non habeas de tuo, quod manduces, & bibas, & ideò clamas, & eſuris; ſpera in Deo, & fac bonitatem, & paſceris in delitijs eius: vis videre in quam magnis diuitijs? Omnia exceſſa tua, et fructus diuitiarum tuarum Domine ſuper nos tranſierunt, quando tremendum hoc ſacrificium inſtituiſti, quando Vnigenitus ille, quem adorat multitudo Angelorum, cui omnis poteſtas data eſt in Cœlo, et in terra, tranſiturus de hoc Mundo ad Patrem ineffabili dilectione omnibus, et ſingulis ſe tradidit in eſcam, et in potum, et in ſacrificium. O Domine quid mirum ſi ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum, quando ad me redemptum conſeruandum ſic non horruiſti os meum, et interiora mea? Ergo ò Pater Cœleſtis, qui tuus eſt filius, meus eſt panis? O immenſa dignitas animæ Chriſtianæ, quam ſi fides

non

non adſtruat, humana ratio non aſſequitur! Et tu egenam adhuc te dicis, quæ habes, quoties libuerit, paratum panem hunc ſuperſubſtantialem, quem poſſis pro omnibus tuis neceſſitatibus quotidie & recipere, & offerre? Quomodo pauperem te dicis, quæ habes ipſam Deitatem in cenſu? Cogita ſi vnus tantùm homo eſſet in Mundo, cui Deus largitus eſſet tantam gratiam; nonne illum præ omnibus Principibus terræ, præ omnibus Regibus, imò præ omnibus Angelis haberes? Beneficium hoc Dei ſic totum eſt omnibus, quod totum ſingulis: puta, ſoror mea, te eſſe illum vnicum, & ſingularem, & agnoſce qualis ſis: ſed caue dum hæc dico, tam magna cogitans ne extollàris; cum ſedes ad menſam Regis, cum Chriſto paſceris, & Chriſtum pro te offers, vel pro te offertur, Ancillam te ſemper dicito, & cum Maria magnifica Dominum tuum, quia reſpexit nihileitatem tuam, ex hoc enim beatam te dicent omnes generationes. O beata Mater, & intacta Virgo, liceat mihi concinere. Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum Nomen eius; Fecit potentiam in brachio ſuo; potentiam quidem magnam, quæ Deum tibi dedit in filium: ſed potentiam non minorem, quæ Deum mihi dedit in hoſtiam, & in cibum, & in potum. O panis ſuperſubſtantialis (quod de pane dico, hoc de Calice dico) ſemper mihi ad vitam, & ad omnia ſalutaria paratus, in omni loco, & in omni tempore, in quo omne robur, omnis dulcedo abſcondita eſt, panis, in quo beneplacitum eſt Deo ſuper omnia alia ſacrificia, oblationes, & holocauſta, tu mihi fons perennis, & in cauſa omnium bonorum. Nam ſicut nullum arbitror eſſe momentum ſi per vniuerſum Orbem totam ſpectes Eccleſiam, in quo ſacrificium alicubi non offeratur, ita nullum eſt momentum, anima mea, in quo Chriſtus pro te non impendatur. Stetit ſemel Moyſes in confractione in conſpectu Dei, & placatus eſt Dominus ſuper malignitatem, quam dixit facere populo ſuo: an non pluſquam Moyſes Eccleſia, quæ ſemper adſtat in conſpectu Dei, non ſolùm preces, & orationes offerens, ſicut Moyſes, ſed ipſum corpus, & ſanguinem Chriſti? Vide quomodo adeſt tibi ſemper Chriſtus tuus in ſalutem. Si animæ, quæ cruciantur igne Purgatorio, iuge refrigerium, leuamen, & à vinculis abſolutionem per hanc hoſtiam conſequuntur, cum tamen in loco ſint, in quo mereri amplius non poſſunt; tu

ſoror mea, quæ adhuc in via es, & per te ipſam accedere potes ad hunc Calicem, quomodo non abundantiùs hauries ab eo, & ſalutem, & vitam? Vide quantum homines, dum moriuntur, ſolliciti ſint, vt ſacrificia pro ſe offerantur; age modò dum viuis, ſacroſancta hæc myſteria frequenta ſemper, & meditare; quia melior eſt dies vna in atrijs Domini, dum viuimus, ſuper millia poſt obitum. Non enim mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum; Sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

THESAVRVS VI.

Promiſſio Chriſti iurata.

Ioan. cap. 16.

ANno à Creatione Mundi, quando in principio creauit Deus Cœlum, & terram, quinquies milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo: à Diluuio verò anno bis milleſimo nongenteſimo nonageſimo; à natiuitate Abrahæ anno bis milleſimo quadrageſimo octauo: à Moyſe, & egreſſu populi Iſrael de Aegypto anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio: ab vnctione Dauid in Regem anno milleſimo ſexageſimo quinto: Hebdomada ſexageſima quinta iuxta Danielis prophetiam: Olimpiade centeſima nonageſima quarta: ab Vrbe Roma condita anno ſeptingenteſimo octuageſimo quinto: Anno Imperij Tiberij Cæſaris decimo octauo: Sexta Mundi ætate, Ieſus Chriſtus æternus, æternique Patris filius, Mundum volens in ſuo diſceſſu magni, & prætioſi promiſſi dono conſolari, ante diem feſtum Paſchæ ſciens, quia venerat hora eius, vt tranſiret ex hoc Mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem diligens eos, Cœna facta cum Diſcipulis ſuis, in qua corpus ſuum in cibum, ac ſanguinem in potum ſub ſpeciebus panis, & vini ſumendum fidelibus reliquit; ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus; aperiens os ſuum firmiſſimo iure iurando iurauit, & in hæc verba ſe, & Patrem

ſuum

ſuum nobis in æternum obligauit. Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. O ſoror mea, ſi ita attenderes ad verba veritatis; ſicut attendis ad verba mendacij; ſi quam præbes homini fidem præberes & Deo, quàm bene hæc audiendo tibi proſpiceres, & pro præſenti ſæculo, & pro futuro. Non exigo modò à te fidem illam, quam in ea proportione debes Deo maiorem, quantum præſtat homine Deus, & veritas mendacio; noui quia infirma es, & ideò humana à te poſtulo: ſolùm hoc contendo, ne deteriùs agas cum Deo, quàm cum homine; & ſi fallere indignum homine putas, & credis ea, quæ promittit, etiamſi verbo tantùm, & non iuramento affirmet, tam indignè de Deo ne ſentias, vt dignus tibi videatur, cui nec affirmanti, nec iuranti fides adhibeatur. Audi aliquando, ſoror mea, & inclina aurem tuam, & percipe quid iureiurando promiſerit tibi Chriſtus tuus, Deus & homo, quando in maiori charitatis exceſſu poſiturus animam ſuam pro inimicis ſuis, Cœna facta, vltimum condens teſtamentum, hæreditatem magnam nimis in vnico hoc promiſſo omnibus fidelibus reliquit dicens. Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Age modò, anima mea, & ſume tandem te dignam cogitationem. Vide quantus ſit iſte, qui Promittit, complectere, ſi potes, quàm multa, quàm magna promittat; numera, & pondera quanta fecit antequam iſta promitteret; & quanta poſt hæc promiſſa præſtiterit, recogita, vt ſic deſinas tandem de tua egeſtate triſtari, quæ omne deſiderium tuum habes in poteſtate tua: ò ſi diues aliquis, & potens in Mundo, ſi filius Regis, ſi Imperator diceret tibi, pete quod vis, quantam fœlicitatem ſtatim in te conciperes? quos tribunatus, comitatuſque ructares? quanta tibi proponeres & accipienda, & alijs largienda. Ecce filius Dei, Rex Regum, & Dominus dominantium, cuius poteſtas æterna, & Regnum, Regnum omnium ſæculorum, cuius voluntati, & ea, quæ in Cœlo ſunt, & quæ in terris obediunt omnia; tibi, non ſicut olim Patribus in Prophetis; ſed per ſemetipſum ore ſuo loquutus eſt, & iureiurando affirmauit, te accepturum à Patre quidquid in nomine ſuo peteres;

res; & tamen adhuc tam magno, & pretioſo promiſſo præuenta, ſpem non concipis, non excutis mentem tuam, nec exerces auaritiam tuam, nec protendis, nec dilatas cupiditatem tuam? Et quia te ex te, non ex Deo, metiris; nec minora petere ab eo audes, qui tanto te maiora promittit? Num Deum facies mendacem, & periurij reum, & dum ad nihilum tuum reſpicis, ſponſoris omnipotentiam, & veritatem blaſphemare præſumes? falli, & fallere hominis eſt; ſed non hominis Dei eſt, qui teſtimonium de ſeipſo perhibuit. Ego ſum veritas, cuius verba cum Cœlo non ſunt tranſitura. Sed vide puſilla anima mea, quàm nullam habeas ad non firmiter credendum excuſationem. Cogita, Chriſtus tuus quanta fecerit tibi antequam diceret, Pete quod vis: ſi rectè cogitas, non minora anteà exhibuerat, quàm deinde promiſerit: Et quid enim, quæſo, maius velle poterat, ſi tamen tantum velle poterat, humana voluntas, quam Deum hominem fieri? O Domine quid eſt hoc? verè præueniſti hominem in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo; itâ ne hominem magnificaſti, & appoſuiſti circa eum cor tuum? ſimilitudinem Dei, quam Angeli appetendo, peccauerunt, & in æternum damnati ſunt, hanc dignatus es homini per admirabile illud commercium largiri, antequàm peteret, & concupiſceret? Quid igitur vereris te non accepturam à Deo quicquid intra humanæ voluntatis limites continetur, quando quod humani deſiderij finem tantùm excedit, Deitatem ipſam es conſequuta? ſed perge ad alia: non ſolùm largitus tibi fuerat ſuam Deitatem, cùm omnia facturum tibi Patrem promiſit Chriſtus, ſed etiam vt præceptor, & magiſter tuus iam docuerat te, & inſtituerat, quomodo in terris quaſi tanquam Deus, & filia Excelſi viuere poſſes: quomodo Mundum, & omnia, quæ in Mundo ſunt, vinceres; quomodo humilitatis, & patientiæ ipſius ſectando veſtigia, ſæcularia deſideria tranſcenderes, & in carne pręter carnem viuens, diuinam quodammodo vitam in mortali adhuc corpore traduceres: iam tibi ita omnia tam proſpera, quàm ea, quæ aduerſa videntur, contemperauerat, vt quidquid accideret, ad bonum tuum poſſet cooperari. Quid mirum ſi dicat pete, quod vis, qui docuerat etiam, quomodo eum diligendo omnia velle, & petere poſſes in bonum? Ex quo intelligere

potes,

potes, quantò tecum liberalius egerit Deus ſtuus, quàm cum Adam Patre tuo; concupiſcentiam enim illius coercuit ab eſu pomi; concupiſcentiam verò tuam extendit ad omnia, cum omnia vtiliter à diligentibus ipſam peti poſſint. Sed (ò amorem immenſum) non ſolùm antequam omnia tibi promitteret Chriſtus tuus, naſcendo ſe tibi tradiderat in ſocium, docendo in præceptorem: ſed etiam conueſcens ſe dederat in edulium, adinueniens modum ineffabilem, quo ipſe in te, & tu in ipſo manere poſſes; ita enim in Sacramento admirabili ſe tibi commiſcuerat, vt carnem illius manducando, & ſanguinem bibendo concorporea illi efficereris, ita vt duo eſſent in carne vna, dùm ipſa in Chriſto, & Chriſtus in te maneret. O bone Ieſu, quid erat vltra, quod adijceres, Pete quod vis? ſi tu in me manes, & ego in te, quomodo non omnia bona tua mecum ſunt: & ſi in omnibus bonis tuis non ſatiat ſe deſiderium meum; quid vltra petere poteſt, in quo ſatietur, cum omnia bonitate tua ſint plena? Itá eſt ſoror mea: iurauit Dominus Chriſtus tuus omnia daturum Patrem in nomine ſuo; quando ipſemet in tot mirabilibus ſuis ſe tibi iam tradiderat. Vide igitur quantam promiſſioni ſuæ fidem conciliauerat, qui antequam omnia tibi promitteret, ſeipſum tibi dederat, & iam præſtiterat, vt modo tam tibi connaturali, cum voluptate, & guſtu Deo tuo fruereris. O ſi verè fidelis eſſes, ſoror mea, cum toties ab Eccleſia verba illa audis, Dominus tecum, quàm diuinè de te ſentires; quàm ſepè caneres cum Maria: Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum Nomen eius; ecce enim beatam te dicunt omnes nationes: nulla enim natio tàm grandis eſt, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter. Verè Emanuel, nobiſcum Deus: quid enim tam in nobis, quàm cibus noſter? Sed perge adhuc, & poſtquam vidiſti, quæ præmiſerit Chriſtus antequàm faceret tam ſolemne promiſſum, vide quid geſſerit poſt factam promiſſionem; pone ante oculos tuos noctem illam, in qua iſta tibi loquutus eſt, & promiſit; horas illas omnes, quæ poſt ſermonem ſequutæ ſunt, mente percurre, vſque ad poſtremam, in qua dilectam animam ſuam pro tua ſalute exhalauit; & vide, quid magis humanam fidem excedat; Deum potuiſſe tam vilia, tam indigna, tam dura pro te pati; an potuiſſe tibi promittere, daturum Patrem

ſuum

ſuum quidquid in nomine ipſius peteres? Certè ſi de Chriſto tuo rectè ſentis, facilius capere potes, & debes, quomodo magis conforme illi ſit, & conſentaneum omnia tibi præſtare, ac facere poſſe quæ promiſit, quàm omnia illa potuiſſe pati, quæ pertulit: ſummo enim bono magis congruū videtur benefacere, quàm mala pati. Si igitur experimento vidiſti, quod ea pro te ſuſtinuit, quæ magis à Deo remota, & aliena videri poterant; quomodo non credes etiam tibi daturum bona ſua, quod maximè proprium eſt ſummæ Bonitatis? Habens igitur tantum promiſſum, etiam ſanguine, & occaſione immaculati agni conteſtatum, & conſecratum, poteris adhuc de illius veritate dubitare? O ſuperineffabilis benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, qui non ſolum ex tot, & tam immenſis beneficijs, quæ tribuit nobis; ſed etiam ex operibus iuſtitiæ, quæ idem ipſe operatus eſt pro nobis, voluit, vt haberet homo, vt quidquid fideliter peteret à Deo, ſecurus acciperet: ſic enim debes accedere petendo, ſoror mea, ad Thronum Gratiæ illius, vt eundem etiam cogites Tribunal Iuſtitiæ: & ita petere, vt etiam exigas. Conferas nunc promiſſiones hominum cum promiſſionibus Chriſti, & confundere, & erubeſce, ſi adhuc tam fatua es, vt illæ in ſpem te erigant, & exhilarent, cum ſuſpicari neſcias hominem, præſertim nobilem, fidem non ſeruaturum; & in Chriſti Dei, & hominis promiſſionibus, ita te geris, vt non depellas omnem mærorem à corde tuo, ſed ita in tua puſillanimitate permanes, ac ſi ex illis nihil boni certo expectare, & percipere poſſis. Quid eſt hoc, ſoror mea? tam prauè adhuc de Deo ſenties, vt nec illi iuranti, & tot beneficia ante, & poſt iuramentum facienti credas, quæ homini, nihil etiam ante tibi exibenti, tam citò facilè credis? Imò quod mireris magis: nonne magnum æſtimas beneficium, quod re vera maximum eſt, ſi quando legis alicui ex Sanctis puta, Catherinæ Seneñ. Hyacinto, ſeu alijs, reuelatum fuiſſe omnia illis Deum conceſſurum, quæcumque peterent, dum ea tamen quæ plerumque hominibus reuelantur, non adeò certa ſint, vt dubitari de ijs non liceat: conteſtante tibi Ioanne Euangeliſta, cuius teſtimonium de fide eſt, quod verum ſit, conteſtante tibi Eccleſia, quæ fallere, & falli non poteſt, Ieſum Chriſtum ore ſuo promiſiſſe, & iuraſſe daturum Patrem nobis, quæcumque in nomine ipſius

pe tere-

peteremus: beneficium hoc tam diuinum, in tam maiori certitudinis gradu, tibi collatum non ſuſcipis, non admiraris; in illo ſpem non erigis; ſed quodammodo potius negligis, & contemnis? Quare hoc, niſi quia modicum adhuc lumen in te eſt, & modica fides? Agnoſco, & ploro, ſoror mea, miſeriam tuam; terrena hæc inhabitatio non ſinit te percipere quæ Dei ſunt: prona, & curua in terram vix Cœlum reſpicis, & in te anguſta, in Deo te dilatare neſcis; & ideò promiſſum hoc mente non penetrans; non petis, vel malè petis, & in petitionibus tuis allucinaris: petis plerumque ea, de quibus te ſollicitam eſſe non oportet, & quæ tibi cum pecoribus, & beſtijs communia ſunt, nec ad bonum finem petis: quæ verò ad meliorem vitam pertinent, nec petis, nec concupiſcis. Sume experimentum ab ijs, quorum Deus venter non eſt, nec finis interitus, & vide quomodo Chriſti promiſſionibus innixi omnia poſſunt, & quomodo venti, & mare, & quæ in Cœlo ſunt obediunt illis. Omnia in nomine Chriſti potuerunt efficere Sancti Dei, quæ ipſe Chriſtus effecit, & illis etiam maiora potuiſſent iuxta verbum, quod prædixerat Chriſtus; perlege ipſorum hiſtorias. Tu in culpa, ſoror mea, ſi non accipis; tu inanis, & mendax es, non Chriſti promiſſio. Sed adhuc obſtrepis, & obijcis, quod multa ſæpe petis, quæ te meliorem facere poſſent, & quæ ad ſalutem conducunt, nec ea tamen petendo obtinere potes. Scias anima mea, nihil tam difficile dignoſci poſſe, quàm acceſſus, & receſſus à nobis beneficiorum Dei: ſi benè petiſti, ſecura eſto, aut enim iam habuiſti, aut habebis in tempore ſuo; non enim eſt noſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: crede mihi non ceſſes petere, quærere, pulſare, quia fidelis Deus in omnibus verbis ſuis. Cùm ignoras quid agere debeas, hoc vnum ſemper habes reſidui, & hoc ſatis tibi eſt, imò hoc totum eſt, vt oculos tuos in Cœlum dirigas, & illum ſolum, & ſemper petas, qui fecit omnia; nihil eo inuenies carius, nihil melius: ipſum igitur pete, qui fecit, & nihil vult magis dare, quàm ſe; ſi aliquid inueneris melius, pete; ſed ſi aliud petieritis, iniuriam facis illi, & damnum tibi, præponendo illi, quod fecit, cum vult ſeipſum tibi dare, qui fecit. Exulta aliquando igitur, & iubila in hoc tanto promiſſo, ſoror mea, & concine mecum.

Bene-

Digitized by Google

BEnedictus Dominus Deus Iſrael, qui magnam fecit promiſſionem plebi *ſuæ*.

Et erexit cornu ſalutis nobis, in Nomine Ieſu Sancto ſuo.

Sicut loquutus eſt ad fratres ſuos, qui à ſæculo ſunt parentes noſtri.

Nomen, quod reportauit ab inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum ſeruis ſuis, & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiurandum, quod iurauit vadens ad Patrem ſuum, daturum ſe nobis.

Vt gaudio pleni de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi.

In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

Et tu nomen, oleum effuſum vocaberis, portaberis coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael.

Ad dandam ſcientiam ſalutis credentibus in te, in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Chriſti noſtri, in quibus confortauit nos rediens in altum.

Inuocaberis ab his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, & diriges pedes noſtros in viam pacis.

DEvs fidelis, qui per Vnigenitum Filium tuum fidelibus tuis omnis ſalutaris petitionis effectum in Nomine Sancto ſuo promiſiſti, concede mihi indigno famulo tuo in nomine eiuſdem Vnigeniti tui, eundem Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

THESAV-

THESAVRVS VII.

Chriſtus nobis datus, & donatus.

O Soror mea, ſi cum tam magna fiducia, ad Dei Thronum accedere potes, vt reddat, quæ promiſit; quantò magis fiducia iter agere potes cum ipſo, vt reddat, quod non ſolùm promiſit; ſed etiam quod ſemel tradidit, & donauit? Si hoc ego dicerem tibi, ſoror mea, ſcilicet, Deum omnia ſua deſiderabilia tibi iam donaſſe, fortaſſe mēdacem me diceres, vel certè dubitares: ſed quid ſi veritatis præconem Apoſtolum Paulum teſtem producam; nonne illi credes? Audi igitur verba illius. Qui proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non & cum ipſo omnia nobis donauit? O Paule quid dicis? Omnia bona donauit cum ipſo? Omnia bona? Præter omnia bona, nihil eſt: quæcunque enim fecit Deus, bona ſunt, ſiue quæ in Cœlis, ſiue quæ in Terris; quæcunque etiam poſſibilia ſunt, & non ſunt, etiam bona eo modo ſunt; ipſum primum increatum ens bonum eſt: omne igitur hoc donatū eſt, & donatum eſt cum ipſo, videlicet proprio Aeterni Patris Filio? nonne hic filius, Deus de Deo eſt, omnium Dominus, & Creator, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, vnum habet eſſe, vnum viuere, & à quibus diuidi, & ſeparari non poteſt? Donauit nobis? iam opus perfectum, & conſummatum dicis, & hoc opus, dominij translatio eſt in nos; nam donatione dominia acquiruntur. Quid dicis Paule? omnia bona in quocunque modo poſſibilia, ſiue creata, ſiue increata, ipſe Dei Filius, ipſe Deus, ipſa Beata Trinitas donata homini eſt? Scio, inquit Paulus, quia non mentior: iterum dico: omnia bona cum filio nobis donauit; & ideò ſæpius in Epiſtolis meis repeto. Omnia veſtra ſunt, ſi quod dico, probando dico, & ratione confirmo; quare non creditis? Traditio filij facta nobis, & pro nobis, nonne tibi manifeſtè conſtat cum natus, & datus nobis, factus obediens eſt nobis? paſſus ab homine, tanquam à Domino, venundari, iudicari, crucifigi? Omnia verò bona in filio hoc contineri nonne ex hoc certum eſt, quia hic idem filius, Deus eſt? Magna ſunt,

Digitized by Google

quæ dicis Paule; ſed vera ſunt: quod ſi ita eſt (parce Domine, ſi ita audacter loquor; quod veritatis præco docet, hoc Deus docet) non ſatis fuit immenſæ charitati tuæ, qua dilexiſti hominem, habere illum ſeruum, filium, & amicum; niſi etiam ſuper te quaſi Dominum eundem conſtitueres? O vere Deus, Deus meus: Ergò ò Domine Pater Dei mei, ita me ab initio dilexiſti, vt conderes me, non ſolùm ad imaginem, & ſimilitudinem tuam; & pro me Cœlum, & Terram, & omne, quod in eis eſt, creares, Dominum, & Regem in Paradiſo ante lapſum me collocares, vt etiam volueris poſt lapſum, ad maius imperium me ſublimare, & principem me conſtituere, non ſolùm ſuper omnia opera manuum tuarum, ſed quodammodo ſuper ipſum Vnigenitum Filium tuum, quando illum homini donaſti, vt pariter cum illo omnia homini bona aduenirent, atque ita non ſolùm oues, & boues, volucres Cœli, & piſces maris, ſed ipſum etiam effectorem, & Creatorem omnium poneres ſub pedibus meis? Parce Domine, ſi ita loquor, dùm video te Chriſtum meum lauantem pedes meos, & manus illas, rerum omnium effectrices, meis pedibus ſubijcientem. O altitudo adinuentionum immenſę charitatis Dei, qui expertus, & cognoſcens, quomodo omnia præter ipſum filium ſuum, homini donando, inutilis, & inanis prorſus ipſa ſe manifeſtabat donatio, & in perniciem ipſius recipientis conuertebatur, modum adinuenit ineffabilem, quo vtiliter potiri rebus omnibus creatis cum ipſo Creatore poſſit creatura. Niſi enim ipſe rerum Creator eſſet meus, nonne falſo, & ementitio nomine, quidquid meum dicerem, appellarem? Non enim creaturæ eſſe non poſſunt Creatoris, & cum ipſa creaturā ſit quid alterius, quid poteſt habere ſuum, ſi nō habeat ſuum ipſum Deum, & Dominum Creatorem? Præterea nonne audiuimus, & vidimus quàm malè per inordinatum amorem rationabilis creatura vſa ſit muneribus, quibus ab initio fuit decorata? Gratias igitur Deo, qui tale donum dedit hominibus; in quo omne donum contineretur, & in cuius amore nunquam homo poſſet eſſe nimius, imò in cuius ſola dilectione ex toto corde, & ex totis viribus vera ſalus, vita, & beatitudo conſiſteret. Sic, ſoror mea, Regina magna nimis iam effecta, amplius noli mærere, non habet ampliùs Deus in immenſitate ſua, quàm tu in latitudine Regni tui; omnia deſiderabilia eius data ſunt

tibi,

Digitized by Google

tibi, omnia illius tua ſunt. Vis videre quando in poſſeſſione filij Regis, & Regni illius veniſti? quando Rex iſte tuus venerit tibi? Tunc profectò hoc fuit, quando Filius Dei, appellare ſe cœpit filius hominis, & patriam poteſtatem agnouit, & ipſi ſubditus eſſe voluit. Nolo, ſoror mea, te conſideres in generatione illa praua, & adultera, quæ tantum Regē ſibi donatum non recepit, nec cognouit, imò contumelijs affectum occidit; cui ante peccatrici ſe ſubijcere voluit, & quæcunque indigna ab illa perpeſſus eſt, meliùs tamen illi fuiſſet, ſi nunquam poteſtas hæc, & imperium ei deſuper in hunc Regem datum fuiſſet: ò quàm malè ſumpſit poſſeſſionem illius Regis generatio iſta? Conſidera te primò in Maria Matre eius, in cuius Vtero Sanctiſſimo ab hoc filio Regis, caro noſtra contacta eſt Angelico teſte præſente ac verò præcedente conſenſu, & in ſignum veræ, legitimæque traditæ poſſeſſionis per portam illam clauſam homo Deus ingreſſus, & egreſſus eſt. Conſidera te etiam in Petro, qui etſi quaſi ignarus quid facere vellet Ieſus, dum pedes lauare illi contendebat, tale obſequium renuebat, admonitus tamen ab eo, & coactus, ſe lauari permiſit, & pedem ſuum ſuper manus Ieſu impoſuit, vt qui adimplere legem venerat, ex lege etiam noſter fieret, ex ea videlicet lege, quam Deus promulgauerat, dicens. Locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit. Conſidera te, in Maria Magdalena, quæ ſtatim, vt cognouit, & accurrit ad Chriſtum tanquam ad rem ſuam, non veretur alienam domum, non habitantium ſuperbiam, tenet illum manibus, irrigat lachrymis, lauat, tergit, ac colligit ex illo, tanquam ex prædio ſuo, quos optat, fructus ſalutis, pacis, ac remiſſionis peccatorum. His, & ſimilibus actibus, ſi cuiuſcumque rei dominium, & poſſeſſio probatur, quomodo ampliùs dubitabis Chriſtum eſſe tuum? Et ſi tuus eſt Chriſtus, quid non eſt tuum? & ſi Chriſtus eſt tuus, quomodo Chriſtus ſeipſum tibi negare poterit? Et ſi ſeipſum negare non poteſt, quid tibi negare poteſt? Vide quomodo huic cogitationi innixus Paulus nihil omnino timebat. Si Deus inquit, pro nobis, quis contra nos? Adeò in poſſeſſione Chriſti ſui glorioſus erat, vt neque tribulatio, neque anguſtia; non fames, non nuditas, non pericula, non perſecutio, non gladius illi curam ingereret; in his omnibus ſuperare ſe iactabat propter eum, qui ſic dilexit nos. Dauid ipſe Rex nondum poſ-

ſeſſionem cæperat huius Chriſti ſui, & tamen canebat confidenter, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et tu ſoror mea, quare modo timebis mala, quæ potes dicere de Chriſto tuo non ſolùm, quod tecum eſt; ſed quod tuus eſt? Age igitur, & confidenter concine. Diligam te Domine fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, liberator meus, adiutor meus, miſericordia mea, Deus meus. Si Deus tuus poſſeſſus, te beat in Patria, cur non te modò ſatiat in via? dices fortè, quia ab hoc Regno deijci potes, dum es in via: audi Paulum iterum. Quis me, inquit, ſeparabit à charitate Chriſti? certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Itaque nulla te creatura ab hac poſſeſſione deijcere poteſt, niſi tu te ipſam deijcere velis; & ne hoc ipſum aliquando velis, poſtula ab eo, qui tuus eſt, & cuius eſt operari in nobis, & velle & perficere: qui enim ſeipſum negare non poteſt, multò minus negabit tibi bonam voluntatem, imò dabit Pater Cœleſtis ſpiritum bonum petentibus ſe.

THESAVRVS VIII.

Reliquiæ micarum, & fragmentorum; ſeu bona, quæ Deo ſuperſunt.

SI nos, cum ſimus mali, nouimus bona data dare filijs noſtris, ita vt ſi petierint panem, non demus pro pane lapidem, nec pro ouo ſcorpionem, nec pro piſce ſerpentem; nunquid, ſoror mea, Pater tuus Cœleſtis negabit tibi, ſi petas, non dico panem, ſed micas cadentes de menſa Illius, quæ etiam canibus dari ſolent? præſertim cum per promiſſionem, & per donationem, vt iam vidiſti, omnia illius tua ſint? Veni igitur nunc mecum, paupercula veni, & ducam te ad nouos fontes diuitiarum, ad theſauros ſcilicet Chananeæ, ad quos ipſis etiam canibus patet acceſſus. Exi de finibus humanæ conditionis tuæ, & tanquam catella famelica, diſce latrare ſub menſa Domini Dei tui, clama in toto corde tuo, vt miſereatur tui; ſi tacet, multò magis clama, ſi ar-

ſi arguit, ſi increpat, ſi ingratam te dicit, ſi canem appellat; multò magis clama, & canem te affirmando, dic Domino tuo; Etiam Domine canis ego ſum; ſed & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Domini ſui. Accedo modo ego ad te, Domine, non vt iterum mihi præbeas maiora ea dona, & gratiarum munera, quibus male vſus ſum; ſcilicet non peto, vt pro me, iterum filium tuum mittas in Mundum, & emas mihi panem cœleſtem pretio magno; quæcunque tua ſunt, ſalua tibi eſſe cupio: ſed ſolùm peto micas, quæ de menſa tua cadunt, & fragmenta, quæ ſuperſunt, ne pereant; habent ad iſta ius quicunque pauperes, & mendici, quinimò & catelli ipſi. Nonne tu, Domine, præcepiſti mihi, vt darem, quæ mihi ſuperſunt, pauperibus? Ecce mendicus, & pauper ego ſum, quantum tibi ſuperſit, tu ſolùm vides, qui te ſolum intelligis, infinitum certè illud eſt; cur igitur, & tu non facies ſimiliter? At ego quidem ſi facio eleemoſynam de ijs, quę ſuperſunt mihi, illud, quod erogo, amplius non habeo: tu verò Domine, Deus meus, poſtquam multum tribueris mihi de ſubſtantijs tuis, nihil ideo minus habebis. Ego ſi quem dimiſero ieiunum, non ideò, qui dimiſſus eſt, ab alio non ſaturabitur: ſed tu, Domine, ſi me ieiunum dimittas, deficiam in via, neceſſe eſt; non enim eſt alius præter te, Domine, qui poſſit me ſaturare. O Domine, ſi me ſeruum nequam in ijs, quibus ego abundo, ita inſtituis, vt etiam ex ijs, quæ ſunt de Mammona iniquitatis erogando pauperibus tuis amicos mihi conciliem, & faciam; quantò magis tu, qui ſummè bonus es, de ſuperfluis tuis aliquas micas pauperculo mihi erogando, facere me debes amicum tibi, vt te poſſim recipere in tabernaculo meo: ſicut enim delitiæ meæ ſunt, eſſe cum Deo meo, ita, & delitias tuas eſſe dixiſti eſſe cum filijs hominum. Memento Domine quàm durum iudicium feciſti cum diuite illo, qui micas pauperi Lazaro negauit, vt nec aquæ gutta arentes illius fauces refrigerari permiſeris. Nunquid Domine, qui alios parturire facis, non ipſe parturies? Quomodo iuſtitia tua permanebit in ſæculum ſæculi, niſi etiam tu diſpergas, & des pauperibus? De quo enim primum, obſecro dicebat Propheta verſiculum illum: Diſperſit dedit pauperibus? Num de Sancto Laurentio? Num de Paulino? Num de tot alijs, qui non modo ſuperflua, ſed omnem ſubſtantiam domus ſuę, & ſeipſos pro dilectione paupe-

pauperum profuderunt? Certè iſti, potentes in alios diſpergere non fuiſſent, niſi tu prior ipſe talem gratiam, & tantam, in illos diſperſiſſes, & niſi idem tu, Domine, talem vſum diuitiarum de Cœlo in Terram deſcendens prius inſtituiſſes, didiciſſent. Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat, niſi ſua retinere, aliena rapere, ſi poſſet; concupiſcere ſi non poſſet? Quomodo igitur nunc poteris, ita continere in ira tua miſeriaordias tuas, vt de ſuperfluis tuis, nec micas neceſſitati meæ velis concedere? Quid enim ſunt, niſi micę reſpectu illius immenſæ menſæ tuæ, ea munera omnia, quibus ego indigeo ad beatitudinem meam? Igitur ſi bonus es tu Domine, ſicut optimus es, in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas: niſi enim benignè facias in bona voluntate tua Domine, nunquam ædificabuntur muri Ieruſalem. O ſoror mea, ſi ita rogas Dominum tuum, credis quod non dabit? Si in terra poſitus, quando cum hominibus conuerſabatur, adeò illi curæ fuit, ne fragmenta edulioꝛum, quæ ſupererant menſis, quas ipſe parabat, perirent, vt à diſcipulis colligi illa iuberet, & in ſportis reponi; nonne, quæ ſuperſunt in ipſius Cœleſti Menſa, pretioſiora multò ſunt? Quomodo igitur cum ipſe ſatur omninò ſit in æternitate ſua, non dimittet reliquias ſuas paruulis ſuis petentibus illas? Vnica tantùm mica, ò Domine, indiget anima mea; vnica mica, vnico verbo, vnico fiat, neceſſitati meæ ſubuenire potes: verbum negabis, qui etiam verbera pro me ſuſtinuiſti? Si tu es, qui dixiſti, Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. Si tu idem es, qui mihi dixiſti: Si ſcirem donum Dei, & ſcirem quiſnam ipſe ſis, qui mihi hoc dixiſti, futurum, vt à te peterem, & te daturum, quod peterem. Ecce nunc ſcio quantum ſit pretij in micis tuis, & illas eſurio, & ſitio, & peto eas à te, quem fideliter cognoſco Dominum meum, & Deum meum; teneris igitur, ex ore tuo te iudicans, illas mihi dare. Parce, ſi intro in iudicium cum Deo meo; non ago, niſi ex ea lege, quam ipſe ſanxiſti, quam ipſe me docuiſti: ne alioquin auderem deterius quid cogitare de te, quàm de homine. Quis ex nobis, recumbens ad cœnam magnam, importunè oblatranti famelico, vel etiam cani, ſaltem propter importunitatem, fruſtulũ non proijceret? Nequam ego ſim, inimicus ſim, canis ſim, micas iterum, atque iterum peto: cuius, quæſo, ſunt voces illę: Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da

illi:

illi; ita enim carbones ignis congeres ſuper caput eius. O me beatum ſi micas propter importunitatem ſic accipiendo, ignis tui carbonibus deſolatorijs totus operirer! Sed adhuc, Domine, non reſpondes, oſtium nō aperis, intus manes cum pueris tuis; electis tuis, in cubiculo tuo, ſurgere non vis? Pulſa adhuc, ſoror mea, perſeuera clamando, ipſis pueris, ſanctis eius, aures obtunde; ipſi, crede mihi, pro te accurrēt ad Dominum Deum tuum, & rogantes dicent: Dimitte eā, Domine. quia clamat poſt nos, fac bonitatem cum illa, etiam hæc vna eſt ex ouibus, quæ perierunt; vult. & petit adiuuari, non vult ſumere panem filiorum, catellam ſe dicit, tantum de micis, quæ cadunt de Menſa Domini ſui cupit ſaturari. Cadent tandem de ore ſuo, crede mihi ſoror mea, prætioſæ illæ micæ: fiat ſicut vis; commendabit fidem tuam, & ex illa hora ſalua fies.

THESAVRVS IX.

Chriſtus egenus.

VErùm ſi fortè vereris, ſoror mea, ne fides tua ad Cananeæ fidem pertingat, aut ne clamans raucæ fiant fauces tuæ, deficiantque oculi tui, dum ſperas in Deum tuum: oſtendam tibi aliam viam etiam multò meliorem, & tutiorem, per quam ambules, ad has eaſdem micas colligendas plenas theſauris. Educas de ſpecu Bethlemitico verum illum pauperem, qui, cùm eſſet diues, pro nobis egenus factus eſt, vt nos ſua inopia ditaremur: hunc ſtatue ante faciem Dei. ante fores magni illius Regis, onuſtum omnibus tuis indigentijs, omnibus tuis miſerijs repletum. O ſoror mea, ò vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt pauper ſimilis, ſicut iſte pauper meus: hoſpes eſt, & peregrinus, inter vincula, & carceres percuſſus, & vulneratus, liuor in maxillis eius; à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas, aſpectus hominis in eo non eſt opprobrium hominum, & abiectio plebis; nouiſſimus virorum, vermis, & non homo; quotquot iniquitates ſunt, fuerunt, & erunt, impoſitę ſunt ſuper humeros eius, & omnium

delicta

delicta in ſe portat: ſtat ad oſtium, pulſat, eleuat oculos, in Cœlum ſuſpicit, ingemiſcit, lacrymatur. In hoc modo paupere, ſoror mea, volo vt te conſideres, nam membrum illius es, & manet ipſe in te, & tu in illo; nec modo duo eſtis pauperes, ſed vnus pauper: non ego te decipio; vis videre quomodo iſte pauper eſt in te, & tu in illo? *Eſuriui*, inquit, *& dediſti mihi manducare, ſitiui, & dediſti mihi bibere.* O pauper Bethlemitice, ſi memini hæc dicturus es ijs, qui te nunquam in carne eſurientem, aut ſitientem viderunt: ſed ideo ea facta tibi eſſe dicis, quia vni ex minimis pauperibus (inter quos & tu numeraris ſoror mea) ea facta ſunt; ergo benè intelligis, quomodo ille in te eſt. Vis modò videre quomodo, & tu es in illo? rurſus ipſum audi, *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Certè ſanctè pauper quis vnquã arguere te potuit de peccato? Non tu profectò ſed ego deliqui, & deliquiſſe tamen videri vis, cum ais: *priùs, quàm humiliarer, ego deliqui*: & delictorum tuorum in tribulatione recordaris, dicens; *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum*: quare hoc? niſi quia nos, qui ſumus peccatores, in te manemus, & nos in te portare volens, etiam peccata noſtra ipſe portaſti, & pro nobis doluiſti? Quod ſi obijcias, ſoror mea, quod idem Dominus aliquando dixit futurum, vt ſemper pauperes haberemus nobiſcum; fore autem vt illum non ſemper haberemus: aduertere debes, quod hæc ille loquutus eſt, cum pro Maria aduocatum agebat. Effuderat hæc vnguentum piſticum prætioſum ſuper pedes eius; murmurabat auarus proditor, tanquam ſollicitus de egenis; increpat illum Ieſus, tanquam ignarum, quid ageret illa mulier, quæ dum obſequium illud non capiti præbebat, ſed pedibus; videlicet Chriſto non tanquam capiti vniuerſorum viſibiliter nobiſcum ſemper permanſuro; optimè egenorum omnium, & pauperum hæc mulier cauſam agebat; nam inter pauperes, qui in pedibus Chriſti deſignantur, ſemper Chriſtum eramus habituri: hoc ſi aduertiſſet proditor, cognouiſſet quantum Maria de egenis cogitaſſet. Obſequium igitur illud tanquam pauperibus ſibi factum ſuſcepit; in quibus, licet corpore abſens, nobiſcum erat ſemper remanſurus. Sed vide manifeſtiùs quomodo poſt diſceſſum eius ex hoc Mundo ad Patrem, ſemper tamen in pauperibus nobiſcum permanſerit. Si diſcipulos ſuos pauperes Saulus perſequitur;

Digitized by Google

ſequitur; ipſe clamat; Quid me perſequeris? Si Ambianō pauperi Martinus veſtem tradit; Chriſtus illam gerit. Si conuiuium Gregorius pauperibus parat; inter ipſos conuiuas Chriſtus conſpicitur. Quid amplius dubitabis, ſoror mea, quin pauper iſte Bethlemiticus in te etiam paupere, & egena adhuc hodie perſeueret? Nulla hic dubietas, omnis tua paupertas, omnis tua indigentia, omnis tua egeſtas, neceſſitas ipſius eſt. Vtique igitur dicito illi hanc ſimilitudinem: Medice, cura te ipſum: in me egena, te ipſum etiam nunc egenum conſidera: & exurge Domine, & iudica causā tuam: clama tu ipſe pro te ipſo apud Patrem tuum; & videamus ſi pater filio micas deneget, qui ipſis inimicis filium donauit: quidquid mihi negatur in filio clamanti, filio ipſi negatur; membrum illius ego ſum, pes illius; quidquid mihi datur, ipſi datur, dum ipſe pro me rogat, dum pro me impetrat. Quid facies Pater? poteriſne diu ſuſtinere, vt hic filius tuus dilectus micas eſuriat, qui, vt tuam faceret voluntatem, ipſum etiam ſanguinem, & vitam ipſam profudit? Memento Domine Pater, Aeterne Deus quid mecum egeris quando pes eram, & membrum primi Adam: antequam de luto,& de fouea, & de carcere educeres me; clamaſti tu prior ad illum in tot miſerias culpa ſua prolapſum,clamaſti; Adam vbi es? de deceptore, & de fraude interrogaſti, cauſam ipſe cognouiſti; peccatum ita damnaſti, vt tamen peccator multò locupletior fieret. En modò ſecundus Adam pro me membro ſuo pauper & miſerrimmò & maledictum & peccatum factus; innocens tamen,& impollutus,clamat ad Patrem. Pater transfer mala mea, egeſtatem meam à me. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? In manus tuas commēdo ſpiritum meum; & clamat clamore valido,& non iudicabis illum, & non diſcernes cauſam eius, & eſuriem illius nec micis ſaturabis? Igitur, filius tuus, pauper meus, dicet ad te; Dum egeſtas,& miſeria, & ærumna, & peccatum ſuper dorſum Adam fuerunt, adeò commiſertus es pauperis, vt ad eum ſubleuandum, ſublimandum, & locupletandum me filium tuum è Cœlo in terram deſcendere, & in terra Crucis patibulum ſubire feceris; & nunc, poſtquam omnia iſta mala venerunt ſuper me, & mea facta ſunt, ita continebis in ira miſericordiam tuam, & pietatis viſcera claudes: vt ad me ex illis eruendum, nec micas velis mittere in terram?

Digitized by Google

Heu fruſtrà in me ſuſcepi cauſam primi pauperis, & in me transtuli omnem illum miſeriæ cumulum, ſi ita in me deinde confirmari debuit ira tua, vt quæ ſuper me fabricauerunt peccatores, grauia, & importabilia, nec digito tuo, à me filio tuo, amouere non cures? Seruire me feciſti pro Adam omnibus mandatis tuis vſque ad mortem, & ſic ab omnibus miſerijs, & tribulationibus eduxi illum; tu mandatorum tuorum poteris ſic obliuiſci, vt mihi pauperi cupienti ſaturari de micis, micas non tradas? Quid erat, quod præmonſtrares me agnum, qui tolleret peccata Mundi, & omnem miſeriam, quæ peccatum conſequitur; ſi tantum peccatum de Adam in me transtuli, & ſuper dorſum meum adhuc viuit egeſtas? Extendiſſe potiùs videberis mundi miſeriam, non ſuſtuliſſe: cœpiſti ædificare magnis ſumptibus: cur parcis micis, vt opus conſumes, & perficias? Si miſericordiam cum Adam non feciſſes, & in pœnis, quas ipſe promeruerat dereliquiſſes, ecquid Iuſtitiæ tuæ, quid Maieſtati tuæ deperibat? Homo erat, de luto erat, peccator erat: at ſi ego, vnigenitus filius tuus, pauper in miſerijs ſubſiſto, qui innocens, & Dei filius ſum, nonne Deitati quodammodò iniuriam facies; nonne dicent gentes, Adam dilexit, filium odio habuit? O pauper Bethlemitice quàm benè agis cauſam pedum tuorum? video quàm ſis memor obſequij, quod pia illa peccatrix exhibuit pedibus tuis. Quid facies Pater? quem audire nos Prophetis teſtibus iuſſiſti, hunc tu modò non audies? Auertere ne poteris oculos tuos à filio dilecto tuo, qui bene tibi in omnibus complacuit? Tu, cui derelictus eſt pauper, huic pauperi poteris non eſſe adiutor? At ſi audis, ſi reſpicis, ſi adiuuas, iſtæ ſunt micæ, quas tantopere nos pauperes peccatores expetimus, iſtæ ſunt, quibus indigent pedes filij tui dilectiſſimi: in iſtis lætabitur, & ſatiabitur, & ditabitur paupercula ſoror mea, per iſtas ſana, & ſalua erit anima mea. O mea in Adam fœlix egeſtas: ſed multò in Chriſto fœlicior, per quam nihil habens, omnia poſſideo! Nunc intelliges, ſoror mea, quare beata dicaris, ſi eſurias, ſi lugeas, ſi maledicaris, ſi perſecutionem patiaris: omnia iſta in te pauper tuus Chriſtus patitur, & ipſe clamat, & Dominus exaudit illum; nec ſolum micas tibi impetrat, ſed gaudium plenum, ſaturitatis abundantiam, mercedem copioſam, regnum Cœlorum. Sis modo fidelis tu ſoror mea, & vt pes Chriſti,

Digitized by Google

Chriſto ſemper adhære, Chriſto te coniunge, Chriſtum induine, Chriſtum porta in corpore tuo, Chriſtum glorifica; empta enim es à Chriſto pretio magno, vt ſic concorporea Chriſto effecta, ipſe poſteà dirigat pedem ſuum in viam pacis.

THESAVRVS X.

Dei Miſericordia.

DVxi te ad plures theſaurorum fontes, ſoror mea, & ne ex itinere quandoque fatigeris, ſedere te modò faciam ſuper iucundiſſimum fontem, vbi omnibus curis remotis, quoties placuerit, in pace dormire poſſis, & requieſcere. Quid erit mihi præmij, ſi fontem hunc indicauero tibi? Ecce, fons iſte patens nimis, & immenſus, diuinæ miſericordiæ fons eſt: ad eum aſcende mecum, & ad murmur illud inundantium aquarum, fac conſopiri ſenſus tuos, & inhabita diluuium illud ex hoc nunc & vſque in ſæculum. O fons in vertice fontium: miſerationes enim eius ſuper omnia opera eius: fons, ex quo egrediuntur, & reuertuntur, fluunt, refluunt omnes aquæ, & ſemper redundat: fons Iacob omnibus expoſitus, ad quem, qui non accedit, inexcuſabilis eſt omnis homo, ſiue fidelis, ſiue infidelis: natura enim ipſa, & ratio eorum, quæ facta ſunt, illum annuntiant, indicant, & demonſtrant: fons, cuius aquæ quò plus potantur, plus ſitiuntur, quas ſiue ſitias, ſiue bibas ſemper in ijs abſconditam dulcedinem experiris: fons, ex quo, cùm non eſſes, ſoror mea proceſſiſti, & de quo, cùm ſis, viuis ipſa, & domus tua tota: fons, ex quo, quidquid in Aeternitate tibi promiſſum eſt, & quidquid expectas beatæ ſpei, tibi hauriendum eſt totum. Recordabor Domine miſericordiæ tuæ ſolius, & non confundar in æternum. O quàm bonum eſt ſoror mea, nos hic eſſe: Deus miſericors, quid timebo? Deus miſerator; quid non ſperabo? Non enim ſicut miſeretur homo, & miſereris, Deus meus: neque ſicut miſerationes hominum, ita miſerationes tuæ ſunt. Miſeretur quidem homo, ſed non ſemper commodat, quia non ſemper habet; & quod bonum alteri

cupit, præſtare ſemper alteri non poteſt. Verùm tu Deus meus, cùm ſimul ſis miſericors, & omnipotens, bonum, quod nobis miſericors cupis, etiam nobis miſerator tribuis: ſubeſt enim tibi, cùm velis, poſſe, & in voluntate tua Domine, vniuerſa ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ; & licet tibi, quod vis facere. Tu igitur ſolus, Deus meus, beatus ille es, qui ſemper miſereris, & ſemper commodas. Sed quo magis gaudeas, ſoror mea, ſcire debes; quod ratio, ſeu affectus iſte miſerendi in Deo paſſio aliqua, vel qualitas non eſt, quæ in hominum animis modò laudatur, modò deſideratur, modò adeſt, modò abeſt: ſed eſt ipſa eadem natura eius, ipſa Deitas. Deus meus, miſericordia mea, inquit S. Dauid: ſicut enim Deus charitas eſt, ita etiam miſericordia eſt; & qui nimia charitate dilexit nos, oportet etiam, vt nimia miſericordia miſereatur noſtri: & ſicut Deus ſemper, & vbique Deus eſt, ita ſemper, & vbique charitas eſt, & miſericordia eſt, vnde non aliqua à nobis occaſione ſumpta, neque à nobis motæ, ſed ſponte ſua fluunt aquæ miſerationum ſuarum, quæ irrigant, & fæcundant, & ornant omnia opera manuum eius, itaut nulla vi perennis illarum curſus impediri, vel retardari poſſit, quin ferantur ſuper Cœlum, & terram, & ad ipſius etiam inferni inferioris decliuia deſcendant: fluunt manè, & diluculo nos præueniendo; Repleti ſumus mane miſericordia tua; Deus meus miſericordia tua præueniet me; fluunt in meridie, fluunt veſpere, fluunt quotidiè, fluunt vbique, omnia bona in nos operando; & miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Quare ſi fortè vereris turpitudinem tuam, ſoror mea, nec audes adire iuſtum iudicem pro obtinenda corona iuſtitiæ, pro qua neceſſe eſt, bonum certamen certaſſe; curſum conſumaſſe, Fidem ſeruaſſe: acceſſum ſemper habes ad Patrem miſericordiarum, vt faciat tecum miſericordiam ſuam, vt coronet te in miſericordia, & miſerationibus: ſufficit enim exponas illi pro merito miſeriam tuam, neceſſitatem tuam, & roges ipſum, vt miſereatur tui; non enim aliud meritum prærequiritur ad id, quod tribuitur miſericorditer, neque aliud exigitur pretium, neque alia merces; gratis datur, abſque vlla commutatione datur, quod per miſericordiam datur; velle tantùm tibi pro merito ſatis eſt, vt medicus iſte tuus miſericors, Chriſtus tuus IESVS, ſanet in te omnes infirmi-

tates

tates tuas. Audi vocem ipſius dicentis; Vis ſanus fieri? Quid tibi vis faciam? Quaſi dicat: parata eſt, in promptu eſt miſericordia mea, vis vt miſerear tui? Ecquis eſt miſer ille tam miſer, qui ſibi nolit fieri miſericordiam, qui nolit dicere miſerere mei Deus, miſerere mei? O theſaurus miſericordiæ Dei vnico verbo comparabilis! Miſerere mei: breue verbum, quo clementiæ pelagus continetur; nam vbi miſericordia, ibi ſunt omnia bona. Quomodo non exardeſcis, ſoror mea, in meditatione, tam boni Domini tui, Dei tui? non auro, non argento, non prætioſis muneribus, non multa eloquentia, non pluribus argumentis opus habes, vt ad miſericordiam, & lenitatem inflectas Deum tuum; non multum eſt tibi cogitandum quomodo, aut quid loquaris, vt ad benefaciendum tibi Deum inclines. Reges terræ, & omnes Principes, & Iudices terræ his artibus ad clementiam alliciendi ſunt; Deus tuus diuitias, & munera ſua poſuit in poteſtate volentis, petentis, tantum de his habere poteſt quilibet, quantum petit, quantum vult: ipſam voluntatem affer, ipſum deſiderium, ipſam ſitim, & ſenties ſtatim impetum fluminis iſtius, qui lætificat Ciuitatem Dei. Sitis ipſa pretium totum eſt, quo venalis eſt aqua cœleſtis: audi non me, ſed ipſum Deum non aliud pretium exigentem. Omnes ſitientes, inquit, venite ad aquas; venite, & emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac. Non ſic ignis comburit ſyluam, quàm citò Dei bonitas conſumit omnem indigentiam, & miſeriam, & nequitiam noſtram, ſi accedimus, & approximamus ad illum. Vis ſanus fieri? ſanus factus es. Vis mundari, mundàtus es; eſuris, & ſitis iuſtitiam, beatus es: Deum deſideras, Deum ſitis ex toto corde; Deum iam habuiſti: deſiderium enim ſupponit amorem, nec quiſquam poſſet Deum diligere, ſi eum, quem diligit, non haberet. Nihil omnino intercedit inter petitionem Dei miſericordiæ, & conſequutionem illius; accedis ad eum, & illuminaris; aperis os tuum, & implet illud: Denique, non poſt inuocationem, ſed cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ; neque ſtatim poſt tribulationem, ſed in tribulatione dilataſti mihi. Certè vitæ æternæ verba ſunt iſta. Quid modo vereris, ſoror mea, vel multitudinem, vel magnitudinem, vel turpitudinem peccatorum tuorum? Illorum eſt certè aliquis reperiri numerus, & finis aliquis: ſed miſerationum

rationum eius non eſt numerus, & miſericordiæ eius non eſt finis. Etiamſi omnia totius Mundi peccata, vel mille vicibus quotidiè perpetraſſes, minor ſemper eris cunctis miſerationibus Dei tui: nonne quaſi Cete venter eius abſorbens in ſe abyſſos? Nonne quaſi leo, qui quo maiorem conſpicit prædam, eò alacriùs ad eam capiendam aſſurgit: quare hoc? niſi quia præſtabilis eſt ſuper omni malitia Deus noſter: & non de noſtro, ſed de ſuo & benignus, & miſericors, & optimus eſt; amor verus eſt, & virtus perfecta, quæ alterius impulſu non indiget, ſed ſibi ipſi cauſa eſt, & origo amandi & diligendi, & benefaciendi: amat, & diligit, & benefacit, quia amare, & diligere, & benefacere vult; & ſicut diuinus iſte amor infinitus eſt, ita infinitè inclinat, & propendit ad amandum, & ſeſe communicandum. Sed quomodo extra ſe infinitè communicari vnqnam poterit diuinus iſte amor? Erit igitur terminum aliquem, & limitem ſemper ponere, quo ſe actu creaturis ille communicet: ſed propenſioni, & pronitati, & cupiditati illius ad ſe communicandum quis modus, aut terminus conſtituetur? Sola, & vnica eſt æterna illa, & interna communicatio, Deus meus, quæ replet & ſatiat in bonis deſiderium tuum, cùm de te ipſo in te ipſo delitijs tuis paſceris, cum Pater Filio, Pater & Filius Spiritui Sancto eandem eſſentiam, eandem ſubſtantiam, eandem diuinitatem, omne idem bonum communicant: ſed quodcunque extra te bonum promanat, licèt multiplex, licèt valdè magnum ſit, minus tamen ſemper erit, & infinitè minus, quàm ſit propenſio, & deſiderium tuum ad benefaciendum, & miſerandum. Vnde, ſoror mea, priùs in ore tuo deficere poteſt ſitis aquarum Dei, quàm deficere poſſit in viſceribus Dei ſitis eas elargiendi tibi; & ideò ipſe eſt, qui clamat: Omnes ſitientes venite ad aquas. O peccator, quicunque ſis, quã ſollicitus, quàm facilis, quàm, quàm audax accederes ad has aquas, ſi ſemel cogitares ab eo illas tibi offerri, qui ad benefaciendum tibi in deſiderio animæ tuę infinitè excedit vota tua? Peccaſti peccatum grande nimis Iuda quando tradidiſti proditor Magiſtrum tuum, Chriſtum tuum argento vendidiſti; ſed multo grauiùs peccaſti quando veniam deſperando, Dei tui viſcera inuaſiſti, & miſericordiam illius vulneraſti, & vno eodemque laqueo, & ſpiritui tuo, & miſericordiæ Dei viam intercludere cogitaſti: tu ſolus in te crudelis,

Digitized by Google

lis, & immitis fuiſti, dum voluiſti obumbrare miſericordiam Dei, & abſcondere te à calore bonitatis eius, cuius influxu, etſi in perniciem tuam carere voluiſti: prohibere tamen non potuiſti, quin ad alios benignos immenſæ pietatis effectus, etiam malitia tua deſeruieret: mauult ſiquidem diuina miſericordia de malis bona facere, quàm nulla eſſe permittere. Totus dulcis, totus ſuauis, totus benignus eſt Deus noſter, totum ſe ſponte nobis tradit, & de Deo tantum habere poſſumus, quantum volumus; & tamen (ò mens cæca hominum, & curuata vſque in finem) tanquam quid Deo melius inuenerint homines, in ijs ſpem ſuam ponunt, & ea ſequuntur, quæ cum vehementer concupierint, & poſtquam multum in his laborauerint, & laſſati fuerint, auxilij, & conſolationis quidquam non habent. Itàne obliuiſcimur Dei? Sed tu, ò ſoror mea, imitare Regem illum, cuius anima, cum ita anxiaretur, vt conſolari omninò renueret; nec haberet in tota latitudine regni ſui, & in abundantia tanta rerum omnium vndè ſubleuaret miſeriam, & leniret dolorem ſuum, tantummodò memor fuit Dei, & delectatus eſt. O Dauid Sancte, tam magna illa afflictio, tanta turbatio, amaritudo tanta, tam citò diſſipata eſt? Memor fui Dei, & delectatus ſum, inquis? Non prius auxiliares manus expectas non pharmaca experiris? & quam vnquam ægritudinem ſola medici expulit recordatio? Sed omnem ipſe admirationem tollis, quando in recordatione Dei tui miſericordiam illius ante oculos tuos fuiſſe dicis: & ideo meminiſſe Dei non potuiſti, quin ſimul etiam miſericordiæ ipſius memor fueris, quam abſcindere in finem, & cuius obliuiſci non poſſe meditabaris: à facie autem miſerantis Dei tribulationes omnes fugerunt. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi. O facilem, & parabilem medicinam, quæ non ſolùm animi mœſtitiam ſedat, ſed etiam delectationem parit! quid mirum ſi Sanctus hic Pſaltes miſericordias Domini in æternum cantabat? Sed vide modò mulierem ſapientem, vt etiam ab illa exemplum ſumas: vndique malis circundabatur, nec erat, qui adiuuaret: videbat ſe in portis tribulationum, præſſura flammæ circumdabat illam, altitudine ventris inferi terrebatur, irruebant in eam pariter lingua coinquinata, verba mendacij, Rex iniquus, & lingua iniuſta: ſic obſeſſa reſpiciens erat in adiutorium hominum,

minum, & non erat: ecquid reliqui habes ô mulier, vt à tot periculis eruas, & liberes te? Memorata ſum, inquis, miſericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ à ſeculo ſunt. Ecquænam eſt operatio iſta Dei, quæ à ſeculo eſt? quoniam, inquis, eruis ſuſtinentes te: huius igitur operationis meminiſſe, fuit ſalus tua ò mulier? hæc fuit oratio, quam exauditam dixiſti; ideo liberata es, & confeſſa es Domino tuo Regi, & laudem illi dixiſti, & nomini eius benedixiſti? Ita eſt ſoror mea, cum ignoramus quid agere debeamus, hoc vnum habemus ſemper reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad Deum, cuius cor, cuius viſcera, ita amore languent, vt in vno oculorum noſtrorum, & in vno colli crine vulnerentur. Ita eſt, ſoror mea, inuocatio Dei, non ſolum dimidium facti eſt, ſed eſt ipſum totum: propè enim eſt omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate: inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero: delectare in Domino, & dabit tibi petitiones, non ſolùm oris, ſed cordis tui: ipſe enim idem Pater eſt miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus eum: denique in omnibus vijs tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. Hinc eſt ſoror mea, quod mirari non debes, ſi vides cætera animalia munita à Deo, & armata, aut celeri pedum curſu, aut vnguibus, aut velocibus pennis, aut dentibus, aut cornibus: hominem verò his omnibus deſtitutum: qui enim in ſe infirmior cæteris animantibus, in Deo fortior eſt omnibus. Siquidem optimo conſilio miſericordia, & ſapientia Dei ita hominem diſpoſuit, vt ipſemet Deus eſſet omnis virtus illius: & vt eum ſibi tanto arctiùs deuinciret, tantòque ipſe magis ad amorem Dei ſui inflammaretur, quantò magis indigere ſe Deo conſpiceret, & in ipſo tantummodo ſalutem ſuam eſſe cognoſceret. Hinc S. Dauid: Quid enim mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Hinc Paulus: Omnia poſſum in eo, qui me confortat: qui tamen ex ſe nihil eſſe fatebatur. Hinc Franciſcus: Deus meus, & omnia. Hinc Deus ipſe, & Mater, & nutritius factus Ephraim vſque ad ſenectam, & canos. Ego, inquit, feci, & ego feram, ego portabo, ego ſanabo. Ideò ſoror mea, ſint oculi tui ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes tuos: prouideas Dominum in conſpectu

ſpectu

ſpectu tuo ſemper, quoniam à dextris eſt tibi ne commouearis: quod ſi vides iniquos, & iniuſtos, in miſerijs peccatorum quandoque ſubſiſtere ſcias, quia non eſt Deus in conſpectu eorum; ideò inquinatæ ſunt viæ illorum in omni tempore: Dixerunt inſipientes in corde ſuo, non eſt Deus; ideò corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in vijs ſuis. Tu verò ſoror mea, obliuiſcaris potiùs dexteræ tuæ, quàm obliuioni tradas miſerationes Domini, & priùs adhæreat lingua tua faucibus tuis, quàm non memineris miſericordiæ illius; ſemper laus eius ſit in ore tuo, cuius miſericordias in æternum cantabis, & cum electis omnibus confiteberis, dicens, miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius.

THESAVRVS XI.

Cor Dei paratum adhuc duriora pati, ſi opus eſſet, pro noſtra ſalute.

POſtquàm ſediſti ad fontem diuinæ miſericordiæ, ſoror mea, & ibi recreata es, & iucundata; ſurgamus nunc, & ambulemus in fortitudine aquarum iſtarum, ad perſcrutandos ſemper nouos fontes, qui vndequaque abundanter ex illo vno primo fonte ſcaturiunt, auro, & pretioſis margaritis omnes referti. Multa & innumerabilia fecſti tu nobis Domine, & quidem mirabilia, ex quibus, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum, poteſt te cognoſcendo ingentes in ſe deriuare diuitias, & opes immenſas. Sed aperitur nunc mihi fons iucundiſſimus ex ijs, quæ abſcondita ſunt in te; ex cogitationibus ſcilicet tuis, in quibus non eſt, qui ſimilis ſit tibi. Hi etenim etiam fluctus, hæc etiam excelſa tua ita ſuper me pertranſeunt, & abluunt, & fæcundant me, vt ſi quid in me habeam quod retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuiſti mihi; pro ijs, quæ retribuis mihi in cogitationibus tuis, quid in me erit, quod retribuam tibi? Neſcio Domine, & mea hæret mens dum cogito, an magis tibi debeam pro magnalibus ijs, quæ feciſti animæ meæ, an pro ijſdem, & ijs etiam maioribus, quæ facere, & perpeti paratus es, ſi

Digitized by Google

opus eſſet, pro ſalute animæ meæ. Certè apud te Domine, res ipſæ, & vota rerum ipſa, facta, & certa faciendi voluntas, eadem in ſtatera appenduntur, & idem illorum pondus cenſetur: ſic & impijs æterna manet pœna pro peccatis, quia æterna in eis manet peccandi voluntas; & quia ſuperbia eorum aſcendit ſemper ad te, ideo ſemper puniuntur à te: & è contra iuſtis æterna manent præmia meritorum, quia apud te iuſtitia eorum quam concupierunt in æternum, manet in ſæculum ſæculi. Sic etiam mihi Domine liceat metere, & fructus colligere ex ijs, quæ non ſeminaſti, ſed in mente tua, & præparatione cordis tui aliquod tamen eſſe habent; ita vt in horrea diuitiarum mearum, inter theſauros meos poſſim recondere, non ſolum quidquid mihi operibus, & laboribus tuis promeruiſti, ſed etiam quidquid adhuc paratus es facere, & pati pro eadem ſalute animæ meæ, ſi opus eſſet: maneat enim hæc lex inter me, & te Domine Ieſu, vt voluntas pro facto reputetur. Quod ſi quæſieris, ſoror mea, vnde hæc tanta benefaciendi tibi in Deo appareat voluntas, vt quæ ſemel fecit, & paſſus eſt, iterū facere,& pati paratus ſit pro tua ſalute, iniuriam magnam facis Deo tuo: in homine quidem quæri hoc poſſet, qui bonus deſinere eſſe poteſt; in Deo non poteſt: Deus noſter idem heri, & hodie, & ſemper; & nunc etiamſi homines mali ſint, non tamen fuerunt meliores, qui præceſſerunt eos; neque enim propter iuſtitias eorum, ſed propter nimiam charitatem ſuam, ſaluos illos fecit Deus; quæ cum ſit ſemper eadem, & indeficiens, & immutabilis, nihil minus nūc faceret pro ſalute hominum eo, quod ſemel fecit, ſi quod ſemel fecit, modò non ſufficeret. Ergò, inquis ſoror mea, ſi oporteret, iterum Filius Dei non abhorreret Virginis vterum, non labores, non tot opprobria, non flagella, non Crucem? Ita eſt ſoror mea; immò audi, & exardeſce in dilectione Dei tui. Non ſolum Chriſtus Filius Dei, ſed & Pater ipſe,& Spiritus Sanctus adeò diligunt te,& ſalutem tuam, vt quælibet perſona parata ſit ex eiuſdem indiuiſæ charitatis impetu corpus adaptare ſibi, & eadem pro te pati, quæ ſemel Filius paſſus eſt. Non capis puſilla mea ſupereminentem hanc charitatem, & ideò non capis dignitatem tuam, & diuitias tuas, O in me diligendo, & in me iuuando ſemper pro me fælix Trinitatis Vnitas! Collige hinc, & pro te mete quidquid Aeternus Pater, quidquid Spiritus Sanctus ſimul

cum filio facerent, ſi id opus eſse cognoſcerent, pro ſalute tua; ſiquidem etiamſi cognoſcerent adhuc oportere quamlibet perſonam pati, & ita nos intrare in gloriam ſuam, adhuc pro nobis pati non dubitaren: Cum igitur pati amplius non oporteat, cùm abundantiùs redemptionem acceperimus; ſed tantùm adiuuandi ij ſint, pro quibus Chriſtus ſemel paſſus eſt, quomodo fieri poteſt, vt deneget illis Deus auxilium ſuum, pro quibus paratus eſt iterum profundere ſanguinem ſuum? Sed ne maieſtate tantæ charitatis opprimaris, aſpice ſingulariter, & attentiùs Chriſtum tuum, quantum ſitiat etiam nunc ſalutem tuam: ſitiuit illam quamdiu in carne vixit, & dum moreretur, ſitiendo ſe ex hoc Mundo diſcedere faſſus eſt; nec potuerunt aquæ multæ extinguere charitatem illam ęternam, qua diligebat te, neque flumina potuerunt extinguere illam, & quamuis dederit tibi omnem ſubſtantiam domus ſuæ, quaſi nihil deſpexit eam. Sitis adhuc in Cælo Ieſus Saluator meus, & quaſi ignorans, quæ in diebus carnis tuæ acciderint tibi, In Hieruſalem, Romam, & in omnem Ciuitatem, & locum, iterum vadis crucifigi paratus pro nobis, ſi opus eſſet. Ipſe hoc nobis indicaſti quando Petro apparuiſti Crucem baiulans, dum ille ab Vrbe, & à Cruce fugeret, vt ſcilicet quod ore tuo de hac ſiti tua iterum pro nobis patiendi ipſi conteſtabaris, ipſe deinde Romam rediens morte ſua ſimiliter per Crucem vti tuus Vicarius toti conteſtaretur Eccleſiæ. Hoc idem nobis demonſtraſti, quando apparuiſti B. Carpo indignabundo, & frementi contra quoſdam peccatores, qui ad pœnitentiam conuerti nolebant: dum enim eos videret B. Carpus delabi in horrificum quendam terræ hiatum, & ab illo ipſos abſorberi, ac flammis inde manantibus deuorari cuperet, ſic illum affatus es: Carpe feri me; paratus enim ſum pro ſalute hominum iterum mortem tolerare, mihique hoc pergratum eſt, vt homines peccare deſinant. Sed abſit ò bone Ieſu, vt iterum pro me inter opprobria exprobrantium tibi videam te, & inter flagella, & vulnera, & Crucem: millies ego mallem mori, quàm videre mala Dei mei. Sanaſti me ſemel hoc pretio magno, dulcis Samaritane, quando appropriaſti mihi, & alligaſti vulnera mea, ſoluēdo peccata mea; & infudiſti oleum, & vinum, effundendo de latere tuo aquam, & ſanguinem; curam etiam mei ſtabulario, ſcilicet Eccleſiæ paſtoribus,

Digitized by Google

commiſiſti, & duos denarios proferens, doctrinam videlicet & ſacramenta: ſatis hæc ſunt, iſta denuò non poſtulo: ſed quando ſupererogare ipſe iam cupis in hac tua iterum pro me patiendi promptitudine, & voluntate, quæ non minoris meriti eſt, ac valoris, quàm ipſa paſſio; quando ita vis, pete à Patre tuo, vt reddat tibi etiam pro ea ſalutem meam. Hoc eſt, quod modò peto, quod ſpero; non eſt agendum ampliùs flagellis, non verberibus, non Cruce: dic tantùm modo vnicum verbum, & ſanabitur anima mea: eris ne tardus ad vnicum verbum pro ſalute mea, pro qua paratus es modò etiam ad mortem? Verùm neque opus eſt verbis, hæc enim ipſa bonæ tuæ voluntatis promptitudo, hoc ipſum deſiderium, hæc ſitis, quæ manet ſemper in conſpectu Dei Patris tui, ipſum interpellat, vt reddat ſibi mercedem ſuam; neque enim æquum, & iuſtum eſt, vt irremunerata maneat bona voluntas *filij*, quando deſiderium pauperum ſeruorum ſuorum exaudiuit Dominus, & præparationem cordis eorum audiuit auris illius. Veni igitur, ſoror mea, veni nunc in hortum hunc tuum, in hortum paſſionis ſic concupitæ à Chriſto tuo, vt comedas fructus pomorum ſuorum: quam dulces erunt gutturi tuo fructus iſti, in quibus ſolus ſapor, & dulcedo charitatis, & amoris experitur: Iſte nunc ſit hortus tuus: inuitat quidem etiam te dilectus tuus ad hortum alterum, ad hortum Gethſemani; ſed in ipſa ianua ſtatim inuenies myrrham, quam tu peccando plantaſti, & ipſe patiendo meſſuit: heu, quantum eſt ibi quod doleas, & plangas, antequam mel comedas in eo, & vinum,& lac bibas: heu qualem eum video, dum ibi pro me paſſum eum recogito: heu fuge dilecte mi; cincinnos illos ſanguine madentes, vepres illos, foramina illa horrent nunc oculi mei. Sed cùm te eundem ipſum recogito etiam nunc amore languentem, & cupientem pro me mori, veni, veni dilecte mi, quia in lectulo gloriæ tuæ hac charitate vulneratum lætus te aſpicio, in reclinatorio illo aureo, inter columnas argenteas, ſtipatus, & circumdatus à fortiſſimis Iſrael in diademate,quo coronatus es in die lætitiæ cordis tui. Mirabile, ſed doloroſum fuit ditari ſemel à paupere egeno, & patiente Chriſto; ſed à Rege nunc Gloriæ Chriſto adhuc ſic pati cupiēte locupletari, quid ſoror mea facilius, quid fælicius, quid ſuauius? qui tibi non petenti dedit egenus vitam per ſuum ſanguinem, quàm facilis

lis dabit nunc tibi petenti, quidquid opus habes ad tuam ſalutem, quam tibi in Regno iam ſuo per vnicum verbum, per vnicum velle præſtare poteſt? Imò ſi etiam nunc, cum ſit Rex Gloriæ, adhuc pro te ponere animam ſuam paratus eſt; quid ab eo petere potes, quod minus non ſit dilecta anima ſua? Multa ſunt, fateor, peccata mea, & iniquitates meæ, quibus iram tuam merui ò Pater: ſed ſi aſpicis ad hanc voluntatem, & promptitudinem Chriſti tui, quæ manet in æternum, quomodo non donabis illi pro mercede ſua quidquid minus eſt anima ſua? Deus iudicium tuum Regi da, & exalta hanc bonam voluntatem eius, ſicut exaltaſti mortem ipſius: & quomodo exaltabis eam, niſi propterea etiam des illi omnem poteſtatem omnia mihi præſtandi, quæcunque opus habeo, ſiue in Cœlo, ſiue in Terra? Ecce, ſoror mea, vidiſti quàm diues ſemper eſſe poſſis, ſi habitas in hac bona voluntate Chriſti tui: ò ſi ex Regibus Terræ haberes adeò diligentem te, vt ſcirent omnes, paratum eſſe vitam quotidiè pro te effundere; quantas opes breui reconderes? quos diuitiarum cumulos congregares? quos theſauros poſſideres? Regem Regum Dominum ſic ad mortem pro te paratum faſtidis, & dimitti manis inanis, quàm eſurire diuitias illius, quas ſi tantùm eſurias, ſaturaris? Si ſepties, ſi ſeptuagies ſepties diſſipaſti peccando bona tua, patrimonium tuum; Quare non ſtatim accurris ad genua, ad vulnera Chriſti tui adeò diligentis te? Non eſt minorata pecunia fideiuſſoris tui, nec illius mutata voluntas: in quacunque hora ingemueris, ſtatim reperies in eo, & per eum omnia bona tua, diuitias tuas, etiam cum fœnore, cui enim plus dimittitur, plus diligit. O ſanguis Chriſti ſanguis meus, prætium perenne ſalutis meæ, ſemper in latere illo pro me manens, ſemel pro me effuſum, & iterum pro me ſemper effundi paratum; quæ purpura, quæ corona adeò beare me poteſt, ſicut ipſe me beas? Salue ò Crux adeò à Magiſtro, & Redemptore meo Chriſto Ieſu adhuc ſic concupita, fac per te me recipiat, qui ſemel in te moriens me redemit.

THE-

Digitized by Google

THESAVRVS XII.

Deus Pater.

Abyſſus abyſſum inuocat, theſaurus theſaurum oſtendit in voce cataractarum miſericordiæ Dei. Pater oſtendit diuitias in Filio, & Filius in Patre: ecce nunc Filius dicit ad te, ſoror mea, ſi diuitem te cognoſcere vis, ſi opulentam, ſi nullius indigentem, ſi beatam; dic etiam tu Patri meo, qui in Cœlis eſt; Pater meus es tu. O vox vocum omnium ſuauiſſima, plena dulcedinis, & amoris, plena iucunditatis, & lætitiæ; vox in ſe continens vitam meam, ſalutem, & gloriam meam: vox bonorum omnium pignus, fœderis, & pacis ſignum, æternitatis principium, diuinitatis delibatio! Tu ſis prima, tu ſis poſtrema in ore meo, in te exultent labia mea, & lingua mea laudem dicat tibi. Deus Pater meus! Quæ nobilitas, quæ dignitas, quæ excogitari poteſt excellentia maior? Deus Pater meus! quod haberi patrimonium maius, quod poſſideri peculium locupletius, quę expectari hæreditas amplior poterit? Deus Pater meus? quæ cura magis affectuoſa, quæ magis ſollicita cuſtodia, quæ magis prouida gubernatio? Deus Pater meus? quæ charitas tam immenſa, quis amor tam arctus, quæ dilectio tam ignita? O ſoror mea, ſi per fidem Deum Patrem habere nos credimus in Cœlo, verè etiam credimus, quod dij ſumus, & filij Excelſi omnes: quam igitur timere poteſt paupertatem, & miſeriam in terra, qui habet quem inuocet in Cœlis Deum Patrem omnipotentem? Quid igitur mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus Pater meus, & omnia? Deus cordis mei, eſt pars mea Deus in æternum. Crede mihi, ſi verè credis, Deum tibi eſſe Patrem ſalua facta es, ſoror mea: non enim ſine cauſa Philippus ſufficere nobis (dicebat ad Dominum) ſi tantùm Patrem oſtenderet nobis. Sed quomodo homo, tam humilis, tam abiectus, & tam vilis, Patrem ſe habere Deum vnquam crederet, niſi ipſe Dei Filius hoc docuiſſet, & nobis paruulis reuelaſſet? Quanta coniunctio, quanta vnitas, quanta ſimilitudo, quanta æqualitas intercedit inter Patrem, & Filium? Compone nunc Deum, & hominem;

nem; quæ diſtantia maior, quæ maior diſparitas? Deus eſt, qui eſt; homo, nihil eſt: Deus immenſus, æternus, optimus, beatus; homo terra, & cinis, in miſerijs nutritus, in miſerijs non ſubſiſtens, pronus ad malum, ſimilis vanitati peccato obnoxius, mortis captiuus. Præterea quid magis filio familiare, quàm videre, & alloqui Patrem? De Deo autem dicitur, quod non videbit Deum homo, & viuet; & cum ſit puluis, & cinis, vix audet loqui ad Dominum ſuum. Ita eſt ſoror mea; perſuadere hoc homini humana ratio nunquam potuiſſet, niſi os Domini loquutus fuiſſet, & ipſa tota Trinitas conteſtata eſſet, audi teſtimonium Patris Filium Mariæ, verum Deum, & verum hominem, Filium ſuum appellantis Hic eſt Filius meus dilectus. Audi teſtimonium Filij admonentis, & præcipientis, vt cum oramus, ita Deum inuocemus. Pater noſter, qui es in cœlis. De Spiritu Sancto, audi Paulum docentem, quod in ipſo clamamus: Abba Pater, & quod teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. O magnum, ò admirabile arcanum, ò ineffabilis dignatio! Quodcumque nomen dixit rebus Adam, hoc nomen eſt eis: nonne multò magis quod nomen dixerit Deus hominibus, hoc nomen erit eis? Videte igitur qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus? Et vt in tanta tuà dignitate admirari, & dubitare omninò deſinas, cogita non priùs te filium Dei appellatum, quàm ipſum Deum Filium hominis; & tunc ſpecialiter cæpiſſe hominem Deum habere Patrem, cùm cæpit Filius Dei eſſe filium hominis, vt facta mirabiliora fidem adſtruerent minoribus; & ex ijs, quæ in ipſo facta vidimus, etiam noſtra credere diſceremus. Verum nobis præcipuè, ſoror mea, qui circa horam vndecimam venimus reſeruata fuit hęc fælicitas; nec fecit taliter omni nationi, quibus iudicia ſua non ita manifeſtauit Deus. Scrutare Scripturas, videbis frequenter, quod Dominus nomen eſt ei, zelotes, Deus terribilis, magnus in maieſtate, faciens prodigia; videbis populum Iſraeliticum ſub iugo duro, & penè intollerabili duram, & miſerrimam ſeruire ſeruitutem. At poſtquàm venit plenitudo temporis, quando vilis, & captiuus ſeruus ad eam gloriam euehendus erat, vt contraheret nuptias cum Rege domino ſuo, ne deturparet, & ignominia afficeret Regiam ſponſi maieſtatem vilitas ſerui, cooperuit ſplendor Regis ignobilitatem ſerui;

& tunc

Digitized by Google

& tunc nomen, & titulos, & priuilegia, & iura filiationis, libertatis, & Regni in illo, ipſe ſeruus vſurpauit. Tunc non ſicut olim cum ancillæ filijs per Prophetas, ſed tanquam cum filijs liberæ per filium ſuum loqui nobiſcum dignatus eſt Deus, tunc ad nos venire, & manſionem nobiſcum facere, & delectari nobiſcum cæpit: tunc Patrem ſe nobis inſinuans, & per ſimilitudines, & parabolas iuſſit ampliùs non timere, etiamſi eſſemus puſillus grex, eò quod complacuit Patri noſtro dare nobis Regnum. Hinc illæ voces, omnium bonorum nobis ſecuritatem in hoc vno Patris nomine promittentes. Quis ex vobis, inquit, Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter cœleſtis de cœlo, dabit Spiritum bonum petentibus ſe? Hinc ne ſimus ſolliciti monet, quid manducabimus, aut quo operiemur: ſcit enim, inquit, Pater veſter, quia his omnibus indigetis; reſpicite volatilia cœli quomodo non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa; nonne vos pluris eſtis illis? Hunc Patrem noſtrum cœleſtem demonſtrans nobis Pater ille, prodigum filium, qui diſſipauerat omnem ſubſtantiam ſuam, in ſe reuerſum, & Patris nomen inuocantem, Patris affectu ſuſcipit, & erga eum partibus omnibus veri, & amātiſſimi Patris cū gaudio fungitur. Denique oſtendens quod omnes alij Patres in comparatione Patris vnius cœleſtis, neque nomine patris digni ſunt. Nolite, inquit, vocare vobis patrem ſuper terram; vnus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt: omnis enim alia paternitas, quæ inuenitur ſiue in cœlo, ſiue in terra, ab hoc vno Patre luminum denominatur, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum deſcendit: Vnde ſicut ipſe ſol, lux noſtra magis eſt, quàm ipſæ ſtellæ, quæ luce lucent aliena, ſic magis decet nos appellare patrem noſtrum, hunc Patrem cœleſtem, quàm quemlibet alium, qui ſit ſuper terram, cum omnes alij patres ab illo vno Patre participent, quod patres ſint. Quid igitur vnquam boni, ſoror mea, à carnalibus parentibus petere; ac ſperare potes, quæ pietatis officia poſtulare, quam prouidam curam expectare, quæ incrementa diuitiarum, & honoris, & quas voluptates & ſolatia conſequi, vt non multò certiùs, multòque veriùs hæc eadem omnia, multòque ijs maiora ſperare debeas à Patre

tuo

tuo cœleſti? Certè, etſi mater obliuiſcatur infantis vteri ſui, ille tui non obliuiſcetur. Homo pater ſæpè deficit in curâ filiorum, vel propter inopiam, vel propter improbitatem, vel propter malitiam filiorum, vel propter ipſam rerum contingentiam: Deus Pater ſemper diues, ſemper omnipotens; ſemper amans, ſemper ſapiens, ſemper optimus, ſemper prouidus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione nunquam fallitur; dat eſſe, dat bene eſſe; dat formam, dat etiam conſequentiam ad formam, dat filiationem filiorum Dei, dat etiā & libertatem filiorum Dei, & honorem & hæreditatem, & omnia quæ conſequuntur tantam filiationem. Elegit Mariam in Matrem ſuam, conceſſit illi ea omnia, quæ tantam dignitatem conſequi decebat: elegit nos in filios; ergo nihil omninò nobis negabit, quod deceat filios Dei. Dilata, dilata, ſoror mea, cor tuum, quantum potes, O quàm ingens eſt domus Dei Patris tui, quantum honoris, quantum ſubſtantiæ in ea modò poſſides, & quanta ibi te manet hæreditas! Cui aliquando Angelorum dixit Deus, Filius meus es tu? Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, & hanc ſpecialem filiationis excellentiam reuerentur in te, & ſeruiunt tibi. Omnia bona Patris noſtri cœleſtis noſtra ſunt quamdiu cum illo ſumus; ſicut Pater ille filij prodigi teſtatus eſt alteri filio, qui nunquam ab eo diſceſſerat; epulamur quotidie cum ipſo ſplendidè, dapes illas ſupernas, panem cœleſtem, & ſuperſubſtantialem manducamus, poculo cruoris ſui recreamur, & confortamur, ſtola iuſtitiæ ſuæ induit nos, annulo fidei ſubarrat nos ad gloriam: & quàm bonum, & quàm glorioſum eſt ab hoc Patre nunquam diſcedere; certè illi ſoli adhærere omne bonum eſt. Si quis nos tangit, tangit pupillam oculi eius, ſi quis nos ſpernit, illum ſpernit, ſi iniuria affi.imur ſibi vindictam reſeruat, ſi pericula imminent, ſub vmbra alarum ſuarum protegit nos, ſi labimur in via, ſupponit manum ſuam, ne collidamur, ſi ad latus impellimur, à dextris eſt nobis ne commoueamur, demum omnia oſſa noſtra ita cuſtodit vt vnum ex his non conteratur; ſed & capillum capitis noſtri non ſinit perire; Quæ mater, quæ nutrix ita cuſtodit puerum ſuum? Quidquid ab eo petimus tribuit, vel non tribuit ſecundùm quod nobis magis expedire iudicat; & ſi enim non ſemper exaudit ad voluntatem, exaudit ſemper ad vtilitatem. O fœlix conditio noſtra, ſoror mea, ſi cogno-

ſcimus; quandiu ſumus in hac domo Patris noſtri cœleſtis; omni bono in ea minui non poſſumus, in qua etiam ipſi mercenarij abundant panibus. O iterum iterumque fœlix Patria poteſtas à qua optabile eſt, vt nulla vmquam ætas eximat, nulla lex liberet, ſub qua quandiu viuimus, tamdiu non morimur, ſub qua nec impedimentum ſentitur ętatis, nec anguſtia peculij: Vtinam ſemper erga hunc Patrem ſim puer, & paruulus, & nunquam euadam vir, vt non euacuem ea quæ ſunt paruuli, immo ſemper magis fiam paruulus, quo magis euado vir. O Paule non ſentio modò contra te, nam quando iactabas te virum, in quo gloriabaris niſi in infirmitatibus tuis? hoc tuum erat adoleſcere non in fortitudine tua roborari, neque enim in fortitudine ſua roborabitur vir, ſed infirmum te magis & puſillum ſemper cogitare, adeo vt nec cogitare quidem aliquid ex te poſſe affirmares tanquam ex te, ſed omnem tuam ſufficientiam ex Deo, Aeterno Patre, & vero, eſſe prædicabas. Latum quidem, & amplum eſt nimis Regnum Cœlorum, ſed anguſtæ viæ illius ſunt, & non niſi paruuli incedunt, & intrant per eas; iſti ſunt enim, qui cogitatum ſuum iactant in paternam prouidentiam Domini ſui, & omnem ſollicitudinem ſuam proijciunt in eum, qui ambulant in ſimplicitate cordis, fratres diligunt, erubeſcunt in mendacijs, in periculis, & neceſſitatibus ad ſinum Patris confugiunt, & ſancti Nominis eius timorem pariter, & amorem ſtudent habere perpetuum. O Pater, Pater, ſis mihi tu ſemper in Patrem, & ego ſim tibi ſemper in filium. Fœlix filiatio per quam ſumus hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, per quam & venia delictorum, & largitio omnium bonorum tam facile obtinetur, per quam non vna, aut altera familia affinitate, & conſanguinitate mihi coniungitur, ſed quot quot verè fideles ſunt fratres mei ſunt, inter quos nullus eſt ignobilis, nullus deſpicabilis, ſed omnes Reges, & filij Regis, & eodem omnes gaudent honore. Etſi enim omnes homines æquales humana negat ambitio, fideles tamen omnes æquales, diuina probat dignatio: Quod enim primum pręſtantiſſimum & maximum eſt, in omnibus idem eſt; ſiue Chriſti fidelis ligone fodiat terram, ſiue diademate cingat caput, æqualiter filij Dei ſunt, & Deum æqualiter Patrem omnes appellant: Igitur, ſoror mea, vnum tantum tibi curæ ſit ab hoc Patre nunquam diſcedere, & pone theſaurum

Digitized by Google

tuum in cuſtodia mandatorum illius: quòd ſi forte deliqueris, & mandata illius prçterieris, cogita quod adeò bonus eſt Deus tuus, vt filium etiam appellet ſuum, qui bona ſua diſſipauit cum meretricibus; & quamuis fornicata ſis cum amatoribus multis, admonet te, inuitat, & rogat vt amodò voces eum, Pater meus es tu; O quanta tibi fiducia in hoc Nomine Patris? ò quam cito commouentur viſcera eius ad miſericordiam dum ſic inuocatur à filio? quanto cum gaudio ſupra collum ad ſe reuerſi filij recumbit, proferuntur ornamenta prima, mactatur vitulus ſaginatus, quia filius mortuus fuerat & reuixit, perierat, & inuentus eſt.

THESAVRVS XIII.

Chriſtus frater.

SI forte, ſoror mea, Pater noſter de cœlo propter occulta iudicia eius immittat famem ſuper vniuerſam terram, & ex omnibus theſauris tuis non reperias quid comedas; memento Ioſeph fratris tui qui dominatur in vniuerſa terra beatæ Hieruſalem cum omni poteſtate, & imperio, & habeat horrea multa, & plena, ſeruata fratribus ſuis pro tempore malo: frater quidem maior, quia primogenitus, ſed etiam minor quando venit ad vitæ veſperam & exinaniuit, & minorauit ſe ſuper omnes fratres. Frater & pluſquam Ioſeph à Patre ſuo dilectus, & pluſquam Ioſeph fratres ſuos diligens. Frater à fratribus ſuis deteriùs quidem acceptus & immitius, & duriùs habitus, humiliatus, & afflictus magis quàm Ioſeph, ſed non minus quàm Ioſeph à Deo ad hæc tolleranda miſſus pro ſalute fratrum ſuorum. Et ideo ſicut Ioſeph cùm eſſet in gloria ſua, propter ſcelera eorum non eſt oblitus fraternæ dilectionis, & nominis; Ego ſum, inquit, Joſeph frater veſter, quem vendidiſtis, ita Chriſtus meus, Dominus meus, & Deus meus, poſt Reſurrectionem ſuam recordatus eſt nominis ſui; Ite, inquit, nuntiate fratribus meis, nec memoratus eſt nequitię meę, vt non obliuiſceretur, quod caro, & ſanguis meus eſt. O Domine Ieſu, ſi non ſolùm in vniuerſa terra, ſed & ſuper omnes cœlos celebri ſer-

mone in Aula Regis, quod frater meus ſis, auditur, & vulgatum eſt; Quomodo tanta affinitate tibi fæderatus cùm ſim, etiam in tempore malo non mihi propter te bene erit & in Cælo, & in Terra? Antequam fratribus agnoſcendum ſe præbuiſſet Ioſeph, potuit illos inhonoratos mittere, ſollicitos habere, timore, & minis vexare; at poſtquam fratrem ſe manifeſtauit eis, gaudium factum eſt in vniuerſa Aula Ioſeph, omnis illis honor exhibitus, omnia bona Aegypti promiſſa, & ad ipſam medullam terræ comedendam ſunt inuitati. Si hæc omnia in figura contingebant eis, ò quam læta eſſe debes, ſoror mea, quantum ſperare debes à Chriſto Rege, qui palam te coram Deo, & Angelis, & hominibus fraternitatis titulo eſt dignatus? quam honorata incedes, quam tuta, quantis beneficijs exornata? neque enim ſicut Mundus dat ita Rex noſter, largitur inanes titulos, & verbà ſine re: ſi fratrem te dicit, verè frater es, & fraterni ſanguinis iura, & decora omnia per eum poſſides; ſed vt certior de conditione tua ſis, nonne vidiſti eum ſugentem vbera matris tuæ? & audiſti igitur eum tibi eſſe fratrem & vidiſti; O ſi conſentias anima mea habitare ſemper in vnum cum tam bono fratre & non diſſentire illi in omnibus vijs tuis, & de pinguedine terræ, & de rore cæli habebis quantum concupiſcis; hoc autem immenſum bonum, quòd eſt habitare in vnum ſemper cum ipſo, & non diſſentire ipſi, ſed potiùs toto corde illi ſemper adhærere, potes impetrare, & obtinere, ſi petis ab eodem hoc fratre tuo, qui dominatur non ſolum in omni terra Aegypti, ſed etiam in corde tuo, habens in manu ſua vertere illud quocumque voluerit, maiori facilitate quàm diuiſiones aquarum. Si ſapis igitur nulla tibi vnquam cum ipſo iurgiorum cauſa eſſe poterit, habitabis communiter cum illo in abundantia pacis, quamuis poſſeſſio, & hæreditas ſit magna nimis, & ſerui multi. Lubrica quidem res eſt inter nos concordia fratrum, quia fratres mali ſumus, & defectiui omnes; quia idem in poſſidendo ius, & eadem ſubſtantia, & hæreditas quanto communior pluribus, eo minus à ſingulis participabilis: & ſi quandoque ipſorum fratrum mens bona eſt & recta, & conſors voluntas, ex ijs, qui ſeruiunt, & famulantur diffidia, & odia frequenter gignuntur: quod rectè animaduertens Abraham, expertus, quod nec vniuerſa terra fratres capiebat duos, ita vt habitarent communiter,

muniter, videns quam turpe eſſet inter fratres diſſidia, dixit ad Lot fratrem ſuum, ne queſo ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos, fratres enim ſumus: Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo, ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. Sed tu, bone Ieſu, frater dulciſſime, non ita mecum agere potes; Ecce vniuerſum Regnum tuum, vniuerſa bona tua coram te ſunt, ſed in hoc Regno, in his bonis, nihil mihi iuris, nihil poteſtatis eſt niſi quæ mihi data eſt à te, & quamcumque partem mihi dabis, tua deſinere eſſe non poteſt, & ideò puto dixiſti Petro, non habebis partem mecum, quia ſine te partem aliquam proponere illi non poteras. Præterea non potes hanc mihi legem dicere, vt ſi ego dexteram eligam, tu ſiniſtram ſis electurus, nam ad quamcunque partem ſine te pergam ſemper ad ſiniſtram pergam; nam tu ſemper ad dexteram ſedes, & ſi etiam deſcendero in infernum, ades. Rixa etiam ex multitudine ſeruorum non eſt timenda, omnes enim ſerui, ſerui tui ſunt, & veſtiti ſunt duplicibus, quorum quo maior eſt ſocietas, eo maior fit ſubſtantia ſingulorum. Vide igitur, bone frater, ſi iurgia vitare volumus, ſi concorditer viuere, quomodo de diuiſione bonorum agere inter nos non expedit, ſiquidem diuidendo non ſolum bene viuere, ſed neque viuere omnino potero ſic à te diuiſus; & ſic fraterna iura lædentur, nec læti concinere poterimus, quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Debemus igitur contrariam legem ſeruare, & habitare ſimul, ne ſit iurgium inter me, & te, & numquam inuicem ſeparari, ſed tu in omnibus ſis mecum oportet, & ego tibi in omnibus ſeruire debeo, & hoc ipſum quod eſt tibi rectè ſeruire, tu mihi præſtare debes, quia tibi ſine te placere non poſſum; debes inquam hoc mihi præſtare, quia frater tuus ſum habens neceſſitatem, vt hoc mihi præſtes; & oro, & peto vt mihi hoc præſtes. Nam ſi quis habuerit ſubſtantiam huius Mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, charitas Dei non eſt in illo. Quomodo tu Deus meus, qui es ipſa charitas habens ſubſtantiam non ſolum huius Mundi, ſed cuius eſt totum quod eſt optimum, videns me fratrem tuum neceſſitatem hanc modò habere, claudere poteris à me viſcera tua, qui etiam pro me oſtendere adhuc potes patentia vulnera

tua?

Digitized by Google

tua? Debes igitur, ò bone Ieſu, ſuper hanc egenam ſororem meam, ſi eam adeò propinquam tibi agnoſcis, tanquam alter Booz ſuper ſupplicem Ruth pallium tuum extendere, virtutum tuarum illi participationem largiri, gratiæ, & iuſtitiæ ornamenta tribuere, protectionis ſcutum protendere; neque enim pallium iſtud tuum breue eſt, ita vt non poſſit, vt dixit Propheta tuus, operire duos; ſed iuſtitia tua ſicut montes Dei, & iuſtitia tua, iuſtitia in æternum. O ſi cooperiat te pallium iſtud quàm lætabunda progredieris? non timebis à frigoribos niuis, non æſtum caloris noxij, non incurſum inimicorum: non enim eſt aliud ſimile illi ſuper omnem terram; operit enim pallium iſtud in nobis multitudinem peccatorum, operit in Deo nimium illum maieſtatis ſplendorem ad quem non poteſt accedi. Iſtud ſit pallium tuum, ſoror mea, tene ſemper illud, & nunquam dimittas; & ſi quandoque per ſocordiam vel nequitiam tuam permittis ab aduerſario, qui circuit quærens quem deuoret, percuti te, & vulnerari, & pallio iſto ex poliari, clama cito, & vade cum omni fiducia ad fratrem tuum, vt recuperet ab hoſte tuo, ab hoſte ſuo ſpolia ſua; qui enim dixit tibi. Si videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris; multò magis ipſe videns te nudam operiet, & carnem ſuam non deſpiciet; frater enim in anguſtijs comprobatur. Adiutor fortis tibi erit, crede mihi; eſt enim fratrum amator pluſquam cæteri, & neminem deſerit niſi priùs ipſe deſeratur. O bone Ieſu diſcedat à me priùs ſpiritus meus, quàm ego diſcedam vnquam à te, ſi enim à te diſceſſero quo ibo? iurgium mihi tecum nunquam ſit, ſed ſi quandoque peccauero in te, quod nunquam vellem, increpa me, & corripe me inter te, & me ipſum ſolum, vt & tu lucreris fratrem tuum, ſi enim mortui audiunt te, fac etiam me mortuum audire vocem tuam; numquid pluſquam mortuus ego ſum? Sed & ſi pluſquam mortuus eſſem, & nihil eſſem, tu tamen vocas ea quæ non ſunt; ſicut ea quæ ſunt. Seruentur ergo Domine Ieſu inter nos iura fraternitatis, & non timebo mala; etiam ſi in infernum deſcendam, nam & ſi deſcendero in infernum ades. O quàm dulcis tecum in omni loco habitatio, quàm iucunda in hoc ſæculo tecum peregrinatio, non enim habemus fratrem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, vnde debuit per omnia

fratri.

fratribus aſſimiliari, vt miſericors fieret, & condolere poſſet ijs, qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate. Sed vt vera ſit & perfecta fraternitas, debes & tu etiam, ſoror mea, quantum potes aſſimiliari illi. Sit quidem ipſe qui ſuſtineat pondus diei, & æſtus, qui Crucem ferat grauiorem; qui vulneribus & ſanguine ſuo, viam tibi aperiat, tuum eſt ſequi, ſeu potiùs currere poſt eum, qui tam fortiter, tam ſuauiter te trahit in odorem vnguentorum ſuorum. In hoc enim verè frater ipſius dignoſceris: ſi quemadmodum ille petebat fieri non ſuam voluntatem, ſed Patris ſui, ita & tu ſemper fieri cupias & ores non tuam voluntatem, ſed Patris tui, qui in cœlis eſt: hac enim vnica teſſera veri fratres à falſis dignoſcuntur à Chriſto, nam admonitus ſemel quæri ſe à matre & fratribus ſuis, & ipſemet interrogans quænam eſſet mater ſua, & qui fratres ſui, manu extenſa diſcipulos ſuos oſtendit dicens, illos eſſe & matrem, & fratres ſuos eſſe, & hoc ideò, inquit, quia quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Hæc igitur manet recta regula bonæ fraternitatis, vt nullus fratrum ſibi aliquid proprium eſſe, nec velit, nec dicat, ſed ſint illis omnia communia, commune ius, communis facultas, communis ſubſtantia, communes diuitię, & inter omnia vnica, & communis voluntas, quæ voluntas Patris ſit. Hæc eſt quod debes ſemper orare, ſoror mea, ſi fratrem hunc diligis, vt fiat voluntas Patris tui ſicut in Cœlo, & in terra, quo quid facilius, quid vtilius, quid præſtantius, quid ſanctius, quid iucundius, quid magis ad tuam beatitudinem neceſſarium optare potes? Siquidem ipſa diuina voluntas eſt, quę ſola poteſt, & vult te deducere, & adducere in Regnum æternum, in Montem ſanctum, & in dilecta tabernacula, ipſe Deus vult, & rogat te vt tu etiam hoc ipſum velis, & petas ab ipſo, vt gaudium ipſius in te ſit, & gaudium tuum impleatur. O frater omnipotens, ſi in te cadit benedictio illa, eſto Dominus fratrum tuorum, ſis etiam Dominus voluntatum ipſorum dirigendo eas in beneplacito tuo, & ad te eas etiam rebelles propitius compellendo, ecce manibus tuis, poteſtati tuæ, voluntati tuæ tradit, & reſignat nunc anima mea voluntatem ſuam, vt fiat in ea ab ea, & per eam quidquid tibi placuerit nunc & in æternum: ſi tu enim bone frater eam non redimis, homo non redimet,

nec

nec dabit Deo placationem ſuam. Seruiam ego tibi, dulciſſime frater, omnibus diebus vitæ meæ in toto corde meo, quando tu pro bonitate tua, pro gloria tua, velle non potes, vt non ſeruiam tibi. Benedictio tua, frater meus primogenitus, non fuit maledictio mea, ſed ſeruata pro me fuit etiam altera benedictio vt tibi fratri meo ſeruirem, & ſic fruerer de rore Cœli, & de pinguedine terræ, noli igitur quæſo permittere, vt iugum tuum aliquando excutiam de ceruicibus meis: Iugum enim hoc tuum ſuaue nimis eſt, & onus leue, te ſcilicet Ieſum Dominum ſimul, & fratrem habere; ſi enim vt Dominus, decet te, imperare, certè vt frater decet etiam adiuuare, & ſi vt Dominus, iubere quid vis potes, libebit etiam tibi vt frater, dare mihi quidquid iuſſeris. Et ſi frater qui adiuuatur à fratre eſt quaſi ciuitas firma, quàm fortis erit frater, qui adiuuatur à tali fratre, qui eſt Deus Omnipotens? O qualis theſaurus, ſoror mea, habere Deum & Dominum ſuum in Patrem, et fratrem ſuum!

THESAVRVS XIV.

Chriſtus Amicus.

OLeum effuſum ſuper nos omne nomen tuum, Domine, & non eſt reperiri nomen, quod abundanter non repleat nos vnctione miſericordiæ tuæ, pietatis, & conſolationis tuæ. Sed inter omnia Nomina cum audio, Deus amicus meus, Chriſtus Ieſus amicus meus, olei iſtius effuſio ita deſcendit ſuper omnem oram veſtimenti mei, vt illius pinguedine & copia liqueſiat, & deficiat præ dulcedine puſilla anima mea. Nomen iſtud, vox iſta, vox illa Turturis eſt, quæ dum in auribus fidelis animæ meæ auditur, ver iucundum, floridum, & perpetuum annuntiat; diffugiunt, & recedunt imbres, hyems triſtitiæ, & malorum omnium pertranſit; conſurgit, & exoritur in te, ſoror mea, Nomen illud ſpecioſum, quo vocaris etiam tu amica Dei tui, Deus vocatur dilectus tuus, & tu dilecta illius; vnde ad eam altitudinem eleuaris, vt cum in cæteris nominibus tanquam duæ res appareant homo, & Deus, ſiue appelles hominem filium, ſiue fratrem, ſiue ſeruum, ſiue creaturam ipſius Dei,

Digitized by Google

in hoc vno Nomine tanquam eadem & vna res & perſona Deus, & homo repræſententur. Eſt enim amicus alter ego, eſt amicorum cor vnum, & anima vna, nec verus amor diſtinctionem, aut diuiſionem admittit. O præclara effuſio, ò admirabilis vnctio, quæ ita hominem cum Deo conglutinat! In odorem vnguentorum nominum aliorum gradiuntur, & ambulant; ſed in odorem vnguenti Nominis iſtius adoleſcentulæ currunt; diligunt te in omnibus nominibus, ſed in iſto nomine diligunt te nimis. Quid enim adoleſcentulæ dulciùs quàm amoris voces & delitiæ? Adoleſcentulus ego quidem eram, Domine, & contemptus, nec erat tibi nomen aliud per quod me traheres poſt te, niſi amicum meum te & dixiſſes & feciſſes. Quis enim amat quem non agnoſcit? Aut quis palam & clarè cognoſcit, quem non videt? Sed poſtquam hominem factum te mihi oſtendiſti, & viſibiliter te Deum & amicum nobis præbuiſti, viſibiliter cum hominibus conuerſando, & erga illos oſtendendo maiorem illam charitatem, quæ poteſt haberi, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; tunc amicus, & dilectus factus trahere tu nos cœpiſti, & nos ſequi te, & poſt te currere cæpimus. O ad quem theſaurum perueniſti nunc, ſoror mea; quæ & ſi multum peccatrix ſis, non tamen prohiberis à participatione illius: nam & Lazarum fætentem, & Iudam proditorem, & hominem non veſtitum veſte nuptiali, amicum vocauit, amicus iſte tam bonus, qui niſi peccatores amaſſet, de cœlis ad terram non deſcendiſſet; nec recti, & iuſti diligerent illum, niſi prior ille iniuſtos, & iniquos dilexiſſet. Ad te igitur vox iſta pertinet, ſoror mea, etiamſi peccatrix ſis, etiamſi Lazarus fœtidus, etiamſi Iudas proditor, etiamſi non veſtita ſis veſte nuptiali, amicus tuus Chriſtus eſt, & amicus fidelis, partes omnes, & numeros veri amici adimplens. Vtinam Iuda non obturaſſes aurem tuam ad vocem illam, qua vocatus es, amice, ſenſiſſes profectò vim vocis iſtius, & incantaſſet te, & rediiſſet cor tuum ad Sapientiam, & exiiſſet inde diabolus, & intraſſet Ieſus. Ferebat illa vox ſecum quidquid opus tibi erat ad reſipiſcendum, & reſurgendum, ad ſaluandum: & ſicut potens fuit ad reſtituendam vitam quatriduano Lazaro, iam quidem fœtenti, non tamen aures claudenti ad vocem vocantis amici, ita & tu eadem voce vocatus ad vitam ſalutis rediiſſes, niſi aures tuas obturaſſes. Tangit enim cor,

cum aures ingreditur amici vox, & ad contactum illius reſurgit amor; & ſi hoc contingit in homine, quanto fortius in Deo, cuius amor in infinitum excedit omnem humanum amorem, cuius eloquium ignitum eſt vehementer, & ſermo efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti? Quare hodie, ſi vocem hanc dulciſſimam amici tui Ieſu audieris, ſoror mea, noli obdurare cor tuum, ſed inclina citò aurem tuam, iunge dexteram, iunge oſculum, coniunge vocem, & dic amicus meus mihi Deus, & ego illi. Quæ amicitia, Dei amicitia fælicior? Quis fidelior, quis potentior, quis pulchrior, quis ſapientior, quis ſanctior, quis dulcior, quis amabilior amico tuo Ieſu? Ecce dilectus tuus candidus, & rubicundus electus ex millibus. O quicunque de amico gloriamini, quicunque amicitiæ bonum vnquam guſtaſtis, conferte, & videte ſi eſt amicus ſimilis ſicut eſt amicus meus? Et quod eſt nomen eius? Nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Ipſe eſt, qui eſt. Et quæ poteſtas eius? Poteſtas eius, poteſtas æterna, poteſtas omnium ſæculorum. Si igitur amicorum bona communia ſunt, dum te Chriſtus tuus amicam vocat, ò ſoror mea, nonne omnia bona ſua tibi etiam debent eſſe communia? cumque bona ipſius immenſa ſint, infinita ſint, æterna ſint, incomprehenſibilia ſint, quod dubium eſſe poteſt, quin etiam te, quam dicit amicam, vocet etiam in ſocietatem omnium bonorum iſtorum, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt? Rurſum, ò dulcis amice, ſi mihi compati amicitiæ iure debes, & infirmitates meas mecum ferre, à quibus ego ſeiungi, homo cum ſim terrenus, non poſſum, tu illis te coniungas neceſſe eſt. Hoc iam perfectè factum vides, ſoror mea, & hinc intellige quantum eſt quod gaudeas, & quam certa debes eſſe, quod dabit tibi Deus bona ſua, qui non dedignatus eſt ſuſcipere mala tua. Communia igitur omnia ſemper inter nos erunt, quando ita voluiſti, ò bone Ieſu, & quandiu ſic erunt, bene omnia mihi erunt, nam non vidi amicum tuum derelictum, aut egentem pane, neque in delictis deſeris illum, immo facis cum tentatione prouentum, & omnia illi præſtas, vt cooperentur in bonum. Sed præterea inter amicos non ſolum res, ſed & cogitationes & arcana, & occulta inuicem debent eſſe manifeſta, & ecce Deus meus, amicus meus, tibi

ego

ego reuelaui cauſam meam, & omnes vias meas præuidiſti, & tu occulta Sapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi; & vt magis me tibi amicum demonſtrares, non ſolum tua, ſed & Patris tui omnia nota feciſti mihi. Quod ſi nullum, inter amicos frequentiùs, & dulcius, quàm de amore colloquium, ò ſuauiſſime Ieſu, nonne omnia verba tua amore ſunt plena? Quales ſunt hymni tui omnes, niſi Cantica amoris, & dilectionis? ò quam dulcia faucibus meis eloquia tua, verè ſuper mel ori meo. Sed & literas amatorias multas, & frequentes nuncios amoris habeo à te, quibus abſentem conſolaris me; nec ipſi deſunt amatorij luſus, ludens ſcilicet tu in omni tēpore, ludens in orbe terrarum, & deliciç tuæ eſſe cum filijs hominum, cum quibus modò ſimultatem fingis, modò fugis, modò non vocatus accedis, modò inuocatus ſimulas non audire, modò oculis tuis auolare me facis, modò rapis, & trahis, modò mortificas, & viuificas, modò deducis ad inferos, modo reducis, modo te reperire nec in meridie poſſum, modo de nocte inuenio etiamſi non ſit qui oſtendat, modo in lectulo, modo in agro, modo per vicos, modo in Ciuitate ſollicitum me tenes; modo in domo tua, in cubiculo genitricis tuæ, in hortis tuis delicijs me facis affluere, modo petis à me paſci, modo paſcor à te, pauperem ſimul facis, & ditas, humilias, & ſubleuas, percutis, & ſanas; nec eſt finis adinuentionum amoris, quibus amicitiam nutris, roboras, perficis, & omnis ſaporis, & ſuauitatis condimento perfundis. Quare, Domine, niſi quia & amicus es, & amor es, ò Deus meus, amor meus, ecquis vnquam amorem ipſum amicum habuit? O ſors mea beata, cur non ſemper amore langueo? Num ſi amicus eſt amor ipſe, non dabit ſemper amorem? non tecum ſemper erit amor, non poſſidebis ſemper amorem, ſi ipſe amicus amor tuus erit? O qualem hic aperuimus theſaurum, ſoror mea: Si amicus iſte tuus eſt fons amoris, immo ipſe amor, quidquid delectabile, quidquid iucundum, quidquid ſuaue eſt in Cœlo, & in terra, pertinet ad te, eadem fœlicitate tu fælix, & beata es, qua fœlix, & beatus eſt amor tuus, amicus tuus, gaudere enim pertinet ad te de eodem immenſo bono ſuo, & gloriari de eadem gloria ſua, & intrare in gaudium amici tui, Dei tui, & hæc debet eſſe perpetua cogitatio tua, deſiderium tuum, tota vita tua. Tunc ille ſollicitus erit tui, tunc ipſi cura

erit de te, tunc ipſe te enutriet, & quaſi nutritius geſtabit te in vlnis ſuis. O ſi ſemper gauderes in illo, gloriareris in illo, delectareris in illo, voluptuoſa eſſes in illo, quàm certò experireris dari tibi omnes petitiones cordis tui? Nonne ipſe pacto iſto conuenit tecum, vt tu in omnibus vijs tuis cogitares illum,& ipſe dirigeret greſſus tuos? Vides igitur quomodo ad te pertineat gaudere, & gloriari in illo, ad ipſum autem ſollicitum eſſe de te. Demum ſi maius, ſi certiùs veræ amicitiæ documentum eſſe non poteſt, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, nollem hic te, ſoror mea, delicijs amoris modo affluentem, ad luctum, & lachrymas euocare. Si Chriſtus amicus tuus hoc fecit, & qualiter fecerit, tu bene ſcis. Sed quomodo eſſe potuerit, quod hoc fecerit, adhuc non ſcis. Vnum eſt enim hoc inter omnia intellectu difficillimum, & omni humano captu maius, via ſcilicet diuini amoris in Chriſto; Nulla eſt menſura qua tanti amoris ſublimitas, longitudo, latitudo, & profundum contineri poſſit; ſupereminet omnia. Quis & quantus amicus, & pro quo amico animam ſuam poſuit; & qualem animam? æſtima hæc omnia ſi potes. Heu pudeat, ſoror mea, adhuc te animam pro illo non poſuiſſe tuam; & vtinam adhuc ſuſpirium vnum, ſeu lacrimulam pro illo poſueris vnam! Sed amicus iſte tuus, vide quantum illi debeas, & quantum te amauerit, etſi enim futurum ſciret, vt nec ſuſpirium, nec lacrimulam illi rependeres, ſed potiùs redderes pro bono malum, & ſuper dolorem vulnerum ſuorum eſſes etiam additura, volens tamen & libens pro te vitam erogauit. & quo magis obſtupeſcas, & ſublimiorem adhuc amoris gradum aſcẽdas, vt ipſa mors, quæ amicorum omnium conſuetudinem tam amare diuidit, hanc tamen ſeruaret illæſam quæ inter te, & ipſum intercedit, poteſtatem quidem tradidit ipſi morti, vt corpus ſuum, & animam ſuam ſeparare poſſet à ſe, ſed non ſimiliter, vt ſeparare poſſet à te. Inſtituit enim pridie quam pateretur (ò admirabilis amoris adinuentio!) myſterium illud abſconditum, quo tecum perpetuo ſemper eſſe poſſet, & eo intimiùs, & familiariùs, quo per tale Sacramentum magis illi concorporeus efficeris. O amice Ieſu dulciſſime, vt video; Amicus verus ſolus es tu, qui ſolus in amicum totus ita transfunderis, vt tu viuas in eo, & ille in te, & per te, & ex te. Verè indigens corde es, ſoror mea, ſi talem

amicum

Digitized by Google

amicum deſpicis, ſi amores alios quæris, ſi non quieſcit in ipſo omnis ſpes tua. Nam qui tam inſolita, tam admirabilia, tam magna tribuit tibi, quomodo non dabit minora, quæ & ſolet Deus communiter concedere, nec adeò ſuperant intellectum tuum? Qui amat iam tradit ei, quem amat amorem ſuum, ergo & cor ſuum, ergo & theſaurum ſuum, ſiquidem vbi eſt theſaurus noſter, ibi eſt & cor noſtrum, & plus eſt anima vbi amat, quam vbi animat. Si ergo ò bone Ieſu, ita reputas hominem vt apponas erga cor tuum, ergo etiam appones theſauros tuos, vt inde poſſit extrahere quidquid ſibi ſalutiferum, quidquid expediens ad æternam ſuam beatitudinem poterit vnquam deſiderare. Et quia nihil magis ſalutiferum, nihil magis vtile, & neceſſarium eſt ad ſalutem, quàm vt te diligamus, qui ita prior dilexiſti nos, fac Amice dulciſſime, vt ex amore tuo erga nos extrahamus amorem noſtrum erga te; neque enim extrahere poſſumus amorem hunc ex corde noſtro, niſi de corde tuo priùs effundatur in cor noſtrum. Amoris actus eſt bene velle, & benefacere amico, igitur ſi me amas, bone Ieſu, imo quia me amas, velis etiam mihi oportet, & facias hoc bonum vt ego te amem; quod enim mihi bonum velle, vel facere potes, ſi hoc non facis? nam & ſi omnia alia habuero, charitatem autem tuam non habeam, nihil ſum; certe negare mihi non potes amorem, dum te amicum mihi ſic exhibes & profiteris; ſanctiſigitur Nominis tui timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis: Tu dixiſti nobis, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, vos amici mei eſtis ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis, & ego dico tibi, Domine, ſi diligis me, ſermonem meum ſerua, quo ſupplex peto, vt facias me facere voluntatem tuam, te in omnibus, & ſuper omnia ſemper diligendo; Si amicus meus es, fac quæ ego non præcipio tibi, ſed oro vt facias mihi, ſcilicet vt tibi ſoli adhæream, tibi ſoli ſeruiam in ſanctitate, & iuſtitia coram te omnibus diebus vitæ meæ, probatio enim amoris exhibitio eſt operis, hoc igitur opus operando in me, probabis in me amorem tuum, & verum te amicum demonſtrabis. Quod ſi veriſſimum eſt, & in æternum manet verbum illud tuum, omnis, qui petit accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur, quomodo fieri poteſt, vt ille

quem

Digitized by Google

quem tu vocas amicum, petat, & non accipiat, quærat & non inueniat, pulſet, & non aperiatur ei? præſertim cùm, tu adeò bonus ſis, vt nos volueris etiam ipſis inimicis, & ijs qui nos oderunt benefacere, & orare pro perſequentibus, & calumniantibus nos, & hoc ad imitationem tui, & Patris tui Cœleſtis, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iniuſtos, & ingratos? Quomodo amicus meus dici potes, ſi non es modò paratus mihi petenti dare, quæ promiſiſti daturum ipſis etiam petentibus inimicis? Omnis enim qui petit accipit, omnis, ſiue iuſtus, ſiue peccator, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Domine. Dabis igitur non dubito quod tam amanter modò petij, ſermones enim tui adſtipulantur ſibi omnes, ſibique cohærent: nam idem ipſe qui te dicis amicum, ſimul etiam promittis facere, quæcunque petierimus, & exemplo tuo ipſe prior doces, vt & nos ita faciamus, ſi amici tui eſſe velimus, idem enim velle, & idem nolle, ea demum vera amicitia eſt.

THESAVRVS XV.

Chriſtus in forma Serui.

Cogitari potuit ab Aman (Soror mea) ſummus honor qui fieri poſſet viro, quem Rex honorare cuperet: Sed quanta fecit tibi Deus tuus exaltare cupiens caput tuum, nec cogitare tu vnquam potuiſſes, nec modo narrare aut eloqui vales. Vide quæſo, & admirare quantum potes, quomodo ea omnia ſummi honoris inſignia, quæ nequam ille Aman cogitauit, Deus tibi exhibuerit, & quanto etiam maiora addiderit, & diſce tandem quanto minora ſint, quæ ſperare debes, & quę remanent in promiſſis. Ecce induit veſtibus Regijs humanitatem tuam, naturam tuam cùm illam aſſumpſit in conſortium Diuinitatis ſuæ, & titulis ſuæ Deitatis illuſtrauit: impoſuit ſuper caput illius Regium Diadema, quando homo Deus agnitus, & manifeſtatus eſt, & à Regibus adoratus. Super equum de ſella Regis eſt impoſitus, quando idem homo Deus diuinitatis robore, ac virtu-

te dela-

te delâtus pertranſibat benefaciendo, & ſanando omnes, miracula, & ſigna patrando; & quod magis obſtupeſcas de honore tuo, & amore ſuo, non vnus de principibus regijs tenet equum tuum, & ſeruus fit tibi, ſed Rex ipſe, ipſe Deus fit ſeruus mancipij ſui, & præco dignitatis, & exultationis illius, & in filio primogenito ſuo hominem tanquam Dominum, & Regem oſtendens, in ſimilitudinem ſerui ſe illum miſiſſe clamat, & ipſe Chriſtus per plateas omnes, & vicos humano generi miniſtrum ſe veniſſe conclamat, & ſtans in medio noſtrum tanquam miniſter, & ſeruus omnia obſequia, & officia ſeruitutis aſſumit, hominique ius & poteſtatem ſuper ipſum Deum tribuit: Hinc clamor ille in vtraque Hieruſalem, qui adhuc perſeuerat, ſic honoratur quem Deus voluerit honorare. O res admirabilis, quæ ſola Deo teſte credatur! O bone Ieſu, tanto mihi carior, quanto pro me vilior factus es, in quod profundum humilitatis deſcendis? eſtne oſtentio hæc dignitatis meæ, an bonitatis tuæ? quo enim minorem te exhibes in humanitate, eo maior appares in bonitate. Soror mea, Ieſus cui omnia ſeruiunt, ſubditus fit tibi, ſeruit tibi; quomodo non omnia ſeruiunt tibi? quomodo tam bonus ſeruus, ſi dicas illi fac hoc, non faciet? quomodo qui adeo fuit fidelis in ſummis, poterit non eſſe fidelis in modicis? O ſerue bone, & fidelis, tu es omne gaudium Domini tui. Quam decorum, & glorioſum eſt videre Chriſtum triumphantem, ſed quàm proficuum, & lucroſum illum videre, & habere famulantem? O Maria, ò Ioſeph dicite, cum eum ſubditum vobis videbatis, quale cor veſtrum erat, quales diuitias, quæ gratiarum munera, quos fructus honoris, & honeſtatis ex tali famulatu recondebatis? Nam ſi Deo ſeruire regnare eſt, quid fuit imperare? O fœlix illa Domus, & cœlo maior in qua ſeruit Deus. Sed quia ſeruire parentibus non adeo magnum videri poſſet, vide eundem Ieſum quomodo caput ſuum & Ioannis manibus, & Petri pedibus demittit. O Ioannes quis ex Regibus terræ tunc tibi par, dum ſub manibus tuis Ieſum habes, & è cælo audis, Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui? Filium appellat Deus, qui ſe ſeruum exhibet tibi, vt ipſe ſeruus ſanctitatis largitor, tu Sacramentorum adminiſtrator agnoſcereris. Ecquis Epiſcopus ſubiectam tam ſpecioſam ouem habet, à qua hauriat benedictionem & vitam vſque in ſæculum?

Digitized by Google

lum? Tu verò Petre, qui famulantem pedibus tuis Redemtorem tuum vides, & audis, non habebis partem mecum; non agnouiſti in hoc famulo tuo fœlicitatem tuam? Stipendia promittit, & ſeruit, immo ſtipendia promittit vt ſeruiat, nec ſtipendia in aliquo modo, & menſura, ſed abſolutè ſecum ad partem te vocat, & vtique eorum quæ in cælis ſunt, qui de hoc Mundo Regnum ſuum non eſſe confeſſus fuerat. Intellexiſti ſanè poſteà quantum tibi gloriæ in hoc ſeruo iam inde tibi parabatur, & quem famulatum pedibus recuſaueras, etiam vt capiti exhiberet, rogaſti. Sed quod in immenſum ſuperbiam noſtram confundit, qui exemplum obedientiæ in omnibus nobis eſſe voluit, & theſauros bonitatis ſuæ omnibus patere, non ſolùm modeſtos, & bonos, ſed etiã nequiſſimos, & diſcolos Dominos pati voluit. Te Iudã proditorem appello, cum nequiorem te non habeam; non ignoraſti Magiſtrum tuum ſeruum tuum ſe tibi exibuiſſe, quando illũ triginta argenteis, tanquam vile mancipium vendidiſti: ſed bene quantum te diligeret, neſciſti, & diuitias amoris eius non perpendiſti; ſi enim agnouiſſes & perpendiſſes, nec pro toto auro, nec pro toto mundo, tam bonum ſeruum tradidiſſes; & vt inexcuſabilis eſſes, valoris ſui, & erroris tui te admonuit, quando te amicum appellauit, nam ſi ſeruum propter te Deum factum tunc cogitaſſes, tam immenſum amorem áſpernari non potuiſſes. Quam duros quam aſperos, quam inhumanos, iniquos, & crudeles deinde Dominos habuerit vſque ad plagas, ad verbera, ad necem, nolo modo, ſoror mea, commemorare, ne traducaris a fonte dulcedinis & diuitiarum ad fontem amaritudinis, & lachrymarum. Diſce quid ſperare poſſis à tanta bonitate ſerui tui, quando genti peccatrici, populo ſtulto tam amanter, tam liberaliter, tam ſtudiosè ſeruiuit; & pro immenſis beneficijs tam dura reportauit. Intelligebat cogitationes eorum; quod prauum erat & diſtotum corrigebat, quod fractum erat conſolidabat, languores, & ægritudines corporum ſanabat, cæcis viſum, ſurdis auribus auditum, vſum pedum claudis, pauperibus, & ignaris ſapientiam, & doctrinam miniſtrabat, omnibus omnia fiebat vt omnes lucrifaceret. Qualis, & quantus erat hic ſeruus? peccata eorum dimittebat, dœmones expellebat, ventis, & mari imperabat, nec agnoſcebant, nec gratis ipſum oculis aſpiciebant. Si ſitientes, ſi

eſurien-

Digitized by Google

eſurientes illos videbat, de emendis panibus ipſe ſolicitus erat, & ſine labore & ſine pretio ad ſatietatem, & panes, & piſces miniſtrabat eis. Sed quid moror, quando mortuos ipſos reuocabat ad vitam? Putas modò, ſoror mea, minus his diligat te? putasne quia adſtantem illum, & præſentem tibi modò non vides, minora exhibeat famulatus obſequia? Quæ illis fecit pro omnibus fecit, immò ita pro omnibus fecit, ac ſi pro te ſola feciſſet, & ſi beati fuerunt oculi, qui viderunt quæ ipſi viderunt, certè beati etiam qui non viderunt, & crediderunt. Quod maius fuit ſeruitutis obſequium, quàm quando tam bonus ſeruus dilectam animam ſuam miniſtrauit in prætium? Nonne hoc omnibus præſtitit, nonne omnes nos redempti tali miniſterio ſumus, et renati, et ad meliorem et præſtantiorem vitam reuocati? in qua ne iterũ relaberemur, fideliſſimus ſeruus et prudens medicinam, et paradigma nobiliſſimum, et præſtantiſſimum omnibus miniſtrauit, & reliquit, carnem ſcilicet ſuam in cibum, et ſanguinem ſuum in potum. Tam dulce, et tam ſuaue fuit tibi, bone Ieſu, ſeruire mihi vt cogitare, et ſollicitus eſſe volueris quomodo ſeruire, et eſſe mecum in hoc famulatu poſſis vſque ad conſumationem ſæculi. Tam ingrata, tam excors, tam nequam, tu poteris eſſe, ſoror mea, vt durum tibi ſit, et graue ſi paucos annos, vtinam ne paucas horas, ſeruias illi! quam induſtriam ſimilem, quas ſimiles adinuentiones moliris, quas cogitas cogitationes, vt referas ei, ſi non par pari, ſaltem totum quod potes pro modulo tuo, et ex gratia ſua? vt facias, quod non ſolùm gratitudinis lex, ſed ipſius naturæ tuæ conditio, et ratio ipſa poſtulat à te, vt ſcilicet homo ſeruiat Deo ſuo, Creatura Creatori ſuo. Arduum quidem et difficile et incredibile uidebatur, vt homini ſeruire poſſet Deus, quod tamen faciliter, et promptè præſtitit Deus; præbuimus ei laborem, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ abſque vlla fatigatione, et ſeruire illum fecimus in peccatis noſtris, cuius nutu vniuerſa regitur creatura; nobis autem qui natura ſerui ſumus, adeo laborioſum adhuc videri poterit ſeruire ei, qui naturaliter noſter Dominus eſt, et tanta dignatione, et charitate pro nobis formam ſerui ſuſcepit? Quid eſt hoc? niſi quia tu Domine Deus meus, ſeruire mihi potuiſti ſine me, ego autem ſeruire tibi ſine te non poſſum. Sed tu, bone Ieſu, quando iam ſtatuiſti inſer-

Digitized by Google

nire mihi in hoc precor erga me impleas miniſterium tuum; vt facias me fideliter ſeruire tibi, ad quid enim famulatus tuus proderit mihi, ſi me tibi famulantem non reddiderit? vt quid genua flectis ante pedes meos, ſi non inclinas aurem tuam ad preces meas, quibus peto, & oro vt facias me tuis ſemper obedire mandatis? Nonne hoc conducibile mihi eſt? nonne tota ſalus, totæ diuitiæ meæ, totum Regnum meũ in hoc ſitum eſt, vt tibi ſoli ſeruiam? Sed ecce quam infœlix quam miſer ſine te Dominus ſim, qui neque ſine te hoc ipſum petere poſſum, aut cogitare ex me. Quod quia verum eſt, ideò peto, vt des mihi etiam ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt propitius, et agendi, & vt petenti poſtulata concedas, facias me quæ tibi ſunt placita poſtulare. In hoc precor oſtendas, quod ſis in medio noſtri ſicut qui miniſtrat, et quod veneris non miniſtrari, ſed miniſtrare; hoc eſt quod poſcimus, vt miniſtres nobis, tibi ſcilicet ſemper nos miniſtrare; non enim quemlibet, cui tu miniſtraueris, ſed ſolum ſi quis tibi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater tuus, qui in Cælis eſt. Profectò obſequium illud exterius, quod vidi te præſtare pedibus meis, innuit mihi obſequium interius, quod paratus es exhibere voluntati meæ, dum petit à te, ſeruire tibi, et in omnibus obtemperare. Dominicæ quippe carnis actus diuinitatis exemplum eſt, & inuiſibilia tua, per ea, quæ ſunt viſibilia nobis demonſtraſti. Ad quid enim tam profunde te ipſum humiliaſſes exterius, et pedibus meis te ſubieciſſes, ſi voluntati meæ morem gerere promptus non eſſes, dum poſcit adhęrere, et ſubijci voluntati tuę? Non es tu, Domine, ex illis falſis Prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Non veniſti tu, Domine, ad nos in forma Serui, vt nobis deinde contradiceres, et recuſares facere quod petimus, et quod nobis conuenit ad ſalutem; nihil autem nobis ad ſalutem vtilius, immò magis neceſſarium, quam vt tibi ſeruiamus. Et ideo credo, vt non te exhiberes alium in verbis, & alium in opere, vt tibimetipſi conſtares qui te dixiſti veniſſe in hunc Mundum miniſtrare, et formam ſerui accepiſti, etiam dixiſti nobis quod fiet nobis quodcumque petierimus, et vt petamus gaudium plenum: fidelis igitur tibi ipſe eris, modò ipſam fidem habeas. Sed noli mirari, ſoror mea, Ieſum miniſtrum tuum aſpiciens, dum enim ipſemet ſtatuerat eſſe

cibum

cibum tuum, non decebat vt alius eſſet miniſter tuus. Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, et humilia reſpicit in cœlo, et in terra? Ecce tam in cœlo, quàm in terra præcingit ſe, et facit ſeruos ſuos diſcumbere, et tranſiens miniſtrat illis. Mirabilia ſunt opera tua Domine, et nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, quæ ſic te pro nobis ad infima demiſerunt. Cæterum quam nimis fælix facta es ſoror mea, Deo tibi ſic famulante? qui proſpicit a longe vias tuas, et obſeruat omnes ſemitas tuas, qui intelligit omnes neceſſitates tuas, qui videt omnes labores tuos, et omnes infirmitates tuas conſiderat, qui coronat te in miſericordia, et miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium tuum: crede illi domum tuam totam, crede illi cor tuum, trade illi cuſtodiendam ciuitatem tuam, quam niſi cuſtos iſte cuſtodierit, fruſtra vigilat omnis alius, qui cuſtodit eam. Quàm benè, quàm opportunè, quàm prudenter, quàm ſuauiter peragit omnia? ſiue dormias, ſiue vigiles, ſemper tecum adeſt, et mòdò quidem præuenit te, modò comitatur, modò ſubſequitur: quocumque ieris, ſiue in terra, ſiue in mari via tua, ſemper adeſt dextera ſua; in tribulationibus adiutor, in aduerſitatibus refugium, et conſolator, in periculis liberator. Et quo magis agnoſcas ineffabilem charitatem ſuam, non ſolùm non erubeſcit ſeruorum officio fungi, ſed adeò gloriatur in miniſterio ſuo, vt in corpore ſuo patenter retinere voluerit ſtigmata fideliſſimæ ſeruitutis ſuæ oſtendenda coram Patre ſuo, et Angelis ſuis in Regno Cœlorum; quorum memoria vt renouaretur in terris, voluit vt in ſeruo ſuo Franciſco impreſſa iterum conſpicerentur, et venerarentur. O quam prudens mercator fuiſti in negotiatione tua Franciſce! hodie enim, cùm hæc ſcribo feſtus dies tuus agitur, relicta mercatura, cui priùs deditus eras, cùm cognouiſſes iſtius theſauri valorem, qui abſconditus eſt in Chriſto Ieſu, formam ſerui præ ſe ferente, dediſti omnia bona tua immo etiam ipſum Patrem tuum, et comparaſti illũ. O bone Deus, ſanctus iſte quam diues, quam potens, quam beatus negotiator euaſit in negotiatione tam pretioſi theſauri! Inſpice hodie funiculum hæreditatis eius quam præclarus ſit, quam honoratus, quam deſideratus à Principibus, et Regibus terræ, quomodo pro ipſo ingentes ſæculi hæreditates, et ipſa Regna dimittuntur; et ne ad antiquas

Digitized by Google

recurras hiſtorias, intuere modò quod ante oculos tuos habes egregium Eſtenſis Ducis exemplum, qui omnibus ſibi ſubiectis ſeruis, et ſubditis valere iuſſis; ampliſſima ditione, boniſque omnibus ſe abdicans, et quæ habuit, et quæ habere potuit, omnia arbitratus eſt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret, quem pro ſe formam ſerui ſuſcepiſſe, et ſemetipſum exinaniſſe cognouerat. Gratias tibi, ò bone Ieſu qui vt tantæ eſſes humilitatis exemplum carnem ſumere, et Crucem ſubire voluiſti, et cum eſſes primus et Summus Pontifex ex hominibus aſſumptus, et pro hominibus conſtitutus, primus etiam eſſe, et vocari voluiſti ſeruus ſeruorum Dei, quod modò nomen omnis Eccleſia in vniuerſo orbe adeo reueretur in Vicario tuo, qui illud à te hæreditauit, vt oculis etiam corporis, hic in terris cernere poſſimus, quam excelſæ fabricæ fundamentum etiam in terris ſit humilitas, vtinam, et quod culmen attingat in Cælis coram Deo aliquando intueamur.

THESAVRVS XVI.

Chriſtus Sponſus.

QVid ad nomen hoc Sponſi exhorruiſti, ſoror mea? quid faciem auertis? quid fugam moliris? ſiſte gradum, ad theſauros te duco, non ad carcerem; gaudia non cruciatus tibi promiſi. Quid ploras? quid iſtæ lachrymæ in maxillis tuis? quare conturbata eſt anima tua? Heu, inquis, gemebunda, quomodo cum tot amatoribus depræhenſa, non exhorream nomen ipſum ſponſi? quomodo ſuſtinere poſſum memoriam illius? Vox iſta penetrabilior mihi fuit omni gladio ancipiti, pertranſiuit cor meum, pœnam omni cruciatu maiorem inflixit; & penè me exanimauit. O quàm amara eſt fractæ fidei, & illuſi amoris recordatio! Lætetur in hoc Sponſi nomine Mater Eccleſia, ſine macula, ſine ruga; lætetur etiam in eodem anima iuſti, pulchra, et formoſa; ego verò, quæ pedes meos coinquinaui, quæ ad alienos ingreſſa ſum, vbi me abſcondam à vultu iræ ſuæ, & à facie ſua quo fugiam? Quid ais, quid agis, ſoror mea?

Digitized by Google

mea? Quod doleas, quod plangas dolorem tuum, bene eſt; quod ſponſam vocari abnuas, quod ſponſi nomen te terreat, quod fugam cogitas, hoc inſipienter & peſſimè facis. Nullum tibi nomen, in quo ſpem maiorem concipere poſſis; nullum in quo magis fiducialiter inniti poſſis. Nigra es, deformis es, fornicatrix es; talis etiam eras quando ſemel placuiſti ei, & in fide deſponſauit te; formoſitatem, quam ſupra nigredinem tuam accepiſti, de ſponſo accepiſti; & quod in te primum ſponſus amauit, ipſe contulit: iræ filia eras, & ex millibus elegit, & prælegit te, & vocauit ad nuptias, introduxit te in cubiculum ſuum, in quo caſtè, & impollutè ſecum viueres; & aduerte quid Ianitori præcepit, vt ſi ſepties, ſi ſeptuagies ſepties contingeret te peccare, non ideò oſtium clauderet, & ab ingreſſu te arceret, ſed in quacunque hora ingemuiſſes, aperiret. Quod modo oblita es ſponſi tam immenſæ, & æternæ charitatis? quid pactorum nuptialium? quid chirographi ſemel firmati non recordaris? Polluiſti veſtem candidam, fœdata es, lapſa es; opprobrium iſtud, & dedecus afficit quidem te, ſoror mea; ſed tuum eſt, ò bone Ieſu, videre ne vnquam ſponſæ lapſus tangat, vel obumbret nomen tuum. Tu cognouiſti figmentum illius, quando elegiſti eam tibi in ſponſam, nec horruiſti ad vnitatem vnius carnis, & vnius corporis tecum illam adſciſcere; & cum iſtius compoſiti non ſolùm ipſe pars maior & potior ſis (vir enim caput eſt mulieris;) ſed etiam naturæ alterius & præſtantioris, diuinæ ſcilicet, & impeccabilis, ſi fortè pars altera infirmior, & fragilior corporis iſtius labatur, tuum eſt, ò bone Ieſu, compati, tuum eſt erigere, tuum eſt ſanare, nemo enim carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fouet eam. Alioquin dicerent fortè gentes, maior fuit nequitia mulieris, quã bonitas viri, qui ſponſam lapſam omnino deſeruit, auferre opprobrium illius non curauit; requirere vlteriùs neglexit, nec eam admittere ampliùs ad thalamum, vel ad amplexus ſtabiliuit. Cur igitur, adeò exultaſti in die deſponſationis eius, quam tam citò, tam facilè repudiare & odio habere poteras, quàm facilè, & quàm citò poterat illa peccare? Sed abſit, ò bone Sponſe, vt opprobria exprobrantium mihi cadant vnquam ſuper te. Non ſunt viæ tuæ hominum, neque cogitationes tuæ cogitationes hominum. Oderint homines eos, qui peccant in ipſos, perſequantur & occidant omnes,

qui

qui maculant gloriam ipſorum; infirmitas eſt hæc humana, non fortitudo; impotentia hæc eſt, non potentia, quæ neſcit mundum facere de immundo conçeptum ſemine, nec nouit educere lumen de tenebris. Sponſus verò tuus, ſoror mea, fortis, & potens, qui facit etiam cum tentatione prouentum, audi quid loquatur. Vulgò dicitur ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra, nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? tu verò fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. Vide ſi de repudio cogitat, ſi necem minatur, qui etiam primus vocat ad reditum, inuitat ad thorum? & vt maiorem dictis fidem adſtruat, rationem reddere non grauatur, dicens: Reuertere auerſatrix Iſrael, & non auertam faciem meam a vobis, quia ſanctus Ego ſum, & non iraſcar in perpetuum. Conuertimini filij reuertentes dicit Dominus, quia ego vir veſter. Res noſtra agitur non cum ſponſo homine, ſed cum ſponſo Deo, qui ſanctus, & ſanctificans eſt, qui ſponſæ pulchritudinem, & decorem non de noſtro, ſed de ſuo concupiuit, & quidquid vnquam ſanctitatis, & bonitatis ſponſa amiſit diſcedendo ab illo, ad eundem redeundo de ijſdem theſauris benignus reſtituit, vndè prius etiam fuerat erogatum. Quod ſi Apoſtolus Paulus dixit, vt ſi quis frater vxorem habens infidelem, & hæc conſentiat habitare cum illo, non dimittat illam; ſanctificata eſt enim mulier infidelis per virum fidelem. Quomodo, ò bone Ieſu, Sponſus meus, qui ſemel me tibi deſponſaſti per fidem in lauacro regenerationis, ſi conſentio habitare tecum, etiamſi infidelis fuerim, & peccatrix, non dabis mihi vnde gloriari poſſis, ſanctificatam eſſe ſponſam infidelem per virum fidelem? Quantumuis igitur, ſoror mea, maculata ſis, fœda ſis, peccatrix ſis, accede ad hunc theſaurum, voca Ieſum virum tuum, non tam citò vocabis, quàm citò reſpondebit, ecce adſum; dic vt aſpergat hyſſopo fœditatem tuam, & ſtatim ſuper niuem dealbaberis, conſentias tu habitare cum illo, ita vt non amplius peccatum diuidat inter te, & ſponſum tuum, nec vlla mora, quin etiam ipſe tecum habitare conſentiat, & ſeparationis malum experta, melius in poſterum cognoſces quàm bonum, & quã iucundum ſit, ſponſum & ſponſam habitare in vnum: pulchritudinem priſtinam recuperabis, & primos, & ſuauiores

etiam

etiam guſtabis amores. Quid propter patrata peccata repudium times ab eo, qui propter peccatores factus eſt ſponſus? Ipſe eſt enim qui dilexit nos, cum adhuc peccatores eſſemus, ipſe eſt ille Moyſes, qui cum Aethyopiſſa deſpõſatus eſt; ipſe eſt qui in primordio Natiuitatis ſuæ Gentilitatem elegit ſibi in ſponſam, quando accerſiti per ſydera cucurrerunt Magi ad Regales nuptias. Ipſe eſt qui in ſe infirmitates, & languores omnes, & deformitatem ſponſæ taliter ſuſcepit, vt ſemel & iterum centies reddere illam ſibi poſſet, & acceptabilem, & beneplacentem, & mundam, & formoſam. Nos, nos ſumus, qui repudium illi mittimus, dum ad ipſum redire negligimus; in ſponſum iniurij & iniqui, non tam quia peccauimus, quàm quod poſt peccatum ab eo fugimus, & ad eum reuerti non curamus. Quodnam malum eſt hoc, ſoror mea? Sponſus contumeliam patitur à te, & vocat te, & accurrit ad te primus, & quia adeo bonus eſt, tu odis illum, & fugis ab illo? Non ſic, ſoror mea, non ſic, accuſa peccatum tuum, detege turpitudinem tuam, abominare iniquitatem tuam; quo te magis fœdam videbit, quo te magis dolentem, & contribulatam aſpiciet, eo magis compatietur tibi & contribulabitur tecum, & eo auidius ſollicitabitur ad amplexus, ad oſcula, & reddet tibi lætitiam ſalutaris ſui, & ſpiritu principali confirmabit te, eſt enim cupido, & voluptas ipſius te formoſam, & pulchram valde intueri. O bone Ieſu, ecquis vnquam talem inuenit virum? Igitur ſi in via immaculata tecum ambulo, & fidelis tecum perſeuero, tu me facis tecum ſedere, & ſolium gloriæ tecum teneo, & ſi in via offendo, & labitur in multis pes meus, dummodo reuertar ad te, priſtina mihi ſeruas decora, & maiora etiam præparas ornamenta, & in bonum mihi conuertis etiam peccata mea, cui enim plus dimittis, plus diligis. O quam experta es diſſimiles viros illos, ad quos diuertiſti, ſoror mea? bona omnia tua in illos erogaſti: mercedem dediſti amatoribus tuis, & nihil accepiſti; fatigata es, & laſſata, ambulando cum illis vias difficiles, denigrata es ſuper carbones, ſi quando illis placuiſti, nihil inueniſti in manibus eorum, & ſi fortè illos offendiſti, oderunt te, & perſequuti ſunt te, & ad necem quæſierunt animam tuam, & in ſanguine tuo lauare tantum nouerunt opprobria tua. Ecce ſponſus tuus Ieſus, etiam poſtquam tradidiſti eum, requirit te mortuam ad vitam, & fœ-

dam

dam lauat in ſanguine ſuo. Dicâs igitur aliquando, ſoror mea, vadã & reuertar ad virũ meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. Valeant omnes alij, & tu mihi ſolus, bone Ieſu, ſponſus ſis, & quia receſſi ſemel à te propter inopiam amoris mei erga te, quem non vt debui expetiui; ecce cognoui & nunc quamuis peccatrix, attamen ſponſa, peto à te ò bonitas incompræhenſa, vt amoris tui copiam des mihi per præſentiam. Ecquis ſponſus amari vehementer à ſponſa non concupiuit? Quis noſtrum, ſi in ſua eſſet hoc poteſtate, non abundanter talem amorem ſponſæ largiretur? ſed tu ſolus ſponſus es, qui Dominus es, & amoris tui in ſponſam, & amoris illius erga te; imò tu es qui prior diligens illam, facis illam diligentem te. Tu nè igitur dicas, Sponſe Ieſu, præbe mihi fili prius cor tuum, quia bene noſti, quod non poſſum tibi præbere cor meum, niſi tu prior mihi præbeas cor tuum, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos; Dilectus meus mihi, & ego illi, non prius ego illi, ſed ille mihi. Verùm; ò bone Ieſu, ſi te mihi in ſponſum tradidiſti, & ita mihi ſociatus es, vt matrimonij lege poteſtatem tui mihi tradideris ſicut & ego tibi, quomodo negare poteris amorem tuum? Non enim te ipſum negare potes, quem negares, ſi negares amorem tuum, tu enim idem ipſe amor es, & charitas es, & ideo ſi tecum vnum eſſe debeo, etiam cum amore tuo oportet vt vnum ſim: ſi igitur præſentiæ tuæ copiam vti ſponſus facere mihi teneris, quomodo non etiam teneris copiam mihi facere amoris tui? Vrge ſponſa, quàm bonum theſaurum inuenisti? quàm iucunda eſt ſponſo amoris petitio, & quàm ſuauis obſecratio pro dilectione? Dic ſeriò quod vis manere cum ipſo, & in ipſo, audies ſtatim & quod ipſe tecum, & in te, in me manet inquit; & ego in eo; prior ille eſt in dilectione, ſed vide quomodo non prior in manſione; dilexit te, in charitate perpetua non ſolum antequam ipſum diligeres, ſed & ante quàm eſſes; ſed non manet in te, niſi tu maneas in illo, & diligas illum, & ideo ſi tu deſeris illum, ipſe etiam deſerit te, neminem tamen deſerit, niſi prior ipſe deſeratur. Conſentit enim ipſe ſemper habitare, & manere nobiſcum, ſi nos conſentimus manere cum illo. Si manſeritis in me, inquit, non ſi manſerim ego in vobis: quaſi diceret, quod ego velim manere in vobis, in conditionem, vel dubitationem non venit;

ſed

ſed id quod reddit dubiam, & incertam manſionem meam, oritur ex incoſtantia, & mutabilitate voluntatis veſtræ: ego enim permanere vobiſcum ſemper ſum paratus, ſemper curo, ſemper ſitio, & in ſiti mea curro poſt ſponſam, voco, clamo, voces, & clamores ingemino, veni electa mea, veni ſponſa mea, Reuertere, reuertere Sunamitis vſque quo diſſolueris filia vaga? Verum eſt quod dicis; O bone ſponſe, dulciſſime ſponſe, agnoſco charitatem tuam nimiam erga ſponſam tuam, ecquid enim tibi deperiret ſi mala ſponſa male perderetur? Si fit repudium, nonne ipſe remanes cum tota beatitudine tua, cum tota pulchritudine tua, cum tota ſubſtantia tua? illa eſt quæ relinquitur cum tota deformitate, cum omni opprobrio, cum extrema paupertate, & rerum omnium indigentia, in ſumma miſeria; illa eſt, quæ in regionem longinquam abire cogitur poſt veſtigia gregum ad paſcendos hædos. Quare ergo tu tam ardenter curris poſt malitiam illius, dum ipſa non currit poſt bonitatem tuam? quare manere cum illa ſemper es paratus, quæ toties à te receſſit, & reuocata redire neglexit, & recuſauit? Quid eſt hoc? agnoſco Domine quare hoc facis; modo non de vinea agitur, non de ſeruis, non de fratribus, non de filijs, ſed de ſponſa agitur, & cum Deo Sponſo agitur, qui ſicut noluit neque vitam, neque mortem, neque Angelos, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudinem, neque profundum, neque creaturam aliam poſſe inter ipſum, & ſponſam ſeparationem facere, ita etiam facta ſeparatione et ex culpa ipſius ſponſæ, noluit quidquam impedire poſſe, quin iterum ſi velit poſſit ſecum vniri, & copulari arbitratus ſcilicet iniuriam coniugio fieri, ſi talis vnquam poteſtas daretur. Ab omni igitur huiuſmodi poteſtate, ò ſponſa, eruta es, & liberata, cum deſponſata es per ſanguinem ſponſi. Vnica tantùm relicta tibi fuit in te poteſtas, tuæ ſcilicet ipſius voluntatis, quæ ideo relicta eſt, vt ſponſa eſſe poſſis, non enim niſi inter eos, inter quos poteſtas & vſus eſt voluntatis, & quorum eſt par conſenſus, coniugium conſtare poteſt. Hoc igitur vnum curat ſponſus, vt tua met voluntas ipſi non ſit iniurioſa, & ſuauiter illam inuitat, allicit, & trahit ad ſe, ne alteri ipſa ſe ſponte ſua tradat; ideo enim à cuiuſlibet alterius poteſtate illam exemit, vt totam haberet ſuam. Ergo, Domine, ego ſolus, mea ſola voluntas, in cauſa eſſe

poteſt, vt te Deum ſponſum non habeam? Quid faciemus? ſi dicam ad te meam potius corrumpe voluntatem, hoc ipſo ſponſam eſſe deſinam, cum amplius nec conſenſus, nec amor corrupta voluntate permanere poſſit; ſi mea voluntas viuit, heu, quantum periculum viuit? Sed ecce ſponſe, quid facias? viuat, non deſtruatur voluntas, ſed non ſit amplius mea, ſed accipe tu eam, & ita perfice vt tranſeat in tuam; poſtquam enim ita contraximus & conſenſimus vt cor noſtrum, & caro noſtra vnum ſint, vna etiam debet eſſe voluntas amborum: mea quandoque mala eſſe poteſt, & ideo voluntas tua, quæ ſemper bona eſt, in meam tranſire non poteſt, nec decet, tranſeat igitur mea in tuam, & fiat voluntas tua, tam in terra, quæ ego ſum, quàm in cœlo quod es tu. Tunc lætanter canere potero, & verè, viuo ego iam non ego, viuit vero in me ſponſus meus Chriſtus. Veni Sponſe, veni dulciſſime Ieſu, veni, quia ecce iam ſponſa tua poſita eſt in voluntate tua.

THESAVRVS XVII.

Chriſtus omnipotens Dominus.

QVia ſæpe, ſoror mea, impingimus in hunc ſcopulum non bonæ, ſeu etiam prauæ voluntatis, difficile ſpem concipis & ad gaudia erigeris, ſed oppreſſa amaritudine conſternata iaces, & triſtitia implet cor tuum. Inter eos enim te vides, qui oderunt diſciplinam, & proiecerunt ſermones Dei retrorſum, qui ſi vident furem, currunt cum eo, & cum adulteris portionem ſuam ponunt. Iniquitatem, inquis, ſi aſpicio in corde meo, quomodo exaudiet Deus? Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum. Omnia oſſa mea infirmata, & confracta, & diſſipata ſunt; languor, & hebetudo inuaſit me, & iam vita mea appropinquans eſt in inferno deorſum. O ſoror mea, ne diffidas, hos etiàm ſcopulos enauigabimus, eſt etiam theſaurus pro te. In profundis te vides, & tu de profundis clama: ſed ad quem clamabis? vereris ad Patrem? non audes ad fratrem? hæſitas ad amicum; erubeſcis ad ſponſum? certè non debes, quia vidiſti, quam fiducialiter ad Patrem, quam ſine timore ad fratrem, quàm confidenter ad amicum, quam ſecurè

curè ad ſponſum potes accedere, clamare, & omnia quęcumque cupis ad ſalutem impetrare. Sed tamen cum ille idem qui eſt & Pater, & frater, & Amicus, & ſponſus, idem ſit & Dominus, non ſolum poſt cætera nomina currentem, hoc vnum Domini Nomen, non te retardet & terreat, ſed in hoc potiſſimum nomine theſauriza tibi theſaurum magnum, vnguentum prætioſum, & effuſum, cuius odore magis inciteris ad curſum, & cuius vnctione, à quacumque infirmitate detineris, ſalua, & libera eſſe poſſis. Igitur etiamſi in profundis ſis, Soror mea, de profundis etiam ad Dominum clama, Dominum cogita, Dominum roga, dic cum Propheta, De profundis clamaui ad te, Domine, Domine exaudi vocẽ meam; quam citò videbis, quia etiam eſt apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio; & ſcies quia factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Turris fortiſſima eſt nomen Domini, refugium altiſſimum, & omnis quicumque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Statim enim ac ſe prodit ſupereminens illa, & omnipotens poteſtas in hoc nomine Domini, quidquid opponitur illi, debile & infirmum eſt, vacuum, & inane, & nihil eſt. Nulla eſt proportio, nulla vis iniquitatis, ad reſiſtendum omnipotenti Domino, in cuius voluntate vniuerſa ſunt poſita; ipſum cor hominis quantumuis lapideum, quantumuis immundum; quantumuis rebelle, & obſtinatum, ita eſt in manu Domini, vt ſicut diuiſiones aquarum, ad quodcumque voluerit vertat illud: Et ideo, ſoror mea, quamuis cognoſcas habere te cor huiuſmodi lapideum, ſcias tamẽ quia in manu illius eſt, qui potens eſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, & conuertere cor lapideum in cor carneum. Roga igitur, vt virgam virtutis ſuæ emittat Dominus ex Sion, & dominetur in medio inimicorum ſuorum; vt ſicut eſt in manu eius cor tuum, ita in illud exerceat dominium ſuum, & ad quodcunque voluerit vertat illud, & in medio ipſius quantumuis inimici dominetur: dic illi, quod etiam ſi tu ipſa ſis Domina cordis tui, ille tamen eſt Dominus Dominantium, & quòd dominium, quod accepiſti ab illo ſuper cor tuum, reſignas totum in manus illius, & ſupremo, & primo dominio ipſius dominium tuum omnino ſubijcis, & æternum ſubiectum eſſe concupiſcis & petis. Quamuis enim, ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine non ſuſtinebo, quia

Digitized by Google

tamen apud te propitiatio eſt, propter legem tuam ſuſtinui te Domine, & ſuſtinebo. Lex enim tua, Domine, voluntas tua eſt, cui non eſt, qui poſſit reſiſtere, cui licet facere quodcumque vult, cuius velle eſt poſſe; quæ nullam legem habet, & omnem facit legem, & ipſa ſibi lex eſt. In iſta igitur lege tua Domine, in voluntate tua, in verbo tuo, quo omnia potes, & omnia portas, poterit etiam ſuſtineri quantumuis infirma, ac debilis voluntas mea, & poterit, quantumuis rebellis, ad te compelli. Sic enim inſtituiſti nos per Eccleſiam Sponſam tuam, quæ tuo ſpiritu gubernatur, & regitur, vt deprecaremur te, dum Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium offertur, dicendo, Oblatis quæſumus Domine placare muneribus, & ad te noſtras, etiam rebelles compelle propitius voluntates. Certè id ad quod petendum nos ipſe inuitas, quomodo poteris tu, idem exoratus, negare? Accede igitur ſecura, ſoror mea, ad Dominum tuum Omnipotentem, adiunge te viro illi leproſo, & clama, Domine, ſi vis, potes me mundare: Praua hæc mea voluntas, Domine Ieſu, etiam ſi rebellis tibi ſit, nullam certè maiorem habet reſiſtentiam reſpectu omnipotentię tuæ, quam haberet lepra illa, vtraque enim eſt quid finitum, & abſque proportione, ad id quod infinitum eſt: extende igitur ſimiliter manum tuam & tange leproſum cor meum, dicens, mundare, certè non dubito, quin ſtatim mundum appareat; & dexteram tuam ſic notam facies, cuius omnipotentia parcendo maximè, & miſerando manifeſtatur. Et quanto lepra hęc meæ prauæ voluntatis peior eſt, & ex parte ipſius difficilior ad curandum, quam lepra corporis; tanto magis dexterę tuæ potentiam in ea ſananda demonſtrabis, qui eadem facilitate, languores corporis minores, & animæ maiores ſanare potes, & ſoles. Nam & hoc ipſum nos docere, & credere voluiſti quando claudum illum paraliticum ſanaſti, in teſtimonium, quod non minus operatorius eſt ſermo tuus, ſi dicas, dimittuntur tibi peccata tua, quam ſi claudo imperes, ſurge, & ambula: Sicut enim omnia tibi ęquè poſſibilia, ſic etiam omnia æquè facilia ſunt. Quod ſi, bone Ieſu, voluiſti me mundare, cum oportuit te hoc facere in ſanguine tuo, quomodo nunc, cum rogo vt per voluntatem tuam tantum liberes me, & ſanes me, continebis in ore tuo illud, Volo, & non imperabis, ac dices, mundare? Reliquiſti tu quidem, Domine, me in manu conſilij mei, & appoſuiſti ante me bo-

num,

Digitized by Google

num, & malum, aquam, & ignem, vt præ foribus haberet voluntas mea quidquid vellet eligere: ſed non ideo deſij eſſe in manu conſilij tui, & in poteſtate tua, vt non poſſis inclinare cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in omni tempore; ita durum ſit mihi, cum volueris, contra ſtimulum calcitrare; quod ſi adeo ego ſeruus nequam ſim, vt calcitrare etiam velim, tu Domine, qui fortior es, & potentior, impedias quæſo me ne offendam te; liga manus meas, & pedes meos, conſtringe ſeruum nequam, vt Dominus illius Omnipotens, in compedibus, & in manicis ferreis, ne fortè inſurgens præualeat aduerſum te. Cur enim, Omnipotens Dominus non auertes à ſeruo, quod bonus Dominus adeo execraris in ſeruo? Tu Domine poſuiſti te in compedibus, in vinculis, pedes, & manus tuas non tantum ligaſti, ſed & clauibus confixiſti, ne amplius ego te offenderem, quod non poſtulaui; & nunc rogans, & petens, vt non te amplius liges, nec affigas manus, & pedes tuos, ſed potiùs vt extendas manus tuas, & brachia tua & exeras omnes vires tuas, & vtaris omnipotentia tua ad me ipſum ligandum, ad me configendum, ad me impediendum ne offendam te, fieri poterit vt non exaudiar, & relinquar ego ſeruus tuus à te, Domino meo, in manu, & captiuitate peccati mei, qui vt me ſeruum à peccato redimeres, te ipſum in ſeruitutem tradidiſti? Non ſum ego, Domine, dignus, vt ſeruias mihi, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea. Nam & ego homo ſum, ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade & vadit, & ſeruo meo fac hoc, & facit. Dico oculo meo vt aſpiciat, & aſpicit, & linguæ meæ vt loquatur, & loquitur, & menti meæ vt cogitet, & cogitat. & voluntati meæ vt velit, & vult, ſi igitur ſerui iſti domus meæ ſeruiunt, & obediunt mihi ſic præcipienti, qui ſum ſub poteſtate tua conſtitutus, quanto magis ſeruient, & obedient ſupremo, & abſoluto imperio tuo, ſi eo vti volueris? Nam ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Et ego Domine non ſolùm conſentio, ſed & rogo, & obſecro, vt omnes iſti ſerui mei, quos tradidiſti mihi, cor meum, et corpus meum, ſenſus, potentiæ, et facultates meæ ſeruiant tibi ſemper potiùs quam mihi; vtere illis, ſecundum beneplacitum tuum, Imperium tuum liberè ſuper illas exerce, ſcio certè, quod ſi tu vis, plus tibi obedient, quam mihi; & hoc eſt quod ego cupio, volo,

obſecro; & obteſtor, vt plus ſeruiant tibi, quam mihi, immo vt tibi ſoli ſeruiant, non mihi. Profectò pronior es tu Dominus meus, ad bonum promouendum, quam ad malum permittendum, & ideo pronior etiam ad concedendum propitius bonum, quod petitur, quam ad concedendum iratus, quod malè petitur, Si ergo in pœnam prauorum deſideriorum, dimittis deſiderantes mala ſecundum deſideria cordis eorum, vt eant in adinuentionibus ſuis, ſicut accidit in iјs, qui concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & tentauerunt te in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis, deſiderium enim eorum attuliſti eis, nec ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Num poſſibile erit, modo eos à te deſiderio ſuo fraudari, quorum anima concupiſcit, non quidem concupiſcentiam illam Iudæorum in deſerto, ſed concupiſcentiam illam Sanctorum, ſecundum cor tuum, qui concupiſcunt deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore? Nonne tu Domine, docuiſti nos, quod concupiſcentia ſapientię deducit ad Regnum perpetuum, & quod prçoccupat ſapientia eos, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat; propter quod optauit Rex ille, & datus eſt illi ſenſus, & inuocauit, & venit in eum ſpiritus ſapientiæ? Nonne tu, Domine, es ille Dominus, de quo dixit Propheta tuus, deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua? & tu ipſe beatos appellaſti, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur? Quamuis igitur ego, Domine, iuſtitiam non feci, illam tamen eſurio facere, & ſi vſque modo non ſeruaui, cupio ſaltem modo ſeruare mandata tua, ideo & tu & ſi non ex iuſtitia, ſaltem in æquitate tua viuifica me: Certè ſi mala hominis voluntas eſſet apud te incurabile, & inſanabile malum, de cœlo ad terram ad to lendum illud non deſcendiſſes, nec præco tuus te proclamaret, Agnum Dei, qui tollit peccata mundi; nec te rogaret ſponſa tua, et Mater noſtra Eccleſia, vt nos ab ira, et odio, et omni mala voluntate liberares; nec tu promiſiſſes, daturum Patrem tuum ſpiritum bonum petentibus ſe; quid eſt enim ſpiritus bonus, niſi bona voluntas? Ergo dabit Pater tuus bonam voluntatem petentibus ſe: ergo ſoror mea, ſi cupis habere bonam voluntatem, et à mala liberari, pete illam, et accipies non enim tam cito ad ipſum clamare incipies, quam cito ipſe exaudiet te, nam eo ipſo quod incipis deſiderare, ac petere

bonam

bonam voluntatem, iam Deus incipit in te operari, tibique præbere bonam voluntatem, immo ideo clamas, quia ab illo præuenta, iam facta es volens bonum illud quod petis; et ecce antequam clament, ego exaudiam, dicit Dominus. Quod expertus Dauid confeſſus eſt, dum dixit, In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudiſti me. Vide quomodo prius ſe exauditum eſſe, quam clamaſſe, fatetur; immo, ideo clamaſſe ſe dicit, quia iam fuerat exauditus; ex ipſius enim dandi voluntate procedit clamor noſter, et omnis noſtra voluntas, et deſiderium accipiendi; ideo enim monet nos ad petendum, quia vult nobis petentibus donare quod poſcimus: denique ipſe eſt, qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc eſt poſtulare nos facit. Creſcat igitur ſemper, ſoror mea, deſiderium tuum, inſtantia tua, obſecratio tua, gemitus tui ſemper magis inualeſcant: ego enim (inquit ille) ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti dilata os tuum, et implebo illud. Nec eſt, ſoror mea, quod timeas adire Dominum Deum tuum Omnipotentem, eo quod iuſtus eſt Dominus, et iuſtitiam dilexit, tu verò inqua, et ad iniquitatem propenſa; nam quanto magis iuſtus eſt, et iuſtitiam dilexit, tanto libentiùs eam tibi petenti communicabit. Nec etiam terreat te, quod pertinet ad iuſtum Dominum corripere ſeruum nequam, nam ad ipſum etiam pertinet, ac multo magis, eumdem corrigere. Tu verò, nolo petas, vt non corripiat te, ſed vt corripiat, et corrigat ſimul, vt puniat quidem culpam in te, ſed ita, vt auferat culpam à te, vt pœnam tibi reſeruet, ſed ita, vt à peccato præſeruet; eſt enim Dominus Deus tuus miſericors, et miſerator, et iuſtus, oportet igitur vt erga te et miſericordiam et iuſtitiam ſuam exerceat; et quidem cum ipſi proprium ſit miſereri ſemper, et parcere, plus concedat oportet miſericordiæ quam iuſtitiæ, tamen dic Domino tuo, quod ſufficit tibi vt vnum tantum concedat miſericordiæ ſuę, et cætera omnia concedat iuſtitiæ ſuæ. Vt ſcilicet in hoc vno tantum exerceat miſericordiam ſuam erga te, hoc eſt, in liberando te à peccatis; de cætero verò exerceat erga te in omnibus iuſtitiam ſuam, puniendo, affligendo, torquendo quantumcumque vult, quomodocumque vult, quandiu vult, dummodo ipſum

non

non offendas; Dic Domino tuo, quod pœnam pro peccatis in ipſum commiſſis, quantumcunque magnam non recuſas, ſed vnum tantum roga, ne in pœnam peccati permittat te amplius peccare, ne peccatum ſit pœna peccati. Benè poterit Omnipotens, et miſericors Dominus alijs innumeris pœnis contentus eſſe, quas infinita ſua ſapientia inuenire, et infinita ſua potentia infligere mihi poteſt. Certè Dominus eſt, an non licet illi, quod vult facere? Miſericordia hæc quam tu petis, non eſt contra iuſtitiam illius, non illam lædit, non deprimit, non minuit, immo etiam ſuperexaltat illam, ſuperexaltat enim miſericordia iudicium. Cur igitur non concedet iuſtitia miſericordiæ, id quod iuſtitiam ipſam ſuperexaltat? Nam et ſi iuſtus eſt, qui non facit iniuriam, iuſtiorem tamen ſe oſtendit, qui facit etiam miſericordiam, apparet enim iuſtitia iſtius eo magis remota, et aliena ab iniuſtitia, quanto magis miſericors eſt, et ſic eleuatur, et exaltatur iuſtitia eius à miſericordia eius. Cum igitur iuſtitia tua, Domine, ſit ſicut montes Dei, ideſt altiſſimà, non poteſt profectò non eſſe fundata, niſi ſuper altiſſimam miſericordiam, quandoquidem miſericordia tua eſt fundamentum, & radix iuſtitiæ tuæ. Denique, Domine, ſi cor meum lapideum eſt, verè etiam dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, vt illi non neges quod lapidibus ipſis concedis, ſcilicet tuam ſemper facere voluntatem, & ideo ſi iam non ſum dignus vocari non ſolum filius, ſed neque ſeruus tuus, ſaltem fac me ſicut vnum de lapidibus tuis, & doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

THESAV-

THESAVRVS XVIII.

Chriſtus legifer noſter, & magiſter noſter.

POne theſaurum tuum in præceptis Altiſſimi, inquit, tibi legifer tuus, ſoror mea. Quod puer Samuel vocatus à Domino Domino non reſponderet, ſed accederet ad Heli, tanquam ipſe non Dominus vocaſſet, ea nimirum cauſa fuit, quia tanquam puer nondum ſciebat Dominum, nec reuelatus ei fuerat ſermo Domini. Hoc idem in cauſa tibi eſſe vereor, ſoror mea, quare vocanti te Deo ad cuſtodienda mandata ſua, & faciendas iuſtificationes ſuas in æternum, non promptè reſpondeas, nec ad ipſius vocem feſtina accurras. Paruula enim es, & nondum aſſueta ſermonibus illius, & vocem quidem Domini audis, ſed tanquam vocem Dei non audis, & ipſius virtutem & ſignificationem nondum percipis. Si igitur hodie nobis hoc præſtet diuina gratia, vt audire tandem & intelligere incipiamus, quid loquatur in nobis Dominus Deus, ô qualem theſaurum inueniemus? ſentiemus profectò quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos, & in eos, qui conuertuntur ad cor. Ideo enim inuitat peccatores, & præuaricantes redire ad cor, Redite, inquit, præuaricatores ad cor, quia in corde poſuit locutorium ſuum, & loquitur ad cor Hieruſalem, quæ ad pacem ſunt Hieruſalem; & quamuis nebula, niue, grandine, aut glacie vndique ſit repletum, emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea, flabit ſpiritus eius, & fluēt aquæ. Ignorantiæ igitur tuæ tenebras, ſoror mea, radijs illius lucis modo illuſtra, quam Paulus Apoſtolus attulit, dum ignorantes nos admonuit, & docuit, ne arbitraremur homini diuinum eſſe ſimile. Deus enim, inquit, ipſe, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic Cœli, & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus hominum colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem & omnia; ſi igitur virtus, & interpretatio ſermonis ex dignitate, & qualitate proferentis deſumenda eſt;

Digitized by Google

& ipſe ſermo perſonam oſtendit,& loquela ipſius manifeſtam illam facit, intellige aliquando, ſoror mea, quæcumque mandat tibi Deus magiſter & legifer tuus & quæcumque loquitur non ideo ea tibi præcipere & mandare tanquam ipſe re aliqua indigeat à te, ſed quia tu indiges iis omnibus, quæ præcipit tibi; quæ cum habere à te non poſſis, niſi accipias ab ipſo (quid enim habes quod non accepiſti?) quid aliud facit Deus tuus dum aliquid exigit à te,niſi indicare & ſignificare tibi amanter totum id quod tu ab ipſo exigere, & accipere debes? vt ſic habeas vnde reddas,quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Sicut enim nemo dat, quod non habet, ſic nemo habet, quod à Deo non accipiat. Ad ipſum enim tantummodo pertinet ſuprema illa perfectiſſima,& omnibus numeris abſoluta Beatitudo, ſcilicet Beatius eſt magis dare, quam accipere, ipſe ſiquidem ſolus eſt, qui taliter dat, vt non accipiat. Quo igitur plura, ſoror mea, quo maiora, quo difficiliora, quo perfectiora iubet, exigit, requirit, noli contriſtari, nec terreri, neve puſillanimis ſis, immo eo te magis lætari, eo te maiorem ſpem concipere, eo magis cor tuum dilatare tunc oportet, nam tanto plura, tanto maiora, tanto præſtantiora, ac ſublimiora ab ipſo tunc expectare, deſiderare, petere, exigere, & accipere debes. Idem namque ipſe legifer tuus, & Deus tuus, idem ipſe eſt, à quo totum id eſt accipiendum, quod pro ipſo totum eſt erogandum; & ſermo illius potiùs te docet, quid pro te ipſe Deus facere ſit paratus, quam quid tu ipſa prior præſtare Deo debeas. Quam benè, ò Domine, hanc ſermonis tui interpretandi rationem oſtendiſti ſeruo tuo Abraham, qui etiam ſi fidelis, & gratus, & intimus tibi eſſet, linguam tamen tuam non niſi ſero intellexit. Tolle, dixiſti, filium tuum Vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, & offeres eum mihi in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi. Quid primò & præcipuè intelligeres, ò Abraham, in verbis iſtis, bene demonſtraſti, cum ſtatim ad opus exijſti, & cum filio ad montem iter arripuiſti, ligna ſuper illum impoſuiſti, gladium, & ignem ipſe tuliſti, Altare ædificaſti, filium colligaſti, & ſuper ſtruem lignorum collocaſti, manum denique extendiſti, gladium arripuiſti. Benè quidem hæc omnia, & fideliter perfeciſti; ſed nunquid aliquid Deo offerebas, quod tibi prius non contulerit Deus? Numquid aliquid pro eo facere

cere decreuiſti, quod prior ille non decreuerit pro te facere? præuenerat iam ille cogitationibus ſuis antiquis, & fidelibus cogitationes tuas etiam fideles, ſed poſteriores, & ideo præcepit vt illi offerres filium tuum vnigenitum in holocauſtum, non vt à te filium tolleret, ſed vt tibi filium ſuum vnigenitum daret, non vt ſemen tuum extingueret, ſed vt ſemen tuum multiplicaret ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt; vnde & exultaſti vt videres diem illum, quo Deus miſſurus erat filium ſuum in terram viſionis, in qua ſcilicet ab hominibus viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, & pro hominibus oblatus eſt in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauit tibi; vidiſti enim, & gauiſus es. Vide igitur, ſoror mea, quomodo qui victimam ab Abraham exigebat, qualem victimam Abrahæ præparauerat, & ſermo ille, qui humano more apprehenſus, tam durus, tam auſterus, tam difficilis videbatur, intellectus ſecundum conceptum, & intimum ſenſum Dei præcipientis, quam iuſtus, quam conueniens, quam dulcis, quam amabilis, quam ſalutaris, quam prætioſus, quam re vera fidelis, & omni acceptione dignus comperiebatur? Non inſipienter agit nobiſcum Deus noſter, nec exigit, aut requirit à nobis maiora nobis, & impoſſibilia; ſi exigit, aut dedit aut dare vult, ſi requirit, non ſibi ſed tibi quærit; petit à te vt tu petas ab illo, poſtulat à te, quod vult, vt tu poſtules, & accipias ab ipſo; repetit etiam quod dedit, vt iterum reddat multiplicatum & centuplicatum, ſicut multiplicauit filios Abrahæ, filium repetendo quem dederat. Vide ſoror mea, quam bonum habeas legiſlatorem, quam æquum, quam mitem, quam beneuolum. Vide ſi poterat iugum magis ſuaue, & onus magis leue tibi imponere, quam vt ab ipſo petas quidquid ille petit à te, non pro ſe, ſed pro te? petit ille à nobis, & mandat mandata ſua cuſtodiri nimis, vt ſimus perfecti ſicut Pater eius Cœleſtis perfectus eſt, & ecce hoc ipſum præceptis ſalutaribus nos monet, vt ab ipſo petamus ita deprecantes, fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra: præcipit ille nobis dicens, declina à malo, & inſtituit nos orare dicentes, libera nos à malo. Denique iubet mandatum magnum in lege, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & hanc ipſam dilectionem, & charitatem, & gaudium plenum, & om-

nia bona, & quidquid orantes petimus, promittit ſe nobis daturum, dicens, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis, petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. O verè iugum ſuaue, quod tibi nobiſque imponis, quo nos quidem teneri vis ad petendum, te verò ad dandum quod petimus! ò verè onus leue, quod ita nos portare vis, vt nos à te portari velis: dixiſti enim per Prophetam; Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua. Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo, & ſaluabo. Tu es qui omnia opera noſtra operaris nobis. Tu es qui operaris in nobis & velle, & perficere; nec vllus vnquam fecit aliquid pro te, quod non fecerit per te. Quis enim prior dedit tibi, & retribuetur ei? Dum igitur audis, ſoror mea, à præceptore tuo, à legislatore tuo; Obſerua fili mandata mea, eſto perfectus, dilige inimicum tuum, percutienti te in vna maxilla præbe illi alteram, ſi oculus tuus ſcandalizat te erue eum, & proijce abs te, ne dicas durus eſt hic ſermo, & quis poterit ſeruare illum? grandia poſtulat à te, vt diſcas ab ipſo grandia poſtulare; magnam exigit perfectionem, & ſanctitatem, quia magnam ſanctitatem tibi donare paratus eſt. En tibi propoſitum exemplum in muliere Samaritana, quæ adhuc ignara, & non aſſueta Dominico ſermoni, dum audit ab illo, mulier da mihi bibere; admiratur, & ſtupet dicens, Quomodo, tu Iudęus cum ſis, poſcis a me bibere, quæ ſum mulier Samaritana? Ac ſi tu, ſoror mea, diceres Deo tuo, cum tibi aliquid boni imperat, quomodo tu Domine, qui de cœlo es, bonitatis, & iuſtitiæ aquas à me petis, quæ de hoc mundo ſum, qui in maligno poſitus eſt? non coutuntur Iudæi Samaritanis, nec filij hominum mendaces, & iniqui, cum cœli incolis, & beatis ſpiritibus. O mulier ſi ſcires donum Dei & quis eſt, qui dicit, da mihi bibere (ſeu tibi, ſoror mea, fac bonum quod à te peto) tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam ſalientem in vitam æternam; dediſſet inquam tibi bonitatem, & diſciplinam & ſcientiam, & iuſtitiam illam quam à te petebat. Vide quomodo aquam petijt, vt aquam donaret; vide quomodo poſcens bibere, & ſiti ſuæ conſulit, & noſtræ, ſuæ quidem, quia ſitit donare, noſtræ verò quia ſitimus accipere, & ideo petentes dona ipſius, & ſitim eius ſedamus, & noſtram.

ſtram. Sitis enim ipſius non ex vacuitate aut inopia humoris; ſed potiùs ex repletione, & ſuperabundantia procedit; ideo non per intus ſumptionem, ſed extramiſſionem ſedatur, ideo quærit non ex quo ſumat aquam, ſed quo aquam effundat. Sicut Nutrix, quæ multo lacte abundat, petit à puero, vt attrahat, vt ſugat, quia nimio lacte vbera eius ſunt plena. Ita Deus noſter, quia vbera ipſius turgida ſunt & lacte tumētia, ideo præcipit nobis pueris ſuis, arguit, obſecrat, increpat, vt ſemper oremus & nunquam deficiamus, vt ſemper hauriamus, vt os dilatemus, quia lacte miſericordiæ ſuæ illud vult adimplere. Hoc mulier illa cum cæpit intelligere, quam congruenter adiecit, Domine da mihi hanc aquam! Ita & tu, ſoror mea, dicas Deo tuo, dum petit à te aliquod bonum, Domine da mihi hoc bonum: continentiam iubes? da quod iubes, & iube quod vis. Iuſſit ſemel Dominus Diſcipulos ſuos, vt facerent homines diſcumbere, erant autem viri quaſi quinque millia, quid apponerent diſcipuli non habebant, præter quinque panes hordeaceos, & duos piſces; paruerunt illi & fecerunt homines diſcumbere, ſed quis ſatiauit eos, niſi tu idem Domine, qui diſcipulis tuis imperans vt darent turbis manducare, voluiſti vt haberent ipſi quod manducarent, & quod miniſtrarent turbis ad manducandum? Poſt Reſurrectionem tuam nonne quandoque diſcipulos interrogaſti, numquid pulmentarium haberent? interrogaſti ne ideo vt pulmentarium acciperes, an vt pulmentarium dares? exitus, quidnam petendo intenderes, comprobauit; in verbo tuo Domine laxata ſunt retia, & pulmentarium copioſum inuenerunt. Volebas gregem tuum Petro commendare, & dominium ſuper omnes oues gregis illi tradere, interrogaſti eum, Simon Ioannis diligis me plus his? quo reſpondente, Domine, tu noſti quia amo te, tunc ais illi, Paſce oues meas: O Domine ſi humano & vſitato more verba hæc intelligamus, non video ex hoc amore Petri erga te quam rectè inferas, Paſce oues meas. Nonne amabat te cum tecum paratus erat & in carcerem, & in mortem ire? Vide quid facias, vide ſi in hac Petri dilectione fundes Eccleſiam, quam ſtabile, quam firmum fundamentum ſit habitura? Sed perpende, ſoror mea, in verbis illis amorem Domini erga Petrum, perpende etiam ipſius Petri ſecuram ad Dominum reſponſionē: Domine tu noſti quia amo te; quaſi diceret; tu Domine, qui amorem

amorem exigis & tribuis, bene noſti quia amo te. Vide igitur quomodo dilectionem illam magnam quam Dominus à Petro poſtulauerat ipſe Dominus Petro communicauerit, quæ cum iam non amplius in Petri opinione de ſe præſumentis, ſed in ſcientia Chriſti amorem largientis fundaretur, nunquam potuit amplius deficere, aut titubare. O quam bene fundata eſt domus Domini ſuper hanc firmam Petram, non enim de ſuo habebat quod eſſet Petra, ſed de verbo tuo Domine, quo dixiſti, Ego autem dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: quid mirum ſi portæ inferi non præualebunt aduerſus eam? Etenim, ſoror mea, Præceptor noſter, & legifer Chriſtus non eſt ſicut Moyſes, cuius lex oſtendebat quidem quid faciendum eſſet, ſed gratiam qua fieret, quod præcipiebatur non conferebat; ſed lex Chriſti eſt lex gratiæ, quæ continet, & præſtat gratiam, qua quidquid præcipitur compleatur. Hoc enim eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael; Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas. Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini. Scribit igitur legifer noſter legem ſuam, non in tabulis lapideis, ſed in cordibus, ignem enim venit mittere in terram, & quid vult niſi vt accendatur ad hoc, vt illuminet, & inflammet? O quã verè, ſoror mea, mandatum quod præcipit tibi, præceptor tuus Chriſtus, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt debeas dicere, quis noſtrum valet in cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? neque trans mare poſitum: vt cauſeris & dicas, Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? ſed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Vide, ſoror mea, quam grandem theſaurum quam propè habeas in ore tuo, & in corde tuo, & legem tuã in medio cordis mei, dicit Dauid. Ideo quotieſcumque cor tuum, & os tuum aperies ad deſiderandum, ad clamandum, ad petendum, inuenies ſtatim ibi theſaurum tuum, vbi eſt & cor tuum: hinc S. Dauid, os meum aperui, inquit, & attraxi

ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam. Vide quomodo apertis theſauris ſuis cordis, & oris ſui ſtatim ſpiritum inuenerit? deſiderabat ille quidem facere mandata diuina (inquit Auguſtinus) ſed non erat vnde faceret infirmus fortia, paruulus magna. Aperuit os petendo, quærendo, pulſando, & attraxit ſpiritum. Aperuit os confitens quod per ſe ipſe non faceret, & attraxit vnde faceret mandatum ſanctum, iuſtum & bonum: Non enim qui ſpiritu ſuo agunt, ſed quotquot ſpiritu Dei aguntur, *ij ſunt filij Dei*; non quia ipſi nihil agunt, ſed ne nihil boni agant, à bono aguntur, vt agant. Quid dicis, ſoror mea, diffidere ne amplius poteris, ſi multa Deus à te exigat & grandia poſtulet? an non potiùs tunc gaudebis & dilatabitur cor tuum? O Domine Deus meus multiplica ſuper me, quæſo, verba tua, mandata tua, præcepta tua, legem pone mihi, Domine, viam iuſtificationum tuarum & exquiram eam ſemper, quo enim plura à me petieris, plura dabis, quo pauciora imperabis, eo pauperior apparebo in conſpectu tuo; magnum me eſſe vis? magna impera; ſtrenuum, & fortem me cupis? ardua, & difficilia præcipe, quid vnquam graue poteſt eſſe in præcepto, vbi eſt omnipotentia, & charitas nimia in imperante? fac me ſæpe Domine audire, fili, præbe mihi cor tuum, intelligam enim ſubito quod dum petis à me cor meum, vis mihi præbere cor tuum, niſi enim primus inclines cor tuum ad me, eleuare ego cor meum ad te minimè poſſum. Impera Domine vt ſanctus ſanctificetur adhuc, & iuſtus iuſtificetur adhuc, & ita diſcam maiorem ſemper iuſtitiam, & ſanctitatem à te ſemper expetere, exquirere, & ſperare, & obtinere. O ſoror mea, ſi hac ratione percipias, & intelligas ſermones Dei tui, quam facile, quam ſuaue tibi erit non ſolùm ipſi Deo, ſed etiam illi quicumque ſit, qui à Deo tibi præpoſitus ſit, obedire? omnis enim poteſtas à Deo eſt, & illis vt imperent, & tibi vt pareas. Abundas exemplis Sanctorum qui Magiſtrorum, & Præpoſitorum ſuorum loquela, & imperio roborati, eam facultatem, & eas vires experti ſunt in ſe, vt ipſam vicerint naturam: extinxerunt impetum ignis, obturauerunt ora leonum, effugerunt aciem gladij, conualuerunt in infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Loquere igitur, loquere Domine Ieſu, quia audit ſeruus tuus, verbo tuo formaſti

me,

me, & verbo tuo iuſtificabis me; loquutus es vt ſim, loquere etiam ita vt iuſtus ſim; ſcimus enim quoniam tu Domine ipſe es Deus, ipſe facis nos, & non ipſi nos; Da mihi Domine intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo: Lex enim tua Domine immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis; iuſtitiæ tuæ rectæ, lætificantes corda, præceptum tuum lucidum illuminans oculos: Iudicia tua Domine vera, iuſtificata in ſemetipſa; deſiderabilia ſuper aurum & lapidem prætioſum multum & dulciora ſuper mel, & fauum, etenim ſeruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa. Qui enim legem cuſtodiendam tribuis, non ſolùm gratiam retribuis, quia cuſtoditur, ſed etiam gratiam retribuis vnde cuſtodiatur. Quid mirum ſi voce hac tua adeo delectetur ſponſa, vt petat iugiter, ſonet vox tua in auribus meis? Vox enim Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia, Vox Domini præparantis ceruos, parere faciens, & habitare ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Ideo diligam theſaurum iſtum mandatorum tuorum ſuper aurum & topazion, propterea ad omnia mandata tua dirigam me, & omnem viam iniquam odio habebo. Etenim cum ſermones tui Domine, & doctrina tua, non ſolùm pertineant ad me, ſed ad te, immò multo magis ad te, quam ad me, non eſt enim diſcipulus ſupra magiſtrum, neque tu ex ijs, qui dicunt, & non faciunt, prius enim cæpiſti facere, quam docere: profectò non inueni theſaurum ditiorem, & magis copioſum, & pro omnibus meis neceſſitatibus opportunum magis, quam ipſa ſit tua doctrina & diſciplina. Sic enim tu, Domine, docuiſti me, noli vinci à malo, ſed vince in bono malum; date, & dabitur vobis, ſi aufert quis tunicam, date ei & pallium, ſi quis angariauerit te mille paſſus, vade cum eo alia mille, benefacite ijs qui oderunt vos, orate prò perſequentibus, & calumniantibus vos. O quam bona doctrina, quam opportuna, quam ſufficiens, & ſuperabundans ad ſubleuandam omnem meam inopiam, & miſeriam! Dicã, ergo ego tibi nunc Magiſtro meo, & conuertam ad te ſermones tuos, malus ego ſum? fateor, at tu noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Debitor tibi ſum multorum talentorum? da, & dabitur tibi: peto tunicam, da mihi, & pallium: rogo vt in adiutorium meum intendas? & tu ad adiuuan-

adiuuandum me feſtina, perſequutus, & calumniatus te ſum? ergo ſis mihi mediator & aduocatus. Magiſterium tuum imple, exurge in pręcepto, quod mandaſti, memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti; hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me. Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus diuitijs, in mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas, in iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos.

THESAVRVS XIX.

Chriſtus vnio hypoſtatica, ſeu Chriſtus Deus, & homo.

SI conſideret homo, ſoror mea, quid in ſe ipſe ſit, nihil eſt quod non timeat, ſi verò conſideret, quid ſit in Chriſto, & propter Chriſtum, nihil eſt quod non ſperet. Si quam legem ſtatuit mihi Dominus conſiderauero, à iudicijs illius timebo; ſi eandem ſibi legem dixiſſe cognouero, ecce in verbum illius ſuperſperabo, & ideo cognoui quia æquitas iudicia tua Domine, & dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion, & ideo lex tua meditatio mea eſt die, ac nocte. Dic, ſoror mea, quoties audis leges illas, de non abſcondenda pecunia Domini ſui, de negotiando talento, ac reddendo illo cum fœnore, & vſuris, nonne contremiſcis? nonne faciem iudicis, & Aduentum Domini conſcientia expaueſcit? ecquis enim non formidet à facie illius, qui ſe adeò auſterum Dominum iactauit, vt tollere ſtatuerit quod non poſuit, & metere quod non ſeminauit? Sed ò bone Ieſu, qui legem nunquam vllam ſoluiſti, ſed perfectiſſimè omnes adimpleſti, ſi teneri eadem lege etiam ipſe conſentis, & ita vis, propter me, quantam mihi in ea ſpem dediſti? nulla vnquam mihi lex gratior, nulla conducibilior. Permitte nunc me, ſeruum tuum, intrare in iudicium cum Domino meo, qui iuſtus cum ſis, iuſta etiam hac vice loquar ad te. Ineamus, bo-

ne Ieſu, quæſo rationes ſimul inter nos, fiat computus de pecunia, quæ credita tibi fuit propter me, & ea quam ego recepi propter te, æſtimentur ex vna parte quinque illa talenta, quæ tradidiſti mihi, & ex altera talenta, quę tradita ſunt tibi, conferantur decem mnas mea cum mnas tuis, tunc de vſuris, & fœnore ſimul agamus. Certè cito, & facilè ad calculum reuocabuntur omnia, quæ mihi iam tradita ſunt, & quæ mihi tradi poſtulo in futurum, & in perpetuum propter te; ſed quæ iam tradita ſunt & quæ in æternum poſſidebit humanitas tua ſanctiſſima propter me, quis æſtimare, quis numerare poteſt? & ſi horum omnium fœnus, & vſuras tu ipſe voluiſti ad me pertinere, qui ea omnia propter me ſuſcepiſti, ô quam prætioſus theſaurus, quam ingens, quam inexhauribilis in te vno mihi apertus eſt? Expendatur ſi poteſt vnicum illud talentum tuum, prætioſiſſimum illud donũ, quod eſt ſuper omne donum, Vnio illa, inquam, Hypoſtatica humanitati tuæ conceſſa, qua nihil maius, nihil præſtantius, neque ipſe præſtare potes, qui omnia potes. O Talentum ſuper omne talentum, ſufficis tu mihi vnum, quod fuiſti propter me vnum ſicut pro omnibus erogatum: ex te ſolo interrogare modo cupio Dominum meum, qui propter me ſuſcepit illud, an ſuperlucratus mihi fuerit quidquid immenſus valor, quidquid immenſum pondus ipſius adæquare poteſt? Dic mihi quæ dona, quæ munera, quæ gratiarum vbertas ex vnico illo fonte defluxerunt in animam tuam ſanctiſſimam, in corpus tuum immaculatum? Quod pro me cum illis bene negotiatus non ſis, quis audeat dicere, cum de te ſcriptum ſit, bene omnia fecit? Si bene pro me negotiatus es, quam magnum fœnus, quam magnas vſuras poſſum nunc, & ſemper exigere? Quid vnquam æquale poſtulare poſſum pro ſalute mea ab eo, qui tantum pro ſalute mea recepit? quid non certò ſperare debeo à tam bono negotiatore mihi reddendum eſſe? quid mirum nunc ſi mihi dixit, vt peterem quæcunque vellem in nomine ipſius, & iurauerit ſe mihi omnia daturum; cum ipſe tot, & tam eximia dona, mei cauſa ſuſcepit? Vide Domine Ieſu, & conſidera, quidnam prouenerit tibi, & quantum humanitas tua ſanctiſſima ditata, & ornata ex eo ſolùm ſit, quod tam mirabiliter vnita ſit tuæ diuinę perſonæ. Non enim ſicut cæteris per partes, ſed omnis plenitudo gratiarum, omnia chariſmatum dona, omnia

pari-

Digitized by Google

pariter bona, ſimul cum illa ſacratiſſima vnione in te confluxerunt. Hinc ſpecioſus præ filijs hominum apparuiſti, hinc te ſponſa adeo adamauit, & pulchritudinem tuam in membris tuis omnibus adeò commendauit, hinc exultaſti vt gigas ad currendam viam, hinc fortis, & potens in prælio, hinc Dominus virtutum apparuiſti, peccatum, & mortem, & clauſtra inferni debellaſti, & victor ad Patrem tandem aſcendiſti. Si igitur propter nos homines, & propter noſtram ſalutem de cælo deſcendiſti, & incarnatus es de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus es; partem lucri quam mihi, pro me factus homo lucratus es, ex vnico hoc talento, ſiue trigeſimam, ſiue ſexageſimam, ſiue centeſimam, mihi reddi modo poſtulo. Si enim anima tua propter me ditata eſt tam magna gratia, tam magna charitate, tam ſingulari ſanctitate, tot tantiſque virtutibus, tibi ſoli, qui eas recepiſti comprehenſibilibus, certè oportet etiam vt ex iſta tam ampla bonorum omnium poſſeſſione retribuas mihi exigenti fructus, & prouentus non exiguos ſanctitatis, charitatis, iuſtitiæ, & omnis perfectionis. Si enim tu adeo bonus es, vt etiam retribueris nobis bona pro malis, quid erit boni quod non deceat te nobis retribuere, pro omnibus bonis quæ propter nos homines tributa fuerunt animæ tuæ? Retribue igitur ſeruo tuo Domine, viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos.] O ſoror mea, deſine iam mirari, ſi Christus tuus omne meritum, quod meruit factus homo in diebus carnis ſuæ in te contulit, & tibi donauit, ſiquidem propter te etiam factus eſt homo, propter te, inquam, Deus factus eſt homo, & homo factus eſt Deus, ac proinde propter te Christus eſt Deus homo. Deſine mirari, ſi Ieſus tuus ſe ipſum, & omnia ſecum bona tibi donauit, quandoquidem ipſi propter te donata ſunt omnia: Hinc eſt, quod te inuitat vt petas, vt quæras, vt pulſes, offerens omnia, promittens omnia abſque pondere, & menſura quantum vis, quantum ſcis, vſque dum gaudium tuum plenum ſit. Si igitur adeo commendat ſeruũ ſuum, qui ex quinque talentis alia quinque ſuperlucratus eſt, quanto magis nos ſerui ipſius commendare in immenſum debemus Dominum noſtrum, qui ex talentis ſibi traditis propter nos, acquiſiuit nobis quantum poſſumus vnquam deſiderare, aut petere, immò quod ſuperat etiam omne noſtrum votum, & deſiderium? Accede tu ſemper, ſoror mea,

N 2 cum

cum fiducia ad exigendos hos fructus ſuos, tibi debitos, ad exigendum hoc fœnus talentorum, quæ Chriſto Domino propter te donata ſunt, nulla eſt hic in exigendo mora neceſſaria, nulla temporis dilatio in petendo, vt fructus matureſcant, vt fœnus multiplicetur, & creſcat: ſemper enim maiores fructus reperies, quos exigas, quantumcumque ſemper exegeris. Quod ſi non accedis, non petis, ſponte culpa tua, inops eris, infælix eris. Certè puto hoc eſſe malum illud, quod vidit Sapiens ſub ſole, & quidem frequens apud homines; Vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus quę deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo; quare? in cauſa aliud non eſt, niſi quia os ſuum non vult aperire; os meū aperui, & attraxi ſpiritum, dicebat Dauid: & ipſe Deus clamat, dilata os tuum, & implebo illud. Expergiſcere igitur anima mea, excute torporem tuum, ſis etiam tu auſtera in exigendo fœneratrix; fœneratores enim ſuos Deus iucundius intuetur non fœneratis. & quibus maximè debet, hos maximè diligit. Itaque ſi vis eum ſemper amicum habere, multorum conſtitue illum debitorem, multa ſemper in nomine Chriſti exigendo: Nec enim ita fœnerator debitores habens gaudet, ſicut Deus creditores habens delectatur, & quibus quidem nihil debet, hos refugit; quibus verò debet, ad hos accurrit. Igitur omnia facias, ſoror mea, vt ipſum habeas ſemper debitorem. Abſit enim, quod Ieſus tuus, talentum ſuum vnquam otioſum & abſconditum habeat, qui non eſt lucerna ſub modio poſita, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt: ipſe ſiquidem eſt lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum: quod ſi eum ſui non receperunt, culpare ipſos oportet, qui magis tenebras dilexerunt, quam lucem. Tu verò, ſoror mea, ſemel illuminata, & inter Filios Dei tranſlata, cognoſce mecū qualem Epiſcopum, & Paſtorem habeamus; qui cum prætioſa quæque talenta pro nobis acceperit, & illa, & ſe totum pro nobis dedit, & totus in noſtros vſus expenſus eſt. Tibi enim profecit ſapientia, & doctrina, non ſolùm ea quam ætare, & experientia acquiſiuit; ſed ea etiam quam de ſinu Patris ſecum attulit; illa etenim aures tangebat & iſta cor conterebat, & conuertebat; tibi gratia miraculorum, tibi Prophetiæ munus, tibi diſcretio ſermonum, tibi dimittendi pecca-

Digitized by Google

peccata poteſtas, tibi quidquid hypoſtaſis illa diuina humanitati illius elargita eſt diuitiarum, & gloriæ, tibi denique profuit quidquid bonus iſte Paſtor in toto curſu vitæ ſuæ, dum cathedram in terris tenebat, operatus eſt. Modò verò cum ſit Pontifex in æternum & cathedram in cœlum tranſtulerit, quæ olim mihi in parentibus meis dedit, non dabit etiam nunc mihi ipſi petenti & exigenti? Non enim tranſeunte eo ex hoc mundo ad Patrem, tranſit etiam curſus fœnoris quod intercedit inter nos & illum. Nam ſi propter nos homines deſcendit de cœlis, propter nos etiam aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; vnde ratione etiam gloriæ iſtius, quam propter nos accepit, habemus etiam hoc amplius quod pro nobis exigamus. Sed habemus præterea quidquid & ipſe pro nobis exigit, dum interpellat pro nobis in cœlo. Immo non ſolùm bonus iſte Paſtor pro nobis modo negotiatur in cœlo talentis ſibi creditis, ſed etiam Paſtoribus alijs in terra ſua talenta large partitur, vt etiam illi pro nobis ſimul cum ipſo negotientur: de talento enim illius habent paſtores alij quod nobis peccata remittant, gratiam conferant, augeant merita, & præmia æternæ vitæ. Agit etiam nunc humanitas illa ſua ſanctiſſima cauſam populi ſui, generis ſui, cuius non minus eſt amator, quam eſſet Regina illa Eſther populi ſui, quæ gaudere, & conſolari non poterat de gloria, & ſalute animæ ſuæ, priuſquam ſceptrum illud aureum Regis inclinatum videret ad faciendam ſalutem cum gente ſua. Vnde huius ſecreti particeps Eccleſia quotieſcumque pro neceſſitatibus ſuis orat, & obſecrat Incarnationis ſanctæ myſterium de theſauris ſuis profert quaſi ſignum, & pignus certum, quæcumque petuntur beneficia obtinendi, cum in Incarnati Verbi ſpecie, & pulchritudine, omnia ſpecioſa ſua reſtaurari, & reparari conſpiciat. Videant igitur oculi tui, o bone Ieſu, imperfectum meum, modo videant perfectum tuum, quod habes ad tollendum imperfectum meum, opus fac boni Paſtoris, miniſterium tuum imple, argue me, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina, vt accepto talento fructum referas ſalutis meæ, quæ commendata fuit in manus tuas. Non erit inanis operatio tua, negotiatio tua; tu enim idem ipſe es, qui plantas, & qui irrigas, & qui incrementum das Deus: & exemplo tuo Paſtores alios inſtruis, vt quemadmodum ipſe facis,

Digitized by Google

facis, & ipſi faciant, dum vident ex accepta pecunia redemptam ouem, & humeris tuis impoſitam, ad patriam cum gaudio te referentem. Traxiſti enim nos, Domine, ad te in funiculis Adam, in vinculis charitatis, dum per Incarnati Verbi myſterium, noua mentis noſtræ oculis lux tuæ claritatis infulſit, traxiſti nos Domine ad te, dum te conſpeximus à terra pro nobis in Cruce exaltatum, conſcidiſſe ſaccũm tuum, & prætium noſtrum effudiſſe, quod erat incluſum in ipſo ſacco, ſcilicet in ipſa humanitate tua. Etenim ſi in naturalibus ea ratio comperitur, vt res quælibet ad id, quod in eodem genere optimum, & primum eſt, naturaliter inclinet, & ad illud tanquam ad centrum feratur, veluti noſter hic ignis impurus & mixtus ad ignem illum cœli puriſſimum, & impermixtum, cum humanitas illa tua, qua homo es, ſit id quod primum, & optimum eſt inter cæteras humanitates per quas nos homines ſumus, nonne & ipſa trahere nos debet poſt ſe in odorem vnguentorum ſuorum? O quam bono Epiſcopo commiſſa es anima mea? omnem ſollicitudinem tuam in ipſum proijce, ipſi te totam cuſtodiendam committe, ipſum totis viceribus dilige: omnia, quæ tibi expediunt ipſe cognoſcit, omnia vult, omnia poteſt, omnia facit; quid dubitas de ſalute tua, ſi petis illam de manibus eius, quibus commiſſa eſt, & in quibus deſcripta eſt, imo, & inſculptà ſtilo ferreo, notiſque purpureis, & indelebilibus conſignata? Quam alacris, quam ſecurus, quam frequens debet eſſe acceſſus tuus ad illum, in quo tibi præparatum vides, & pro te collocatum quidquid præſidij, quidquid diuitiarum, quidquid gratiarum, ad tuam omnimodam beatitudinem opus habes? Si vis, ſi accedis, ſi petas, tua ſunt, & hoc eſt gaudium illius, vt velis, vt accedas, vt petas, admonet, inuitat, clamat, expectat, vt accipias, vt comedas, vt fruaris bonis, quæ congregauit tibi: quæ ſtultitia eſt expectare, vt compellat? Nonne triſtitia magna afficeretur mercator, & negotiator ille, qui poſt peragratas longinquas regiones, poſt graues ſuſceptos labores, poſt erogatas ingentes pecucias, domum cum prætioſiſſimis gemmis reuerſus, adeò à ciuibus ſuis egenis, & pauperibus contemni illas videret, vt ad eas, vel dono accipiendas domum ipſius adire dedignarentur? Quid ſi negotiator ille nullius indigens, ſumma rerum abundantia, ſummis honori-

honoribus, & diuitijs affluens, Rex item & filius Regis, ſolùm ciuium ſuorum amore peregrè profectus, inopiam, & & ignominiam paſſus, opprobria inſuper & vulnera, & mortis dolores expertus eſſet? quæ maior iniuria excogitari poſſet, quam ſimilis contemptus ipſius, & rerum ſuarum, quas tam immenſo âmore, & tanto prætio pro ſuis ciuibus acquiſiuit? Quantum doleat de hoc neglectu Negotiator noſter Ieſus Chriſtus, non auderem ego dicere, cum ſine fletu, & lachrymis non poſſit audiri, ſed quia ipſemet Ieſus nobis hoc ſignificauit, tacere illud nec poſſumus, nec debemus. Dum enim hæc ſcriberem tibi, ſoror mea, incidit dies feſtus Sanctæ Brigittæ, & dum Matutini Officij debitum perſoluo, venio ad eum lectionis locum, in quo ſanctæ huius fœminę geſta narrantur: lego quomodo decimo ætatis ſuæ anno (quanti momenti arcanum quam cito didicit?) cum quadam die de Paſſione Domini ſermonem audijſſet, nocte ſequenti vidiſſe Ieſum in Cruce, ſanguine recenti perfuſum, de paſſione ſua ipſam alloquentem: qua exiſtimante eum tunc temporis fuiſſe crucifixum, & interrogante, qui eum Cruci iam dirè affixiſſet, reſpondit Dominus (audi ſoror mea) ab his hoc factum, qui contemnerent charitatem ipſius. Igitur, ò bone Ieſu, ſi negligo venire ad te, vt ſalues me, crucifigo te? Quid hoc eſt? niſi quia charitatem illam tuam nimiam videor contemnere, qua ſic dilexiſti me, vt traderes temetipſum pro me, & vitæ tuæ præponeres ſalutem animæ meæ; Hinc eſt, quod odiſſe ſalutem animæ meæ, perinde ſit ac odiſſe vitam tuam, ſiquidem odio habeo, & contemnò id, quod tu tanti æſtimaſti, tantumque dilexiſti; vt prætuleris etiam vitæ tuæ, cuius prætium ſatis vnquam æſtimari non poteſt. Hoſtis igitur animæ meæ, & in me ipſum crudelis, & inhumanus eſſe non poſſum, quin multo inhumanior, & crudelior ſim aduerſum te? Quid hic dicis, ſoror mea? Num ſi curæ tibi non eſt propter te in malis eſſe, & in inferno habitare non horret cor tuum; ſaltem non horrebis iterum crucifigere Deum tuum, Creatorem tuum, Redemptorem tuum, & ferre poteris, iterum illum aſpicere recenti ſanguine à te conſperſum? Ecquis vnquam amicum interfecit, quia inuitauit ad cœnam, quia elargiri vult bona ſua, quia dare vult hæreditatem ſuam? talis ferītas à ſæculo non eſt audita. O homo, non homo, ſi hoc cogitare poteris. Veniam

niam

niam ad te, bone Ieſu, veniam, exigam lucrum quod acquiſiuit mihi dextera tua, effunde ſuper me miſericordias tuas, theſauros bonitatis tuæ, & flumina charitatis, & fac, vt vbi ſuperabundat delictum, ibi etiam ſuperabundet & gratia. Dabo tibi hoc gaudium, vt cognoſcat mundus quantum mihi tu Deus, & homo lucratus ſis, & quantum diuitiarum mihi acquiſiuerit humanitas tua. Confundere, ſoror mea, magis ſatagentem illum videns vt tribuat tibi, quam ſollicita tu ſis vt accipias ab illo. O verè me excordem, ſi non diligam te, bone Ieſu, pluſquam me, quando bonum meum, ſalutem meam, magis mihi cupis, quam ego ipſe mihi, & iacturam tuam ducis, perditionem meam, damnum meum: & ideo dum ego cupio, dum peto, dum ſpero, dum oro, dum volo, à te ſanus fieri, non poteſt eſſe quin etiam tu velis me ſaluum facere, qui pluſquam ego, diligis ſalutem meam. O quam ſecurus accedo ad eum, qui magis vult dare, quam ego accipere? O theſaurus abſconditus à ſapientibus, & prudentibus huius mundi, & reuelatus paruulis, & pauperibus, quibus datum eſt noſse myſterium Regni Dei tanquam eis, quorum etiam eſt regnum cælorum!

THESAVRVS XX.

Chriſtus Iratus.

SIcut ab ijs, ſoror mea, qui natura inimici, & hoſtes tui ſunt, quales ſunt ſatan, mundus, & caro, timere, & cauere ſemper debes, etiamſi perſonam amici ſuſcipiant, & blandientis præferant aſpectum, iuxta Sapientis monitum; Ne credas inimico tuo in æternum: ita Chriſto tuo Domino, & Deo tuo, qui natura tibi amicus, & beneuolus eſt, fidere debes in æternum, etiam ſi offenſi, indignantis, irati vindicis, percutientis, vulnerantis, & occidentis perſonam ſumat. Siquidem meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudolenta oſcula odientis. Et ideo quocumque modo in mente tua tibi repræſentetur Chriſtus tuus, ſcito ipſum ſemper eſſe theſaurum tuum, ſalutare tuum, medicinam tuam, propitiationem tuam, ſpem tuam, vitam tuam; ita vt etiam ſi arripuerit

puerit ille gladium ſuum, in ipſa etiam occiſione gladij dicas cum Sancto Iob,c.13. Etiã ſi occiderit me,in ipſo ſperabo, ipſum inuocabo, & in manus ipſius etiam me occidentis,ſpiritum meum commendabo. Omnia namque (inquit Auguſtinus) quæ laudabiliter timemus, laudabiliter declinemus; ſolus Deus taliter timendus eſt, vt ab ipſo, non niſi ad ipſum fugiamus. Etenim Chriſtus noſter totus,& ſemper, & ab omnibus, & vbique & toto cordis deſiderio deſiderabilis, & quidquid operatur, quidquid diſponit, ſiue bonum, ſiue malum, ſiue dulce, ſiue amarum, theſaurus noſter eſt; nam & bonum facit, quia bonum eſt, & malum diſponit ſeu permittit, vt cooperetur in maius bonum. Vnde & S. Iob admiratur quare non æquanimiter omnia de manu Domini ſuſcipiamus. Si bona, inquit, ſuſcepimus de manu Domini,mala quare non ſuſtineamus? Non enim ab eo, qui fons eſt totius beneficientiæ, poteſt aliud quam beneficium promanare: & calix quicumque,quem nobis mittet Pater,non poteſt is non eſſe ſalutaris. Et ideo, ſoror mea, in quocumque nomine Domini Dei tui ſemper inuenies adiutorium tuum: Quamuis enim in nomine aliquo per ſe ſumpto, quaſi in olla Prophetæ, mors videatur eſſe, nihilominus, dum nomen illud Deo tribuitur, de Deo enunciatur, de Deo dicitur, & prædicatur, ex tali coniunctione, quaſi ex iniectione farinæ in olla, fit vt omnis à nomine illo amaritudo tollatur, & in ſaporem gratiſſimum, & ſuauiſſimum conuertatur. Nam quidquid cum immenſa illa, & infinita charitate, quæ Deus ipſe eſt, vnitur, copulatur ſeu cohæret, amorem ſapit,charitatem ſapit, ſpem conciliat, fiduciam gignit, appetitum excitat, deſiderium accendit, ad inquirendum ſtimulat, ad petendum allicit, ad pulſandum impellit, & nobis prodeſt, nobis fauet, nobis patrocinatur, nobis aditum præbet, & oſtium magnum aperit ad omnia quæcumque ſunt deſiderabilia, & delectabilia, & ſalutaria, & prætioſa in theſauris eius. Sicut enim totum, quod factum eſt, in ipſo vita erat, ſic etiam totum, quod vnquam dictum eſt de illo, vel dici poteſt, vita eſt, theſaurus eſt, & ſiue nomen illud, quod dicitur ſit dilectionis, & clementiæ, ſiue terroris, & iræ, ſemper oſtendit, & prætendit miſericordiam ſuam ſcientibus ipſum; de quibus loquitur S. Dauid dicens, Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum; & in alio Pſalmo, Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum:

non dicit, hoc vel illud nomen meum, ſed abſolutè, & indifferenter nomen meum, vt quodcumque nomen de Deo dicatur, ſi benè illud intelligatur, ſpem, & protectionem in eo reperiri demonſtret. Dicatur igitur de Deo, & verè pronuncietur, quod ſit iratus, ſed quis nouit poteſtatem iræ tuæ? Ille profectò, qui nouit non poſſe te continere in ira tua miſericordias tuas, ſed ita in ipſa ira latere miſericordiam intelligit, vt ex eadem ira procedat, & appareat ſublimior, clarior, & magnificentior ipſa miſericordia. Non enim oſtendit Deus iram ſuam, niſi vt magis oſtendat diuitias miſericordiæ ſuæ; nam & ideo ſuſtinet etiam ipſamet vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtendat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Vnde fit vt tunc præcipuè cum ſe oſtendit iratum, tempus opportuniſſimum ſit eius miſericordiæ inueſtigandæ, inquirendæ, cognoſcendæ, inuocandæ, ſperandæ, & obtinendæ. Vis videre quam benè S. Dauid, qui erat ſecundum cor Dei, nouit, patefecit, & aſſignauit hanc præcipuam temporis opportunitatem, quo ſpem noſtram, & fiduciam in Deum erigere deberemus? Cum exarſerit, inquit, in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo. Vide quomodo, dum exardeſcit in breui ira Dei, promittitur beatitudo confidentibus in eo? Solùm igitur in filios diffidentiæ venit, & exardeſcit in æternum ira Dei: in filijs autem tuis, Domine, quos facis bonæ ſpei, tantum in breui exardeſcit. Ad punctũ, in modico dereliqui te, (inquis Iſa. 54.) & in miſerationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abſcondi faciem meã parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Sed conſideremus attentiùs, ſoror mea, meditemur, & inſpiciamus, quales poſuerit Deus tuus theſauros in ira ſua. Conſideremus nos, quia conſiderauit & Deus; & ad videndum theſauros illos non ſolùm amicos, & vicinos, ſed etiam ipſum ſatan, communem inimicum conuocauit; Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob? dixit Deus aliquando ad ſatan, in tempore maioris iræ, & furoris, quando percuſſit eũ, & flagellauit in omnibus deſiderabilibus ſuis; ò Domine non credam inimicum tuum ideo te conuocaſſe, vt voluptatem illi dares; & gauderet videre te Deum hominibus mala infligentem, & hominem à te Deo mala ſuſtinentem. Scio enim cum aliquando vindictam ſumere tibi placuiſſet de Sodoma, & Gomorra, auertiſſe te faciem tuam, & ab ipſis etiam homi-

nibus

nibus agnoſci noluiſſe. Si nunc igitur cupis, & geſtis vt veniat etiam inimicus tuus ad videndum id, quod facis cum ſeruo tuo; aliud profectò eſt, quod facis, quam malignitatem, & iram, et immiſſionem malorum per ipſum Angelum malum. Sed quid aliud hoc eſt? niſi quod aperire diſpoſueras tunc temporis theſauros bonitatis, & patientiæ,& iuſtitiæ, et fidelitatis, omniumque virtutum, quas largè effuderas ſuper Iob, et tunc temporis multo largiùs profundebas, ita vt ipſum conſpicabilem, et admirabilem redderes etiam eidem ſatanæ inimico, vnde interrogaſti, et veritatem extorquere, et innoteſcere voluiſti etiam ex ore ipſius inimici, quo certiùs, et patentiùs foret, quod non eſſet alius ſimilis illi ſuper terram, qui non quidem æquè miſerabilis eſſet, de quo ſatan gauiſus fuiſſet, ſed qui ita conſeruaret legem Excelſi, de quo valde contriſtabatur, et angebatur inimicus. Igitur bone Deus, cum feciſti iram cum Iob ſeruo tuo, non aliud feciſti, quam oſtendere theſauros miſericordiæ, bonitatis, ſapientiæ, et potentiæ tuæ, quos reconderas in ſeruo tuo, et ideo in die malorum ipſius exultaſti,nõ immemor duplicium bonorum, et nouiſſimorum eius, quibus voluiſti benedicere magis, quam principio illius. Adam ponis in Paradiſo, nec Angelos vocas ad videndum, in quibus reperiretur delicijs,et diuitijs, paulominus ab ipſis Angelis minoratus, gloria, et honore coronatus, et conſtitutus ſuper opera manuum tuarum. Iob ponis in ſterquilinio, et ipſum etiam Angelum malum, et inimicum ad conſiderandã, et probandam virtutem ſerui tui euocas, et ipſum et vniuerſa, quæ habebat in manibus inimici tui tradis, vt ſuis ipſemet manibus inimicus intexeret illi coronam glorioſiorem,et palmas inſigniores multiplicaret. Nunquid ingreſſa es, ſoror mea, theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ preparauit Deus in tempus hoſtis, in diem pugnæ, et belli? Nonne vides quomodo dies, quos timebas, et tempus,quod formidabas, quam opportunum tibi ſit,et benignum ad theſaurizandum? et quomodo Deus indignetur, et iraſcatur, vt magis benefaciat, et miſereatur? Etenim cum ſtatutum ſit,vt omnia tempus habeant, et locum ſuum, quod tempus,quem locum dabimus miſericordiæ magis opportunum, et propitium, quam vbi, et quando in maiori ſumus miſeria, et anguſtia? At quis poterit explicare, quæ miſeria, quis cruciatus,

quæ anguſtia ſit, Deum contra ſe iratum, non dico intueri; ſed tantummodo ſuſpicari? Certè Sanctus Iob, quamuis fortis, tantam pœnam ſuſtinere non valens, in inferno ſe potiùs abſcondi deprecabatur, dicens; *Quis mihi det vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei?* Si igitur dies iræ, dies eſt calamitatis, & miſeriæ: ergo etiam dies proprius, & opportunus erit exercendæ miſericordiæ: & ideo ipſa ira eſt, quæ præparat locum, & tempus diſponit miſerationibus magis opportunum, & quodammodo Deum admonet, & excitat vt exurgens miſereatur Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Vnde dicit, & Pſaltes; *In ira miſericordiæ memor eris, & cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Et hoc ideo accidit, quia cogitatio Dei noſtri, non eſt ſicut cogitatio hominis, qui neſcit in ira mente concipere niſi victionem, vindictam, vulnera, perditionem, & exterminium eorū, qui oderunt ſe; At Deus noſter, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, & ita proprium vt vni illi primo, & principaliter per ſe, & ſemper conueniat, cum actus illos, & effectus ab ira manantes tanquam à natura ſua alienos abhorreat, auerſetur, & refugiat, ad beneficentiæ, & miſericordię recordationem ab ipſamet ira monetur, & iræ, & indignationi id ſolummodo concedit, quod deſeruit ad magis illuſtrandam, & commendandam miſericordiam ſuam, quam ſemper, & in omnibus manifeſtare intendit. Et ideo in Dei indignatione illud, quod facie apparet, ira eſt, ſed quod foris ira videtur in executione, eſt ſalus, & vita in intentione. *Quoniam ira in indignatione eius, inquit Pſaltes, & vita in voluntate eius.* Vnde quid mirum, ſi cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo? Ecce beatitudinem audis, vbi miſeriam timebas. Si ita ſe res habet, ô bone Ieſu, ne declines quæſo in ira à ſeruo tuo, placès mihi etiam ſic iràtus, bonus etiam es mihi, & propitius in indignatione tua: cuſtodiam tantum linguam meam, & labia mea, ne ſtultum quid loquantur contra te Deum meum. Immo confitébor tibi, quoniam iratus es mihi, quandoquidem conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Etenim placatum te mihi ſemper ego volo & cupio: verumtamen quia ſolet aliquando dormitare præ tædio anima mea, expedit vt etiam mihi quandoque oſtendaris iratus, & configas

timore

timore tuo carnes meas, & infirmitates meas multiplices, & me permittas maledici, perſecutionẽ pati, blaſphemari, colaphis cędi, eſurire, ſitire, expoliari, & tanquam purgamentum huius mundi fieri omnium peripſema, vt ita ab ira tua virtus mea in infirmitate perficiatur. Sic enim tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio verò ſpem, quæ non confunditur, operatur. Proba, proba me, Domine, & tenta me, vte renes meos, & cor meum, quia miſericordia tua ante oculos meos eſt,et complacui in veritate tua:Iraſcere, Domine, iraſcere, ſed non me derelinquas vſquequaque, neque vſque eò,vt permittas me iraſci aut aliud quidquam facere quantumuis minimum contra te; immo, Domine, auge in ira tua amorem meum erga te, & auge quantum vis irã tuam contra me; non enim ego, Domine, timeo ab ira tua, niſi ab illa, quę permittit aliud quidquam amare præter te. Iterum dico: augeat, Domine, ira tua dolorem, ſed augeat amor amorem: ſcio enim, & noui, ò bone Ieſu, tormenta illa miſericordiæ tuæ, quibus crucias, & amas: noui etiam illa, quibus crucias, et amaris: crucia ergo me Domine, ſed ita vt diligaris à me, ſed ita vt honorificeris à me: humilies me, ſed ita vt exalteris à me: affligas me, caſtiga me, & flagella, ſed ita vt laudem, & benedicam te etiam in camino ignis ardentis. Denique Domine, non ſolùm hic vre, hic ſeca, vt in æternum parcas, ſed in æternum vre, in æternum ſeca, dummodo in æternum te amem, te glorificem; te confitear, te adorem,, te laudem, & ſuperexaltem in ſęcula ſæculorum. Si in ira tua, Domine, miſericordiæ memor es,ſi cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis: ſi non continebis in ira tua miſericordias tuas, ergo quantumcumque ſis mihi iratus, ne contineas præcor in ira tua hanc vnam miſericordiam, neque obliuiſcaris hoc vnum mihi beneficium exhibere, vt diligam te ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis; aſcendit enim fumus in ira tua; & ignis à facie tua exardeſcit, & carbones ſuccenſi ſunt ab eo: Sit ergo vnus ex his carbonibus cor meum, quod in ira tua ſuccendatur igne charitatis tuæ. Et ſi pertinet ad iram vulnerare, vulnera, rogo,cor meum vulnere amoris tui; O Domine da mihi hunc amorem hanc charitatem, ò qualem vltionem faciet pro te amor iſte; ò qualiter conteret cor meum, comminuet, comburet, liquefaciet, exinanibit illud & vindi-

ctam

Digitized by Google

ſtam de eo quamcumque cupis, ipſe ſumet! Committas igitur illi, Domine vices tuas, dicunt enim, quod Reges beneficia per ſe ipſos conferre, pœnas verò per alios inferre debent. Ergo ſi alicui committendum eſt, Domine, vt pœnam mihi, quam mæreor, infligat; cui conuenientius commendare illam potes quam Amori? culpas enim, & offenſas in eum, qui totus amor eſt, & charitas eſt, quis conuenientius punire poteſt, et debet, quam amor, et charitas erga eundem, qui offenſus eſt? Vide Domine, quod etiam ſi armaueris vniuerſam creaturam ad vltionem peccatorum meorum contra me, nulla vnquam vltio quæcumque cuiuſcumque illa ſit, placabit te, quam non reddat etiam amor meus erga te; neque ègo peto, Domine Ieſu, vt non armes vniuerſam creaturam, & infinitas creaturas ad faciendam quamcumque vindictam culparum mearum, immo etiam id ipſum rogo, & obſecro, ſed ſi vniuerſam creaturam armare debes contra me, ergo debes etiam armare contra me amorem meum erga te: cur enim iſte ſolus ex omnibus relinquètur inermis, & non faciet ipſe quoque vindictam ſuam? Quilibet alius vindex, ò bone Ieſu, et dixi, et repeto, non poterit vnquam honorem tibi reſtituere quem ego abſtuli peccando, niſi amor meus, et charitas erga te; neque vlla vnquam reſtitutio, aut ſatisfactio; quæ non ſit charitatis, poteſt eſſe ſufficiens ad tibi reddendum id totum, quod debeo. Etiamſi tu ipſe me in æternum cruciare velis, nunquam tamen placabitur furor tuus contra me, niſi cruciet me amor meus erga te. Sacrificium enim Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, et humiliatum Deus non deſpicies. Eia Domine, tu qui iubes vt ita nos vlciſcamur de inimicis noſtris, vt illi benefaciamus, ſi eſurierint, cibemus illos, ſi ſitierint, potum demus ipſis, eia, Domine, modo eſurio, ſitio, et peto à te amoris poculum, et charitatis ferculum, ne deneges mihi; numquid peius quã inimicus ego ſum? nã tu etiam ipſis inimicis negari iſta a nobis nõ ſuſtines. Reddes igitur reddes hoc vnicum bonũ pro omnibus malis, quæ retribui tibi, pro quibus ſi vis etiam mihi reddere cætera omnia mala non recuſo, dummodo cum alijs omnibus malis hoc vnicum bonum mihi retribuatur. O ſoror mea, quam opportuna accidit deprecatio hæc in tempore hoc malorum, et dolorum! Heu quæ nunc facies Eccleſiæ tuæ Domine, et quales facti ſunt dilecti tui Ecce! filij matris tuæ

pugnant

Digitized by Google

pugnant hodie contra te, inuaſerunt extranei hæreditatem tuam, polluerunt tabernaculum ſanctum tuum, pupilli facti ſumus abſque patre, & quaſi in direptionem dati ſumus. Vbique odia, vbique prælia, vbique ſanguis effunditur, foris bella, et intus timores. Et talis eſt tribulatio, qualis nõ fuit ab initio: Signa in cælo vidimus, et terremotus per loca audiuimus, et peſtilentiæ vndique circumſtant. Quouſque Domine iraſceris ſuper populum tuum, quem prætioſo ſanguine redemiſti? Iraſcere Domine, flagella, et percute, non refugimus pœnam quamcumque magnam; ſed cupimus, & petimus amoris etiam pœnam in cordibus noſtris ſuſtinere, qui nos dolere faciat, et conteri, et compungi, et omnem aliam pœnam acceptare, ſufferre, et amare pro peccatis noſtris. Iraſcere Domine, et percute, ſed ita vt ſanemur, & emendemus aliquando in melius, quæ vitia in pace contraximus, fac vt mores immutemus, & reddas nos tibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum, et ipſa Eccleſia tua decorem priſtinum, et virtutem, et robur, et pulchritudinem tandem reſumat: Verumtamen vt exardeſcat in breui ira tua, fac vt cita, et propera ſit correctio, et emendatio noſtra, non enim nos poſſumus in operibus noſtris eſſe veloces niſi tu prior velox ſis in operibus tuis. Iam vides miſeriam noſtram, et quod iam nihil reſiduum habemus, niſi hoc vnũ vt oculos noſtros ad te dirigamus: ecce dirigimus illos ad te, dirige etiam tu oculos tuos ad nos; et vide afflictionem noſtram, laborem, et dolorem conſidera, non vt manum tuã longè facias à nobis; ſed vt tradas nos in manus tuas; non vt ipſam pœnam, et afflictionem tollas, ſed vt à pœna omnis culpa tollatur: hoc vnum, Domine videas; hoc vnum attendas, hoc vnum in pœna conſidera, vt nos ad te compellat, et non à te reppellat. Sic ira tua, Domine, ſemper bonum noſtrum operabitur, aut enim exaltabit iuſtum, aut medebitur peccatori; et quandoquidem non iraſceris vnquam niſi propter peccata noſtra, etiam Domine præcamur, et obſecramus, vt iraſcaris contra ipſa peccata noſtra, vt illa diſperdas, et diſſipes, et euellas vt deficiant omnino, ita vt non ſint, et non ſolùm non dominentur amplius, ſed neque nominentur in nobis. O vtinam Domine ira tua in peccatis noſtris exardeſcat ſicut ignis in ſpinis; ita vt ipſæ peccatorum ſpinæ comburantur, et conſumantur! Conſumetur enim nequitia

tia peccatorum, et diriges iuſtum, ſcrutans corda, et renes Deus. Ne fiat, Domine miſericordia illa tua ſuper me, de qua dixiſti miſereamur impio, et non diſcet iuſtitiam. Talem miſericordiam longè fac à me Domine, et oleum iſtud peccatoris non impinguet caput meum, quem enim diligis, caſtigas, et flagellas omnem filium, quem recipis; quis enim filius, quem non corripit Pater? Vt igitur ſim filius, et non ſpurius, non ſim præcor extra diſciplinam, ſed fac me in diſciplina tua perſeuerare, quæ et ſi in præſenti quidem, vt dicit Apoſtolus, videtur non eſſe gaudij, ſed mæroris; poſtea tamen fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddit iuſtitiæ. Verùm dic nobis Paule, cur dicis, quod omnis diſciplina in præſenti videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris, & non dicis abſolutè, quod omnis diſciplina ſit in præſenti nō gaudij, ſed mæroris? dum dicis videtur eſſe, non aſſeris eſſe. Arbitror ita te loquutum fuiſſe, vt nos doceres, quod ipſe experientia magiſtra didiceras, nimirum diſciplinam, flagella, correptionem Dei noſtri in facie quidem, et oſtenſione triſtem videri, et plenam doloris, intus verò plenam eſſe dulcedinis, et conſolationis, immo eſſe theſaurum quendam, in quo Deus reſeruat manna abſconditum, habens omnem ſaporem, et condimentum ſuauitatis, et adeo abundans, vt non ſolùm ſufficiens ſit ad tollendam modicam illam ſpeciem, quæ prima facie videtur eſſe amaritudinis, et mæroris, verùm etiam ſuperabundet ad auferendam quamcumque triſtitiam, et ad omnem præſſuram ſubleuandā. Tu ipſe ò Paule dicas, an mentiar. Benedictus, inquis, Deus, et Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, et Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus et ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipſi à Deo. Bene Paule, ſed confirma adhuc magis veritatem iſtam, quam aſſeris ſic vniuerſaliter, vt et nos confirmemur. Repletus ſum, inquit, conſolatione, ſuperabundo gaudio; vbi Paule tantam ſuperabundantiam inueniſti, vbi ſaturatus, vbi repletus? in omni, inquit, tribulatione noſtra, nullam excipis tribulationem, in qua non inueneris repletionem iſtam, et ſuperabundantiam conſolationis? in omni, dicis, tribulatione noſtra. Sed fortaſſe hoc te expertum aſſeris in te, quid noſti de alijs. Notum, inquit, facimus vobis fratres gratiam Dei,

Dei, quæ data eſt in Eccleſijs Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit, et altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum: ſed & de ſe, & de alijs communiter loquens dicit; Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra? Et Sanctus Dauid, qui etiam Dei flagella expertus erat, quid dicit? Virga tua, inquit, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Et iterum, quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas, & conuerſus viuificaſti me; & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me, multiplicaſti magnificentiam tuam, & conuerſus conſolatus es me. Vide quomodo tribulationes oſtenſas affirmet, ſed re veram conſolationem, & viuificationem ſe recepiſſe fateatur? O Domine, ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & viuificabis me, ecce in pace amaritudo mea amariſſima, ò dulcis amaritudo, quæ ſic pacem conciliat. Verùm, benigniſſime Deus, & Pater Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui conſolaris nos in omni tribulatione noſtra, ne recuſes mihi in omni tribulatione mea hanc vnicam conſolationem concedere, vt ſcilicet impedias me, vt neque in minimis offendam te, ſed totum me interius, & exterius tuæ ſubde voluntati, extra quam renuit omnino conſolari anima mea. Quam enim mihi conſolationem dare poteris, ò Domine in tribulatione mea, ſi hanc non concedis? Nolo Domine, nolo ſine hac, & præter hanc conſolationem vllam admittere; potius paſcas me interim ſingultibus meis, refocilla me doloribus meis, & ſi non ſum dignus facere voluntatem tuam cum conſolatione mea, doce me facere voluntatem tuam abſque vlla conſolatione, immo etiam cum omni deſolatione mea; velim ego, quod tu vis, & fiat de me quidquid vis, non pro voluptate, ſed pro voluntate ſupplex accedo, & clamo, in hac tantummodo voce exaudi me; ſi enim virga tua, & baculus tuus etiã germinat voluptatem, quomodo non pariet voluntatem? Ne dubites, ſoror mea, virga Dei, & baculus Dei proferet tibi, et voluntatem, et voluptatem, quia tamen Deus non vult propter voluptatem, ſed ſupra omnem voluptatem, & propter ſe ipſum tantummodo amari, ideo fingit laborem in præcepto, ideo fingit ſe longius ire, ideo viſitat nos diluculo, & ſubito probat nos, ideo vado, inquit, & venio ad vos, & expedit vobis, vt ego vadam, ideo quandoque clamamus, & non exau-

dit, ſtamus, & non reſpicit nos, mutatur nobis in crudelē; & in duritia manus ſuæ aduerſatur nobis, etſi enim ſit ſemper dulciſſimus, & nobis amiciſſimus, expedit tamen vt quandoque appareat iratus, & nobis quaſi aduerſarium ſe exhibeat; ne ſi Deo tantummodo confiteamur, cum benefecerit nobis, calumnietur, & irrideatur à diabolo noſtra confeſſio, dicente, numquid Iob fruſtra timet Deum? nonne tu vallaſti eum, & domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum, operibus manum eius benedixiſti; & poſſeſſio eius creuit in terra? Extendat igitur Deus paululum manum ſuam, & tangat nos, & cuncta quæ poſſidemus, & videatur ſi in faciem benedixerimus ei, vt ita manifeſtum fiat, tam nobis, quàm cæteris nationibus an Deum diligamus, an potius dona ipſius; Illa oſtenſio igitur iræ eſt probatio veri amoris, eſt veluti fornax, in qua aurum charitatis, & perficitur, et probatur: eſt ſchola quædam, in qua diſcitur, examinatur, excolitur, & ad humanum perfectionis gradum aſcendit vera, & ſincera Dei dilectio. Sicut enim commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Ita & nos commendamus charitatem noſtram erga Deum, quoniam adhuc cùm nobis aduerſatur, iraſcitur; & indignatur, nihilominus ipſum diligimus, & pro amore ipſius mori parati ſumus. Quamcumque igitur, ò bone Ieſu, perſonam ſumas, ſub quacumque ſpecie mihi repræſenteris, quamcumque faciem mihi exhibeas, immotus (præcor) permaneat amor tuus erga me; gratis dilectus, & ſi non poſſum te gratis diligere, & abſque vlla mercede, diligam te ſaltem gratis ſupra omnem mercedem, & propter nullam mercedem, ſed erit magna nimis merces amoris, amor.

* * *

THESAV-

THESAVRVS XXI.

Communis inimicus Chriſti, & noſter.

PAradiſum quemdam theſaurorum, & diuitiarum oſtendere me tibi fateris, ſoror mea; ſed adhuc times, & anguſtiaris, quia leo eſt in via, qui circuit rugiens, quærens quem deuoret, inſidiatur tibi die, ac nocte, & nunc quidem times à timore nocturno, modò à ſagitta volante per diem, modò à negotio perambulante in tenebris, modò verò ab incurſu, & dœmonio meridiano. Profectò non eſt irrationabilis tuus iſte timor, ſoror mea, verè enim non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, & Rectores Mundi tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, qui omnes inimici noſtri armant vniuerſam creaturam aduerſus nos, & ita inflammant rotam natiuitatis noſtræ, vt ea, quæ recta, & vera ſunt, vix cogitare poſſimus. Draco iſte quem formaſti ad illudendum nobis Domine, adeo veternoſus, adeo vafer, & fraudolentus, et callidus eſt, vt transfiguret etiam ſe in Angelum lucis, & ſtrenuos, & fortiſſimos ſæpe proſternat, & ſuperet: abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius; non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret, omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ; ante faciem ergo potentiæ eius, & nequitię eius quis ſuſtinebit? Euge, ſoror mea, ne diffidas, habemus enim non ſolùm vnde ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus Deo noſtro, in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris, ſed quod magis admirandum eſt, & ad Deum benedicendum, & laudandum nos prouocare debet, habemus etiam erectum nobis à Deo noſtro cornu ſalutis, non tantùm in domo Dauid pueri ſui, ſed in caſtris etiam inimicorum noſtrorum, ita vt ipſimet hoſtes noſtri, dum contra nos pugnare intendunt, pugnent pro nobis, & dum conantur bonis omnibus nos expoliare, theſauros magnos nobis theſaurizent, dum nos humiliant, exaltent, dum perſequuntur, obſequantur, dum mortificant, viuificent, dum

percutiunt, roborent, dum certant, coronent: Vt verè cantare poſſimus ſemper, & debeamus, ſalutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Vtinam, ſoror mea quæ in Eccleſia quotidie auribus audis, etiam corde perciperes, & mente cuſtodires: ò quantum in verbis ipſius ſuperſperares, ab auditione mala non timeres, paratum cor tuũ eſſet ſperare in Domino, confirmaretur cor tuum, nec commoueretur donec deſpiceret inimicos ſuos. Sed quia ea, quibus aures aſſueſcunt ſæpe aures præteruolant, neque in cor hominis deſcendunt, hinc eſt, quod ager cordis noſtri ab aqua illa cœleſti, & ſpirituali non irrigatur, non fœcundatur, non proſperatur, & ibi ſæpe trepidamus timore, vbi non eſt timor, imo potiùs vbi ſpes, & fiducia nobis largè ſubminiſtratur. Dic mihi, nonne quotidie clamas ad Deum, hoſtem repellas longius, hoſtemque noſtrum comprime? nonne matrem Dei inuocas, vt tibi det virtutem contra hoſtes ſuos? Nunquid aliquando in his verbis perpendiſti, quis iſte hoſtis, & cui, & quod bellum, & quæ arma, & quæ poteſtas? Vtinam hoc feciſſes, inueniſſes profectò etiam in hoſte tuo theſaurum tuum, & in ipſis armis inimicorum tuorum protectionem, & defenſionem, & incrementum diuitiarum tuarum, & virtutũ tuarum conſideraſſes. Hinc erigeretur cor tuum, fiducia magna in Dominum Deum tuum, fortis in bello perſiſteres, & pugnares cum antiquo ſerpente, & Regnum æternum acciperes. Conſidera igitur, ſoror mea, aliquando hoſtis iſte tuus, quis nam ſit? videbis quantum non dicam detrimenti, ſed adiumenti potes ex ipſo percipere. Hoſtis tuus primò, & præcipuè hoſtis tuus non eſt, ſed hoſtis eſt Dei, non tecum luctatur, & exercet odia ſua crudeliora, cum Deo principaliter res illi eſt, & in te non te, ſed ipſum Deum inuadere, & afficere iniuria adhuc conatur, cuius ſimilitudinem ſemel malè concupiuit. Hoſtis igitur illius etiam præcipuus Deus eſt, tu miles Dei, Imperatorem, & Ducem habens ipſum Deum; pugnas, verum eſt, ſed pro Deo pugnas, ſed cum Deo pugnas, ſed Deus pugnat in te, ſed Deus pugnat pro te, imo pro ſe, imo pro vtroque vterque ſimul pugnatis. Sed quare Deus cum ſit Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio, quare inquam expoſuit te pro ſe, quæ es infirma, & fragilis puluis, & cinis, contra hoſtem adeo potentem, & callidum? O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quã

incom-

incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius; qui ſedes ſuper thronos, num indiges iumentis, vt ad bellum cum hoſte procedas, & de hoſte triumphes? Num non eſt in manu tua, Domine, excellentiores, & præſtantiores, & ſapientiores, & potentiores Angelos, & ſpiritus creare, qui certent pro te, & prælientur prælia magna cum hoſte ſuperbo? Inuenietis, inquit, Aſinã alligatã, & pullum cum ea: ſoluite, & adducite mihi; & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet. O Domine, Aſinam, & pullum eius? Iſti ne ſunt exercitus tui, equitatus tuus, militia tua, quadrigæ tuæ? cum his ad bellum progrederis? ſuper his cogitas triumphare? Dicite, inquis; quia Dominus his opus habet; & ad quid Domine opus habes infirmis, & vilibus iumentis, qui habes ad nutum paratos ſemper fortiſſimorum, & robuſtiſſimorum militum exercitus innumerabiles? Sed diſce vbi ſit prudentia, vbi ſit ſapientia; his opus non habet contra ſuperbum, & arrogantem inimicum tuum; infirmiora eligit iumenta, vt confundat fortia, & quæ ſtulta ſunt mundi, vt confundat ſapientes, & ignobilia mundi, & contemptibilia, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtruat: Ad hoc igitur opus habet, ſoror mea, Deus infirmitate tua, & paruitate tua, puſillitate tua, vilitate, & ignobilitate tua, vt per eam confundat ſuperbiam, & arrogantiam illius, qui ſuper aſtra cœli conſcendere, & exaltare ſolium ſuum, & ſimilem eſſe Altiſſimo præſumpſerat, vt ſcilicet exprobret illi infirmitatem, & vilitatem ſuam, & neque homini ſe ſimilem, & parem agnoſcat, qui ſimilem, & parem Deo eſſe appetebat. Immò nec hominem Deus in ſexu tantummodo fortiori, & validiori opponere inimico huic ſuo dignatus eſt, vt ab ipſo tanquam non adeo viribus diſpari vinceretur, ſed fragilioris, & infirmioris ſexus, mulierem elegit; inimicitias, inquit, ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, & prænuncians qualis eſſet futurus exitus belli, ipſa, inquit, conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. O ſoror mea, poteratne Deus magis deſpicabilem nobis reddere & ſuum, & noſtrum communem inimicum? Olim præliabaris Satan cum primoribus Angelis, & præliabaris prælia magna, & ſi non præualuiſti, ad præualendum tamen fortis, & audax apparuiſti, cum prælium magnum factum eſt in Cœlo cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, &

non

Digitized by Google

non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in Cœlo. Modo cum mulieribus congrediendum tibi eſt, nec ad feriendam aliam corporis partem patentem habes, quam calcaneum ipſius, cum tamen illa ad conterendum habeat ſibi datum, & expoſitum caput tuum. Quid eſt hoc, ſoror mea, nonne vides quomodo quanto es infirmior, & vilior, & diſpar viribus, tanto es aptior, & magis idonea pugnæ cum hoſte arrogante, quem Deus vult confundere, & deprimere, & vnde maiorem concipiebas timorem, quomodo maiorem inde fiduciam debes haurire? Quid enim auxilij, quid adiumenti ſperare non debes à Deo contra hoſtē ſuum? Quam ſecura adiutorium ipſius implorare potes, pro quo in tanta infirmitate præliaris, & cuius cauſam agis? Audi quid Deus reſpondeat omnibus ad ſe confugientibus, & in ipſum ſperantibus, dum bellant pro ipſo aduerſus quoſcumq; inimicos eius, quantumuis innumeros, & potentes. Nolite, inquit, Parali. 20. timere, nec paueatis hanc multitudinē, non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. Non eritis vos qui dimicatis, ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos. Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis: credite Prophetis eius, & cuncta euenient proſpera. Congreditur igitur, ipſemet Deus in hoc conflictu cum ſæuiſſimo hoſte, non quidem in ſua maieſtate, ſed in noſtra humilitate, obijciens ei noſtram formam, noſtramque naturam, vt inuentor mortis diabolus per ipſam, quam vicerat, vinceretur. Quod ſi huius prælij, Dux & Imperator Deus elegit te, ſoror mea, vti infirmam, & fragilem quam forti obijceret, & opponeret, nonne de præſidijs etiam cogitauit? certè non ſolùm ipſemet ſcapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis, ſed Angelis etiam ſuis mandauit de te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum, ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem: cum enim capitis illi comminutionem, & contritionem Deus comminatus ſit, quod ſemel per Mariam, inter mulieres benedictam præſtitit, non patitur vt iterum nunc caput reſumat, & eleuet contra nos, immo contra ipſummet Deum. Cum ſerpente, igitur, capite obtruncato præliaris, ſoror mea, qui tantùm calcaneo tuo inſidiari poteſt, mentis verò, & voluntatis arx, ſalua tibi eſt, quam circuire quidem, & impugnare ſibilando poteſt,

teſt, expugnare autem aut ingredi, aut mordere, minimè poteſt. O quam bonum certamen certas, quam glorioſum, quam iucundum, in quo quamdiu certas, tamdiu vincis, nec vincere deſinis, niſi certare deſinas, in quo non ſolùm occidi, ſed nec vulnerari potes niſi ipſa velis, & vt hoc ipſum non velis præſto habes auxilium illius, qui inimicus eſt inimico tuo; tibi verò, & amicus, & frater, & Pater, & Sponſus, & nutricius, qui omnia quæcumque poſtulas ab eo pro tua ſalute tibi ſpopondit, & præſtat, qui non ignarus imbecillitatis tuæ, cum hoſte ſuo pro ſe te ad pugnam exponere non veretur, qui habet in poteſtate, & voluntate ſua, & vires tuas, & vires hoſtis tui, qui militibus ſuis pro ipſo certantibus ſemper adeſt, non ſolùm vt ſpectator, ſed etiam tanquam adiutor, & bellator fortis, immo etiam tanquam præmium, & corona, & merces magna nimis ſuorum bellatorum. Dicas igitur fiducialiter, ſoror mea, Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum, ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Poteſtas enim, & robur inimici tui ad impugnandum imperfectum eſt, finitum eſt, terminum habet: at firmitas tua, fortitudo tua, & virtus tua, quæ Deus ipſe eſt, infinita eſt, omnipotens eſt, & ad reſiſtendum, & ad impugnandum, & ad expugnandum. Hoſtis tuus, & ſi ſemper tentare velit, plerumque tamen non poteſt, & id tantum facit, quod ipſi facere permittit Dux noſter, Rex noſter, & Deus noſter. Ideo liberum ingreſſum neque etiam in ipſos porcos quondam habere potuit niſi petita, & obtenta licentia à Chriſto, Deo & homine, cuius nutu omnia reguntur, & moderantur; neque aliter in Bobilia, & ouilia Iobi, & ipſam Iobi perſonam rabiem ſuam exercere potuit, niſi iuxta modum, & tempus, quod ipſi à Deo conceſſum fuit, qui in omni conflictu, aut multum dat militibus ſuis, aut multum detrahit aduerſario ſuo, honor enim Regis iudicium diligit. Quis autem Rex, iturus committere bellum aduerſus alium Regem, non miniſtrat militibus ſuis meliora quæque, & validiora arma, & inſtrumenta, & aufert ab aduerſario, dum poteſt, omnem munitionem, & omne præſidium, quod illi prodeſſe poſſet ad victoriam? Quod ſi Deus aliqua permittit arma inimico ſuo, & noſtro, hoc ideo facit, vt dimicare poſſit, non vt vincere poſſit; vt victorias, & coronas cum ipſo dimicando reportare

poſſi-

Digitized by Google

poſſimus, non vt ipſe de noſtra morte lætetur, & triumphet. Dedit quidem tibi ſemper, ſoror mea, Chriſtus Dux, & Rex tuus arma, & meliora, & fortiora, & dabit etiam plura quotieſcumque opus erit, & iis vti volueris; quinimmo, vt ſciros etiam quomodo illis vti deberes, ipſe prior coram te iiſdem indutus eſt armis, & cum eodem hoſte in agone certauit, cum ad ſe accedere tentatorem permiſit, vt videres, & diſceres quã facilè, quam cito conatus, & ictus illius repellere poſſes, & ſuperare. Non enim dedit illum nobis hoſtem Deus ad opprobrium noſtrum, ſed ad exercitium, & augmentum meriti, & coronæ propter gloriam ipſius Dei; propter gaudium bonorum Angelorum, & vt qui probati ſunt. manifeſti fiant in hominibus: ſpectaculum enim facti ſumus Deo, & Angelis, & hominibus. Quin etiam ſic diſpoſuit diuina ſapientia, vt ad noſtram cuſtodiam non ſolùm homines, & Angelos, ſed ipſos etiam dæmones inimicos noſtros haberemus. Nonne quandoque perpendiſti quomodo Angelus ſatanæ cuſtodiuit in Paulo theſaurum grandem humilitatis? Datus eſt, inquit, mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ, qui me colaphizet, ne magnitudo reuelationum extollat me. Vide quomodo ſuperbus hoſtis factus eſt cuſtos humilitatis in milite Chriſti; vide quomodo impugnando propugnat, & perdere volens conſeruat? Nihil igitur tibi timendum eſt, ſoror mea, ab hoſte tuo, immo etiam multa bona, multaſque diuitias, velit nolit, tibi congregabit, conſeruabit, & multiplicabit, gratiſq; tibi ſeruiet, qui te gratis odio habet, nec aliud ſtipendiũ tibi militando lucrabitur; niſi quod retorquendo iacula ipſius in ipſum ſagittarium, conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. Nonne membrũ diaboli fuit Herodes? at non legiſti quomodo prophanus hoſtis nunquam beatis paruulis tantùm prodeſſe potuiſſet obſequio, quantùm profuit odio? ſed ipſum et crudelem, & ſuperbum inimicum nonne fefellit malignitas ſua, dum iniuſtis odiis Iudæorum animos contra Chriſtum ſtuduit accendere, inferens ſupplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur, fudit ſanguinem iuſtum, qui reconciliando mundo, & pretium eſſet, & poculum? Suſcepit Dominus; quod ſecundùm propoſitum ſuæ voluntatis elegit, admiſit in ſe impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt Redemptori. Dicas igitur

potiùs

potiùs dæmonem militem tuum, quam hoſtem tuum: & cæteris quidem militibus dantur ſtipendia à ducibus ſuis pro quibus militant: Dæmon autem non ſibi, ſed tibi pro te militando ſtipendium acquirit, en habes pro te lucroſum militem, quem contra te inimicum timebas. Quin etiam vide quomodo eundem etiam Magiſtrum habes; O quam multos caſus docuit nos declinare Magiſter iſte impenſis ſuis! ò nos verè fælices quos fecerunt aliena pericula cautos! Ab hoc magiſtro doceris, ſoror mea, altum non ſaperere, altiora te non quærere, fortiora te non ſcrutari; quæ tibi mandauit Deus illa ſemper cogitare, & in pluribus operibus eius non eſſe curioſam: non quaſi ipſe doctrinam iſtam ſeruauerit, immo quia ſeruare neglexit, & ex hoc neglectu cum eſſet omnium fæliciſſimus, factus eſt omnium miſerrimus. Iniquitas illius doctrina tua eſt. Satan, & omnes Angeli eius ſunt gentes illæ, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem, & omnes, qui non nouerunt bella Chananæorum, vt poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem prælliandi. Sunt etiam ijdem malleatores, qui momentaneis, & leuibus ictibus, & percuſſionibus æternum nobis gloriæ pondus operantur in cælis. Sunt etiam carnifices viciniores hoſtis, & magis domeſtici quem habeamus, ſcilicet ipſius noſtræ carnis. Iudicaui inquit, Paulus 1. Cor. 5. eū qui ſic operatus eſt, tradere huiuſmodi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sunt noſtri ventilatores, qui ſegregant à nobis paleam, mundant, & purgant frumentum. Ecce ſatanas (inquit Ieſus Petro Lucæ 22.) expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Vide ſoror mea, quot miniſteria præſtant nobis inimici noſtri, & quomodo ipſorummet armis, & inſtrumentis, & machinis vtitur Deus Rex noſter, in bonum noſtrum, in gloriam ſuam, & in ipſorum confuſionem. Noli ipſa deſinere voluntate tua, & ſponte tua, miles eſſe Chriſti, noli caſtra mutare, hoc enim vnum eſt tantum, quod inimicus tuus obtinere à te inſidiando nititur, hoc vnum eſt, quod tibi ſuadere conatur, vt mittas te deorſum, quia ipſe mittere te non valet; hoc vnum hortatur, vt ipſamet de cruce deſcendas, quia de cruce te deturbare omnibus ſuis viribus minimè poteſt, immo nec lædere vel in modico valet, niſi te ipſam lædas. O bone Ieſu ita ne poſſum ego in me, quod non poteſt inimicus meus

Q contra

contra me? & cùm nulla vnquam cuiuſcumque illa ſit, vis, & potentia me à te diuellere poſſit, in me vno talis poteſtas contra me reperitur, qua ſeparari poſſim à te, ita vt Crucis tuæ vexillum ſponte deſeram, & quod flens dico, inimicus fiam Crucis tuæ, adhærens hoſtibus, & ſignum illud ſalutis, quod ſignaſti ſemel ſuper me, & fronti meæ impreſſum in baptiſmate, ne violaret diabolo hoſti meo diſtrictè imperaſti: hoc ego ipſe ſignum, filius tuus, & ſeruus tuus, odio habeam, & liberè abijciam, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio mea? ò Domine poteſtatem hanc quæſo auferas à me, ſicut abſtuliſti ab hoſte meo, nec mihi permittas vt poſſim contra me, quod ipſi inimico tuo, & meo aduerſum me non conceſſiſti: arma, quæ ab hoſte meo in fauorem meum auferre voluiſti, ne quæſo mihi tradantur in damnum meum, & contemptum tuum: Abnegem ego potiùs me ipſum quam fiat tibi, mihique contrarius: prohibuiſti inimico tuo, et meo ne me lædere poſſit, & non lædit, quantumuis lædere cupiat, & conetur, ego verò filius tuus, & filius ancillæ tuæ cupio, & peto prohiberi, & impediri à te ne poſſim lædere me, ita vt lædendo me, offendam te, & ſimul lædam honorem tuum, & gloriã tuam, quare non facies cum filio, quod feciſti cum hoſte pro bono filij? ſicut igitur ab omnibus alijs inimicis me liberaſti dulciſſime Ieſu Redemptor, et Saluator meus, et liberator meus, libera etiam me à me ipſo, quid enim mihi proderit, quod ab alijs hoſtibus me liberaueris, ſi etiam non me liberes à me ipſo, ego enim ipſe ſum, qui hoſtis ſum animæ meæ, & factus ſum mihi ipſi, tibique contrarius, et inimicus? Ego, ego ſum Domine, contra quem rogo vt pugnes, non iam curo de diabolo: Ego ſum hoſtis quem peto vt perſequaris, adiuua me Domine contra me ipſum, et pro te ipſo, quoſcumque alios hoſtes ſperno, & contemno, me ipſum tantummodo timeo, non tam ſollicitus ne quid contra me, ſed ne quid contra te committam Dominum meum, et Deum meũ: O bone Ieſu, viciſti propter me omnes aduerſarios meos, cur me vnum aduerſarium non ſuperabis propter te, & propter me? O dulciſſime Ieſu propter nimiam charitatem tuam, qua dilexiſti me, ſuperaſti te, et viciſti te ipſum, & te morti obtuliſti, cur non ſuperabis me, et vinces me, etiam occidendo me ipſum amore mei? Noli timere, ſoror mea, qui omnia ſe tibi petenti daturum promiſit, et iurauit, quæ tuæ ſa-

luti

Digitized by Google

luti congruerent, non poteſt non etiam hoc concedere, quod eſt tuæ ſaluti maximè neceſſarium. Vincet te, qui fortior eſt te, non tamen vincet te ſine te, vult enim te participem eſſe pugnæ, vt ſis particeps coronæ, vult vt non ſolùm de alijs hoſtibus, ſed etiam de te ipſa triumphum reportans coroneris, & quæ theſauros vndique habes vnde ditari poſſis, in te ſit etiam vnde ſemper magis locupletari queas, vt ipſa etiam tibi theſaurus ſis, teipſam vincendo, et ſuperando, et vide, quam bene prouidit Deus tuus, vt etiam de tuo incrementum habere ſemper poſſis diuitiarum, quando de vitijs quoque, ac paſſionibus tuis gradum tibi conſtruit quo poſſis ad maiora præmia peruenire: de vitijs enim noſtris (inquit Auguſtinus) ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus, eleuabunt nos, ſi fuerint infra nos. Iam video, et intelligo, ò Domine quare poſueris me contrarium tibi, et factus ſim mihimetipſi grauis, vt ſcilicet mihi ipſi vim faciendo, et mei ipſius perſecutionē contra me tolerando propter iuſtitiam, et propter tui amorem, beatitudo mea ſemper magis augeatur: Siquidem Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum. Nunquam enim deeſſe poteſt tribulatio perſecutionis, ſi nunquam deſit obſeruantia pietatis, omnes enim, qui volunt in Chriſto pie viuere, perſecutionem patientur, caro ſiquidem concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, vt verè militia ſit vita hominis ſuper terram. Voluiſti igitur, inuictiſſime Imperator, et dulciſſime tuorum militum amator Deus, voluiſti inquam, vt pugnando non ſolùm contra diabolum, & contra Mundum, ſed etiam contra nos ipſos, acquiramus nobis ipſis de nobis triumphos, et trophæa, vt omnium præſtantiſſimam fortitudinis laudem, et gloriam in æternum reportemus: quandoquidem melior eſt qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium; Etenim pacem tuam, ò bone Ieſu, quam nobis veniens in hunc Mundum attuliſti, & diſcedens reliquiſti, non quomodo Mundus dat nobis, dediſti; ſed exuperat omnem ſenſum cuſtodiens animas noſtras, et intelligentias noſtras; et quia cuſtodit, ideo odit, qui enim odit animam ſuam in hoc Mundo in vitam æternam cuſtodit eam, ſicut è contra qui amat animam ſuam perdet eam; ò magna, et mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor vt pereat, odium ne pereat. Si ma-

Digitized by Google

ſe amaueris tunc odiſti; ſi bene oderis tunc amaſti: fælices, qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando. *Pax tua, Domine, non venit pacem mittere in terram, ſed gladium; venit enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & inimici hominis domeſtici eius,& qui perdiderit animam ſuam propter Deum, inueniet eam.* O ſoror mea, quam lucroſa eſt militia iſta ſuper terram, quam glorioſa, quam ſpecioſa quantum honoris, quantum decoris habeat, quis enarrabit? Numquam de militibus agitur, quin de ſtipendijs agatur, nec eſt certamen ſine corona. In Caſtris huius ſeculi milites contenti eſſe debent ſtipendijs ſuis, & caduca, & marceſcibilis corona proponitur. At in caſtris Chriſti mei, & milites ad maiora ſemper præmia aſpirare poſſunt, & debent, & immarceſcibilis corona donatur: In ſtadio huius mundi, omnes quidem currunt,ſed vnus vix accipit brauium, at in ſtadio Chriſti nullus non accepit brauiũ niſi qui ad brauiũ currere neglexerit.Omnis,qui in agone huius ſæculi cõtendit,& ſi contendat quantũ poteſt, non omnis tamen victor ſemper exiſtit: At in agone Ducis noſtri,quantũ quiſque contendit tantum vincit, & coronatur: Ad mundi militiam non quilibet eſt idoneus, & aptus: A militia Chriſti nulla ætas excuſat, nulla conditio eximit, nullum tempus excludit. Heu pudeat, ſoror mea, ſi vnquam huius militiæ te tædeat quæ Dei,& Chriſti militem te facit; cur potiùs, & prius attendis contra quem pugnas quam pro quo pugnas? In omnibus alijs nominibus decoratam te hactenus vidiſti vnam habes propoſitam coronam glorię; in hoc vno militis nomine habes etiam coronam iuſtitiæ; ſi enim nullus præceſſiſſet labor certaminis, quomodo dixiſſet Apoſtolus,in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ? O immenſum, & inæſtimabile Dei beneficium, quo fecit hominem militem, & hoſtem illi dedit,vt etiam tanquam quid ſibi debitum,& ſuum arriperet Regnum Cœlorum! Hoc eſt, quod confundit diabolum, quod inimicum vrit, Regnum in quo ipſe ſtare nequiuit, hominem iure ſibi poſſe vindicare. Sed non ſolùm viriliter certare debes, & animosè, quia ſub Chriſto Duce militas, & pro Chriſto militas,& æternam habes repromiſſionem, ſed quia ipſe Chriſtus commilitonem tuum eſſe, & in ſtadio tecum eſſe, & collaborare non dedignatur, cumque tempus aduenerit pugnæ,non ſtabit tantummodo poſt parie-

tem reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos, ſed ipſemet Saluator ponetur in te murus, & antemurale, ita vt lædi ipſa non poſſis, niſi prior ille lædatur; abſcondit te, in abſcondito faciei ſuæ à conturbatione hominum, protegit te in tabernaculo ſuo à contradictione linguarum, ita vt nullus te tangere poſſit quin tangat pupillam oculi ſui, & quamuis ipſum non videas, quotieſcumque clamabis, dicet, ecce adſum; ſic enim reſpondiſſe militibus ſuis legimus, cum grauiter, & immaniter tentarentur, & interrogarent, vbi eras, Domine? Quin, & adeò ſollicitus ipſemet eſſe voluit Dux noſter circa milites ſuos; vt vetuerit illos cogitare quomodo aut quid loquerentur, cum ſtarent ante Reges, & Præſides, ſed ſe daturum os, & ſapientiam promiſerit, cui non poſſent reſiſtere omnes aduerſarij ipſorum. Quotieſcumque igitur, inimici tui ſonuerunt, ſoror mea, & qui oderunt te, extulerunt caput, conuertere ad Chriſtum commilitonem, & bellatorem fortem, qui eſt in abſcondito, etſi non videtur, quem ſi viderent, & proponerent ante conſpectum ſuum inimici tui, quamuis fortes non inſurgerent in te, nec quærerent animam tuam. Quid amplius deſiderare potes, ſoror mea? non adhuc intelliges quantum expediat, & quam honeſtum, quam lucroſum, quam glorioſum tibi ſit militem eſſe, & hoſtem habere? Militans igitur Deo negotijs ſæcularibus non impliceris, ſicut monet Apoſtolus; tam habes in promptu victoriam, quam habes in promptu voluntatem, & ſi vinci non vis, vinci non potes: de corde tuo, de voluntate tua venenum ſumunt armamenta hoſtis tui, qui cauſa quidem & fomes eſt noſtrorum malorum, ſed tantùm turbare poteſt, aut fallere, quantum ipſi volumus, qui decrepito ſuggeſta leoni armamẽta damus. Si vincere vis, iam viciſti: ſed quia velle hoc non eſt ipſius volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, ideo hoc etiam ab ipſius miſericordia petere, ſperare, expectare, & impetrare debes, qui omnia promiſit, omnia poteſt, & omnia vult dare petentibus ſe. Si enim adeo libenter, adeo prõptè exhiberet diabolus arma ſua omnibus poſtulantibus illa contra Deum inimicum tuùm, numquid non libentiùs, non promptiùs aderit Deus militibus ſuis, ipſum inuocantibus contra diabolum hoſtem ſuum, & noſtrum? Num diabolus erit magis paratus, & expeditus ad perdendum, quam Deus Saluator noſter ad ſaluandum? certè quantumuis maximum

ſit

Digitized by Google

ſit odium Satanæ contra nos, excedit in infinitum charitas Dei erga nos, quomodo ergo plus poterit odium Satanæ in malum noſtrum, quam charitas Dei in bonum noſtrum, imo in bonum ipſius Dei? Non enim peto adiuuari à te, Domine, niſi ad te ipſum amandum, laudandum, honorificandum, benedicendum, & ad me ipſum pro tuo amore deſpiciendum, deprimendum, conculcandum, tuæque voluntati omnino ſubijciendum.

THESAVRVS XXII.

Memoriale Dominicum.

SI quæ loquor ad te, ſoror mea, à me ipſo loquerer, cum ego homo ſim, ad credendum mihi, mens forſitan tua dubitaret; nec immeritò ſuſpicari poſſes me fortaſſe ex iJs eſſe, qui dicunt pax, pax, & non eſt pax, qui cum beatam te prædicant, tunc te decipiunt. Verè etenim dignum admiratione eſt, quomodo tot, tantaque bona, tam opulentæ diuitiæ, tot prætioſi theſauri, quos hactenus reſerauimus, ad eos pertineant, qui vallem incolunt lachrymarum ſedent in tenebris, & in vmbra mortis, & terram perambulant deſertam, & inuiam, & inaquoſam. Sed ſi teſtimonia tua Domine, mirabilia ſunt nimis, etiam credibilia facta ſunt nimis: Vnde nihil eſt, quod verearis, ſoror mea, tam læta, tam iucunda, tam proſpera, tam ſalutaria, tam fidelia verba, quæ auribus percipis, læto etiam, & fideli corde retinere; non eſt cur ab his induci timeas in præſumptionis laqueos, aut in temeritatis ſcopulos, aut in leuitatis, & vanitatis errorem, & falſitatem; ita vt inducant ſuper te maledictionem pro benedictione. In me ſit iſta maledictio, ſoror mea, ne dubites. Sermones quos loquutus ſum tibi, ſermones mei non ſunt, ſed tantum incerta, & occulta ſapientiæ Dei manifeſtaui tibi, ſicut loquutus ipſe eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius, & nouiſſimè loquutus eſt nobis in filio. Nam, & ego homo ſum ex ijs, qui dicunt Domino ſuo, A a a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum: ſed benedictus Deus, qui ex ore infantium, & lactentium perfecit

laudem

Digitized by Google

laudem propter inimicos ſuos, vt deſtruat inimicum, & vltorem, & inuitat & conuocat pueros ſuos ad laudandum nomen ſanctum ſuum, dicens, Laudate pueri Dominum laudate nomen Domini. Quia igitur, veluti pueri omnino vera loqui neſciebamus, ipſemet Deus, qui multifariam multiſque modis olim loquutus eſt Patribus in Prophetis, nouiſſimè loquutus eſt nobis in Filio, & dedit verba ſua in ore noſtro per ipſummet Verbum ſuum incarnatum, & caro factum pro ſalute noſtra, vt ſciamus etiam ſi pueri ſimus, quid & quomodo loqui debeamus, & in ſermonibus noſtris fallere amplius, aut falli non poſſimus: Sit iterum nunc, & millies benedictus Dominus Deus noſter, qui tantam fecit dignationem nobiſcum pueris ſuis, qui cum de terra eſſemus, & non niſi terrena ſapere, & loqui nouiſſemus, docuit tandem nobis canticum nouum, vt magna quæque, & pretioſa & cœleſtia ſint in ſenſibus, & intelligentijs, & in linguis omnium puerorum ſuorũ. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Sedes igitur, ſoror mea, verum eſt in vmbra mortis, ſed illuminata per Deum, qui verbo ſuo dirigit pedes tuos in viam pacis, ſcilicet in viam hanc, quam demonſtraui tibi ad theſaurizandum theſauros non deficientes in cœlo; manes verum eſt, in terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, ſed ipſe ſic in ſancto verbo ſuo, & filio ſuo apparuit tibi, vt videre iam poſſis virtutem ſuam, & gloriam ſuam. Non ego, ſoror mea, non ego, ſed ipſe Deus cum ſemel in lauacro regenerationis fidem ſuſcepimus, introduxit nos in terram fluentem lac, & mel, & fecit vt lex ſua, & ſermo ſuus ſemper eſſent in ore noſtro, quãdo infantes nos & lactentes ad hunc modum orare monuit, & præcepit; Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen. Ecce nunc vides, ſoror mea, collectos in vnum omnes theſauros quos hactenus ſingillatim aſpeximus, vide quomodo ipſemet Deus dignatus eſt tibi compilare omnes ſermones ſuos, & ne ſollicita ſis, et turberis erga plurima, verbum breuiatum fecit Dominus ſuper terrã, & Euangelicum Breuiarium ipſe compoſuit. Accede igitur nunc, ſoror mea, et vide in hoc theſauro abſconditos omnes

the-

theſauros ſapientiæ, et ſcientiæ Dei, ad hunc vnum te nunc volo, hic ſinum tuum expande, hic omnem ſpem tuam erige, hic omne deſiderium tuum extende, hic dilata cor tuum & viſcera tua & concipe quidquid boni potes, ſeu non potes concipere. Nihil enim vſpiam omnino boni eſt, quod in hoc breuiato ſermone non contineatur. Eſt nobis oratio hæc manna abſconditum de cœlo, paratum ſine labore, omne delectamentum in ſe habens, & omnis ſaporis ſuauitatem. Hæc eſt, quæ dulcedinem tuam, Domine, quam in filios habes, oſtendit, quæ deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque vult conuertitur. Verùm vt magis ſentiamus man huius ſuauitatem, ſoror mea, diuidamus illud minutatim, frangamus, & teramus, more filiorum Iſrael, & diſtincta, ſubtili, & profunda conſideratione quidquid in ipſo continetur ſaporis, atque dulcoris percipere ſtudeamus: Perpende igitur, quam multa petas, qualia petas, à quo petas, quis docet, & præcepit vt petas, quomodo petas, & videbis quam ſit pretioſus ſermo Domini in diebus noſtris, in quo iota vnum, aut vnus apex non reperitur, in quo cœleſtis gratiæ & futuræ gloriæ nobis pignus non detur. Exordium illius ſi alta mente conſideres, nonne in eo incipis è cælo agnoſcere genus tuum, et Patrem, et fratres, et amicos, et Patriam, et domum, & hæreditatem te habere cœleſtem? perge, nonne, dum petitur in ea, quod ſuper omnia petendum eſt, et ſanctificatio nominis Dei petitur, et conſequenter ſanctificatio tua, per quam debet nomen ipſius ſanctificari? Quot deinde, et quæ regna petis? In hac quidem vita Regnum gratiæ, & miſericordiæ ipſius ſuper te; Regnum Gloriæ, & beatitudinis poſt præſentem vitam, et Regnum maieſtatis ipſius poſt finem ſæculorū. Mox quæ tantum timebas malæ tuæ voluntatis damna, et pericula, nonne procul abigis à te, dum dicis, fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, et in terra? Voluntas ſcilicet quæ non poteſt non ſemper eſſe bona, & optima in omnibus mandatis, et iuſtificationibus tuis. Et quia etiam non volentes, multis, & carnis et ſpiritus neceſſitatibus ſubditi ſumus, nonne ſub vno panis nomine à Deo exigis, quidquid ſiue ad temporalem, ſiue ad perennem vitam in dies ſingulos tibi eſt neceſſarium? Et quia immunes à ſordibus peccatorum, quicumque homines ſumus, eſſe non poſſumus, nec infans cuius vnius diei vita ſit ſuper terram, quam congruè mundationem ab omni labe,

et con-

Digitized by Google

et condonationem, et veniam quorumcumque peccatorum, et erratorum, quæ in diem contra Nominis illius maieſtatem committimus, poſtulamus? Quia verò proni ſemper ad malum, et fragiles, et infirmi ſumus, et vita noſtra tentatio eſt ſuper terram, ideo nè in eam labamur, ne derelinquamur in cogitatu maligno, ne abeamus poſt concupiſcentias noſtras: ſed fortes in bello perſeueremus vſque in finem, ad præſidia diuinæ gratiæ confugimus, cuius ſolius dono corda noſtra poſſunt ſtabiliri. Poſtremò redemptionem, et liberationem, non ab vno, aut altero, ſed ab omni, et quocumque malo, et ab ipſorum malorum auctore, et capite diabolo poſtulamus. Quid dicis, ſoror mea? Poteſtne adhuc eſſe aliquid in deſiderio tuo, quod non poſuerit Dominus in memoriali ſuo? immo quomodo hæc potuiſſent eſſe in deſiderio tuo, ſi prius ille non poſuiſſet in memoriali ſuo? Niſi enim ore ſuo benedicto dictaſſet tibi, et feciſſet memoriale hoc mirabilium ſuorum miſericors, et miſerator Dominus, quomodo vnquam ad tam multa, tam ſublimia, tam cœleſtia, tam diuina, tam excedentia noſtram naturam, et noſtra merita, deſideranda, poſtulanda, ſperanda, et obtinenda affectu, et effectu aſcendere potuiſſes? nonne præſumptionis notam, et arrogantiæ, et ſuperbiæ, et temeritatis reprehenſionem timuiſſes? Vnde in ſacroſanctis myſterijs antequam ipſius populi nomine Dominicum hoc memoriale Sacerdos Deo porrigat, et pronuntiet, præmittit, et proteſtatur cuiuſnam iuſſu, et qua fultus fiducia et auctoritate tantum audeat, et præſumat proferre ſermonem, dicens; Præceptis Salutaribus moniti, et diuina inſtitutione formati audemus dicere; Pater noſter, &c.

O ſoror mea, non Angelus, non Propheta, non amicus, nõ ſeruus, ipſe idem Deus, qui bonorum omnium eſt largitor, et dator, ipſemet iubet, quod iſta petas, et ab ipſo petas, et iſto modo petas, et dubitabis adhuc, quod nolit ea dare, quæ vult poſtulari, aut quod tibi non congruant, quæ ſuggerit tibi Deus ipſe, vt petas, aut quod modo congruenti non poſtules, quod eo modo poſtulas ſicut Pater tuus Cœleſtis diſpoſuit tibi? Vbi eſſet conſilium, vbi prudentia, vbi ſcientia, et ſapientia Dei tui?

Confitebor tibi Domine, quod in immenſum debeo tibi pro innumerabilibus, quæ retribuiſti mihi, ſed niſi me ita lo-

Digitized by Google

qui docuiſſes, et ea ad quę ſe extendere vt poterat, vt debebat oratio mea non demonſtraſſes mihi, ibi fixa fuiſſent vota mea, & ibi adhæſiſſet cor meum, et lingua mea, vbi erat habitatio mea; & qui de terra eram, terrena ſolùm ſapere, et loqui nouiſſem: non ſecus ac ſi Rex, infanti, et paruulo filio regnum donare cuperet, quod tamen etiam ab ipſo paruulo cuperet deſiderari, et poſtulari, niſi poſtulatio, et oratio illi ſuggereretur, non pro Regno, ſed pro puerilibus, et ludricis exoraret, et fleret, immo neque ipſum Regnum ſciret quid eſſet, aut quomodo pronuntiaret. Feſtũ agamus puſillus grex, quia complacuit Patri noſtro dare nobis Regnum. Regnum quod non vidimus, quod ignorabamus, ad quod ſola natura duce aſpirare non poteramus, ad cuius diuitiarum honoris, et gloriæ ſplendorem oculi noſtri tanquã veſpertilionum erant ad ſolis lucem. Tantummodo aperire nos paruulos iuſſit os noſtrum, et ipſe adimpleuit illud petitionibus tam multis, tã magnis, tam prętioſis, tam ſalutaribus, tam excelſis, vt nihil vltra ſit, quod peti poſſit, aut deſiderari: Vt quid autem talia petendi auctor, et magiſter ipſe fuiſſet, ſi idem ipſe talia dare cum poſſit, dare tamen nollet etiam ſi peterentur? Sed quo minus de voluntate illius dubitare poſſes, vide quomodo, et qua ratione vult te petere, quidquid petere te docuit. Non ſic, ò Domine, non ſic quando tu ipſe pro te ipſo rogabas Patrem tuum; oraſti enim tunc vt ſi poſſibile eſſet, ſi fieri poſſet, transferretur calix ille à te, ſed quando me doces orare Patrem tuum, nullam ponis exceptionem, limitationem nullam, nullam conditionem, ſed abſolutè, non tacitè, non frigidè, non per verborum circuitus, et ambages, ſed modò quodam imperatiuo potiùs quam optatiuo vis vt loquar ad te Dominum meum dicens, ſcilicet non per modum optantis, vellem Pater, vt ſanctificaretur nomen tuum, vt adueniret Regnum tuum, vt fieret voluntas tua, vt dares nobis panem noſtrum, vt dimitteres nobis debita noſtra, vt nos non induceres in tentationem, vt nos à malo liberares: neque etiam modo depræcatiuo ſcilicet, Pater obſecramus te, vt iſta nobis concedas; neque conditionaliter videlicet, Pater ſi poſſibile eſt, da nobis iſta omnia, quæ petimus, ſed vis vt omnino abſolutè iſta nobis à te fieri, et concedi poſtulemus, obediente nunc quoque te Deo voci hominis, ſicut quondam obediſti voci Ioſue, dum tibi loquens dixit, ſol contra Gabaone

ne

ne mouearis,et luna contra vallem Aialon: et quidem ii adeo prompte obediſti voci hominis,antequam homo fieret Deus, quid mirum,quod te ita modo paratum exhibeas ad obediẽdum voci hominis, quem feciſti etiam Deum? ò ſoror mea, num, ſi ab ijs, qui in poteſtate tua eſſent aliquid ſimile cuperes, alijs verborum formulis vtereris? Seruis noſtris ita dicimus, fac hoc, et faciunt. Dicere etiam hodie Domino noſtro poſſumus, fac hoc et faciet. Dicam Domine, et confidenter, et audacter dicam, quia ita me dicere, & monuiſti, et præcepiſti: et cum ita dixero, non timebo quin ſtatim ſis facturus, nam cum ea dico monitu, et iuſſu tuo, tu idem ipſe es, qui dicis ea per os meum, dicere autem tuum, ò bone Deus, nonne eſt ipſum facere? ita ſperare debes, ſoror mea,et quod ita ſit, ſecuram te, et indubiam de tanto bono tuo ipſa te reddit Eccleſia,immo Deus ipſe per Eccleſiam ſanctam ſuam; Non prius enim in arcano,et ſacroſancto Miſſę Myſterio poſtremam petitionem populus pronunciat, cum Sacerdos perſonam Chriſti gerens, et repræſentans, ipſius nomine ſubiungit, et pronuntiat prætioſum illud, Amen. O pulchra, fælix, et expedita Dominici memorialis ſubſcriptio, ecce quam cito in eo legis concupitum illud fiat, et conceſſum, et obtentum, quod petitur, et ita conceſſum, vt dubitandum non ſit ne fiat, quod ille reſpondit vt fiat, cum vox illa, Amen, indubitate, firmiter, certo, in veritate, et quaſi iureiurando confirmet, quidquid affirmat. O dulcis Dominica oratio, theſaurus mihi plenus, et indeficiens, primum mihi puero in labijs inſtillata, et poſtrema in ore ſenis futura, Vna tu mihi es pro omni ſcientia, et doctrina, et pro omnium librorum Bibliothæca! Vna tu mihi ſufficis in via, et pro pane ad veſcendum, et pro indumento ad cooperiendum, et pro auro ad diuitias, et pro omnibus delicijs ad voluptatem, et pro vnico, et præcipuo merito ad gloriam, tu portus, tu ſalus, tu vita, tu cæleſtis doctrinæ ſchola es, in qua Deus eſt totum, quod addiſcitur, via qua tenditur, totum, per quod ad ſummam veritatis notitiam peruenitur. O dulciſſimum memoriale, Paradiſus deliciarum, ſanctarum mentium delectatio; et intimi guſtus inexhauſta dulcedo! Tu negotiatorum cæleſtium apotheca, in qua videlicet illarum mercium ſumma reconditur, quibus terræ viuentium poſſeſſio comparatur, fælix commercium, vbi terrenis cæleſtia, humanis diuina iunguntur;

Digitized by Google

guntur; fœlix negotiatio, vbi pro limo æterna vita proponitur, ad quam emẽdam, quidquid requiritur etiam ſi multum ſit, ſolùm ſufficit, quod in te, & per te habetur. Aue, ò Dominicà oratio, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter omnes orationes, & benedictus venter qui te portauit, & benedicta vbera vnde fluxiſti, & benedictus magiſter, qui te nos docuit Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Tu placas Deũ, lætificas Angelos, redoles ſanctitatem, penetras cœlos, poſtulata reportas, immutas homines, vires reparas, roboras mentem, cor illuminas, voluntatem inflammas, deuotionem paris, vnis animas Deo, deprecantem comples dulcedine, & te frequentantem delectabiliter facis cum Deo ſemper conuerſari; ò Beatiſſima oratio, virtutum nutrix, vitiorum interemptrix, culpæ venia, peccatorum abolitio, interuentrix mundi, ſalus hominum, charitatis mater, iuſtitiæ regula, prudentiæ ſpeculum, ſanctitatis decus, ſcientiæ lumen, ſapientiæ cellarium, domeſtica Dei, fiducia animæ, medicamentum puſillanimitatis, gaudium cordis, fida huius peregrinationis comes, mœſtorum conſolatio, impugnatorum impenetrabile ſcutum, ſecretorum Dei cognitrix, humilitatis norma, clauis fidei, pignus æternæ gloriæ, prælibatio futuræ fælicitatis, ſecuritatis fons; Angelorum imitatrix, iuſtorum exultatio, pacis pelagus, dæmonum fugatrix, quieſcentium refugium, conſcientiæ ornamentum, additamentum gratiæ, amoris incentiuum, ianua cœli, petitionum nuntia, auxiliatrix ſtrenua, mediatrix præcipua, & cœleſtium Sacramentorum optima reſeratrix. In te nihil curuum, nihil ſordidum, nihil mancum, nihil reperitur obſcurum, ſed tota pulchra es, & formoſa, tota perfecta, & ſpecioſa in delicijs tuis, & omnium donorũ fæcunda, ſemper hilarem, ſemper iucundum, ſemper diuitẽ, ſemper magnanimum, & beatum exhibes tui amatorẽ. Nunquam explicat organum vocis, quod tu ſapis interiori guſtu, & cordis medulla. Illi te nouerunt qui te diligunt, illi præconia tuæ laudis agnoſcunt, qui te frequentant, qui te meditantur die, ac nocte, qui te in corde ſuo, & in ore ſuo deuotè ſemper cuſtodiunt, & in tui amoris amplexibus fideliter requieſcunt. Me etiam tuæ laudis imparem fateor, ſed vnum pro certo ſcio, (ò memoriale benedictum) quod & indubitãter affirmo, quia quiſquis in tui meditatione, & aſſidua corã Deo præſentatione, & oblatione perſeuerabit, ipſe quidem

te Deo offeret, ſed tu offeres ipſi Deum. Ite nunc quicumque ſtulti,& tardi eſtis corde ad credendum omnibus, quæ loquutus eſt nobis Ieſus, cuſtodite atria principum, terite limina potentiorum, ſæculi huius anguſtias inuicem patimini,quid petitis, à quibus petitis, quomodo petitis? Terrena, & peritura tantum petitis, quæ breui, & ſine ſaturitate, & cum mille ſollicitudinum aculeis, ac ſpinis poſſidebitis; ab homine caduco, mortali, mutabili, fallaci, & nihil habenti ſub ſole tutum; ſed & cum labore multo petitis, impenſis pluribus, repulſis frequentibus, moleſtiſſimis dilationibus, diuturnis expectationibus, & plerumque non prius accipitis, quod deſideratis, cum acceptum relinquere compellimini. Ecce Deus noſter accedit ipſe ad fores noſtras, intrat ipſe cubiculum noſtrum, vera, cœleſtia, & permanſura bona ſimul cum his caducis, & temporalibus, quantum expediunt, proponit, & offert cupiditati noſtræ, & vt ea omnia facile, & ſine labore, & quando oportet habeamus; tantum monet, vt ab eo petamus, & ne fortè petendo erremus in verbis, & modo,ipſemet inſtruit nos ore ſuo, & verba ſua ponit in ore noſtro, & linguam noſtram facit calamum ſuum quaſi ſcribę noſtri velociter ſcribentis, vt eructet cor noſtrum verbum bonum, & dicamus Regi opera noſtra. Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligimus vanitatem, & quærimus mendacium? Vt quid potiùs mundi palatia ſectamur, & cum ſæculi Principibus ſermocinatio noſtra, in principibus confidimus, & in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus, & Deum ſpernimus, & verba Dei non audimus, qui verba vitæ æternæ habet, deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & fauum? Quid vltra potuit nobis facere, & non fecit? ò Domine vnde in nobis tanta veſania, & tenebrarum inundatio? dixiſti ſemel ijs, qui verba tua non audiebant, ideo eos non audire, quia ex Deo non eſſent, ſed nos, qui fideles ſumus, qui ex ſemine incorrupto aquæ ſancto Spiritu fœcundatæ renati ſumus, quomodo ex Deo non ſumus? Non igitur nobis accidit hæc calamitas, quia ex te non ſimus, ſed quia etiamſi fideles,& credentes ſumus, non tamen credimus propter quod & loquimur; Vereor enim ne aliquando malum hoc perpendens, ſoror mea ſis dictura, Veh mihi quia tacui, Veh tibi quæ modo ſcis loqui, & loqui non vis, Veh tibi quæ oſtium circum-

ſtantiæ

ſtantiæ labiorum tuorum Dominicis verbis claudis, & apertis verbis mendacij! vis loqui quæ tua ſunt, non quæ Dei ſunt, videris tibi iam facta vir, & non quæ à Deo paruula audiſti, loqui amplius ſtudes, ſed cogitationes,& adinuentiones tuas, & hominum illis præponis: ſed nunquid non audiſti, niſi efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in Regnum Cœlorum? etiam cum facta fueris vir debes in ſtaturam puerorum redire, qui in ſimplicitate cordis vnicam Dominicam orationem ſciunt, & loquuntur. O Domine, qui tanta feciſti mihi, ſume ipſe, rogo cuſtodiam labiorum meorum. Tu, qui voluiſti me tam multa, & tam magna petere à te, permitte puero tuo, vt vnam adhuc petitionem addat ex ſe, & vnum hoc petam, & dicam, Domine labia mea aperies; nam ſi hoc egeris non erit amplius, quod deſideret anima mea, & os meum annuntiabit ſemper laudem tuam: Sed adhuc inſanis, ſoror mea, nonne hoc etiam petiſti cum ſanctificare nomen illius, cum Regnum ipſius aduenire, cum eius fieri voluntatem, cum te à malo liberari petiſti? Quando igitur, orationi Domini tui nihil addi poteſt, confide, ſpera, expecta, & ſuſtine in verbo eius, per quod omnia facta ſunt, & per quod omnia facienda ſunt. Gratias tibi Deo, qui nos ita loqui, & orare didiciſti, nomen tuum Domine, & memoriale tuum ſit in deſiderio animæ meæ die, ac nocte in æternum, & in ſæculum ſæculi.

THESAVRVS XXIII.

Exceſsus Diuinæ Pietatis.

VIdiſti iam ſatis, ſoror mea, quot fontibus ſcaturiat Saluator tuus, Deus tuus, è quibus cum gaudio poſſis haurire quaſcumque aquas, quoſcunque theſauros concupiſcis. Si progrediamur, ſi quæramus inueniemus adhuc nouos non minus vberes, & ſalubres, & diuites. Sed audio nunc obloquentem te mihi, & murmur tuum peruenit ad aures meas: Quid eſt, inquis, quod mihi fontes aperias, quod monſtres aquas, quod theſauros promittas, ſi res meæ in eo ſtatu ſunt, & in eam incidi paupertatem, vt non ſolum

meri-

meritis me vacuam omnino videam, ſed nec boni deſiderij quidquam reliqui habeam? Aruit tanquam teſta virtus mea & lingua mea adhæſit faucibus meis, adhæſit pauimento anima mea, & adeo humiliata eſt, & ſiluit à bonis, vt ipſum etiam concupiſcere amiſerit, nec ſitis vlla in me eſt horum bonorum, & in quo hauriam non habeo. Magna eſt, ò ſoror, vt dicis paupertas tua, & adeo te derelictam doleo, ſed non ideo velim vt deſperes de Deo tuo, & recedas à Deo ſalutari tuo, hoc enim ipſi magis diſpliceret, tibique magis noceret, quam omne aliud malum tuum. Non igitur ideo diſcedas à fonte, immo ſede ad fontem, vbi ſedet & Chriſtus daturus aquam ſalientem in vitam æternam non recedentibus à ſe. Scriptum eſt enim, non diſcedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus; & ſi modo tibi videtur, quod non poſſit aſcendere in cor tuum quidquid expectare poſſes a Domino Deo tuo; ſcito, quod expectare debes ab illo hoc ipſum, quod in cor tuum non poteſt aſcendere: ſiquidem ſcriptum eſt, oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quę præparauit Deus expectantibus ſe. Diligit quidem Chriſtus Ieſus ſororem, quæ habet vbera, ſed diligit etiam ſororem illam, quæ parua eſt, & vbera non habet. Auſculta vocem Eccleſiæ matris tuæ, quæ de magna hac neceſſitate, & paupertate, in qua modo reperiris, cum ſponſo agit, ipſum conſulit, ipſum interrogat: Quid faciemus huic ſorori tam paruæ, quæ vbera non habet, & meritis caret, & votis, in die quando pro nuptijs alloquenda erit? Si derelinquis illam ſibi, ignorat ſe, ignorat te, ſponſum neſcit, nec concupiſcit, quomodo poteris alloqui illam? ſed ecce quomodo ſponſus nihilominus non derelinquit, neque ſpernit te; vide quid reſpondeat ſponſæ, & quomodo ſe maiorem oſtendat omni indigentia tua, & dilectio ſua excedat, & meritum, & deſiderium tuum, ſi ſoror hæc, quæ vbera non habet, adeò, inquit, arida eſt, adeò inanimis, vt muro aſſimiletur, vt non ſolum bonum non concupiſcat, ſed nec deſiderium concupiſcendi in illa appareat; manum meam mittam ad murum iſtum, ædificabo ipſe ſuper eam lapidibus prætioſis, & argenteis, & ſic ornabo, & inſtruam illam virtutibus, & donis ex alto, vt ſit mihi ſpecioſiſſimum, & fortiſſimum propugnaculum. Tunc videbis vbera ſororis illius, quæ prius vbera non habebat, prominentia ſicut turris, & mira-

beris,

Digitized by Google

beris, & lætaberis. Ecce, ſoror mea, quomodo adhærere Deo, etiam dum poſita es in tam miſerabili ſtatu, ſemper tibi bonum eſt, & ponere ſemper in eo ſpem tuam, qui ſemper curat de te. Nonne vides quomodo tibi præſto eſt conſilium eius, & auxilium eius, qui eſt adiutor in opportunitatibus, in tribulationibus, qui eruit ſuſtinentes ſe, & abundantia pietatis ſuæ, & merita ſupplicum excedit, & vota? Nonne ex hac abundantia, ex hoc fonte inexhauribili pietatis eius, noſtra merita, & noſtra vota excedentis, expectare ſemper potes, & haurire etiam, quod non mereris, & quod orare, ſicut oportet, ignoras? Nonne audis quomodo ipſemet ad expectandum cum omni patientia adiutorium ſuum te inuitat, inquiens, expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum? Suſtinuit anima Dauid in verbo eius, ſperauit anima ipſius in Domino, audi quid inde reportauerit? Expectans, inquit, expectaui Dominum, & intendit mihi; nam hoc ipſum, quod eſt non recedere à Deo, ſuſtinere Deum, & expectare opem ipſius, eſt aliquo modo Deũ præcari, vnde & ſubiunxit Dauid, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & luto fæcis: ipſius ſiquidem tam longanimis expectatio Dei præcatio gratiſſima fuit apud Deum: Sed quid miraris, ſi Deus accurrit ad eos, qui non recedunt ab ipſo, qui etiam currit poſt eos, qui fugiunt ab ipſo? immo, & occurrit, & ſuccurrit iis, qui currunt contra ipſum? Nonne paruulus erat Paulus, nonne abſque bonis meritis, nonne abſque bonis votis, immò nonne vota ipſius mala erant, & demerita multa? nonne murus erat contra Eccleſiam, & contra Ieſum, quem ſupra modum perſequebatur? ô quam ſtructuram ſuper hoc paruulo erexit diuinę pietatis exceſſus? Murum diſſipauit, diſiecit, & proſtrauit, fundamẽtum nouum poſuit tam altum, quantum deinde culmen ædificij, & ſuperimpoſita moles demonſtrauit, lapides præcioſos, & margaritas adiecit, & propugnaculum tam forte Eccleſiæ firmatum eſt, & turris adeo excelſa, vt nomen Domini in cõſpectu omnis populi manifeſtauerit, propugnauerit, & magnificauerit: Non credo, ſoror mea, maiora iis concipere poſſis, & votis aſſequi, quæ Paulo acciderunt, & tamen ſi adhuc ea, & omnia conferas, & componas cum abundantia, & magnitudine diuinæ pietatis, quam paruum eſt, ô Paule, & quam modicum, quod accepiſti? ideò & dicebas, ſequor

autem,

Digitized by Google

autem, ſi quomodo compræhendam, in quo & compræhenſus ſum à Chriſto Ieſu; quantumcumque enim compræhendebas, parum ſemper erat collatum, & comparatum magnitudini illius charitatis, quæ ab omni creatura incompræhenſibilis eſt. Sed & tu, ſoror mea, dic mihi, ſi potes, quæ vota fuerunt tua, quæ merita, vt eſſes quando non eras? quæ præceſſerunt bona tua opera, vel deſideria, quando primum ad gratiam vocata es, cum adhuc tu vocare neſcires, nec Patrē, nec Matrem? Sed & ſi quæ deinde bona opera feciſti, ſi quæ bona deſideria vnquam habuiſti; Certè nulla iſta fuiſſent, ſi non ea præceſſiſſent cogitationes bonæ; ſed & primas ipſas cogitationes bonas, quibus alijs prioribus cogitationibus bonis, vel deſiderijs, vel operibus promeruiſti? certè nullis, ſiquidem illæ primæ fuerunt, ſed ſi non ex meritis tuis, numforte ex viribus tuis, & ex te ipſa quaſi ex te habuiſti? Reſpondeat Paulus pro te, & dicat. Non quia idonei ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, ſcilicet ex abundantia diuinæ illius pietatis, quæ excedit, & præuenit non ſolùm omnia noſtra bona opera, & deſideria, ſed ipſas etiam bonas cogitationes. Hoc eſt, quod nobis teſtatur ipſemet Deus dum dicit, inuentus ſum à non quærentibus me, & palam apparui his, qui me non interrogabant. Ergo, ſoror mea, ſi quando fortaſſe ita male diſpoſita es, vt nec opera, nec deſideria, nec vllam in te cogitationem bonam recognoſcas, recurre ad hunc theſaurum ad hunc exceſſum diuinæ pietatis, dicas Deo, vt gratia ſua præueniat te in benedictionibus dulcedinis, & ſi quando ignorans errasti ſicut ouis quæ perijt, clama tu ad Paſtorem tuum, vt ipſe requirat ouem ſuam ſicut ille te docuit, qui dixit, erraui ſicut ouis quę perijt, quære ſeruum tuum. Crede mihi quidquid mali metuit conſcientia tua; quidquid boni non præſumit, nec meretur obtinere oratio tua, accedens ad hunc theſaurum, ad hunc exceſſum diuinæ pietatis; obtinebis, & ſemper inde tibi ſuppeditabitur quidquid ad euitandum quodlibet malum, vel ad conſequendum quodlibet bonum erit expediens, & neceſſarium, & ideo petas audacter, ex huius theſauri diuitijs tibi donari, etiam quod oratio ipſa petere non audet, & quod meritum tuum excedit, & quod omne deſiderium ſuperat, & quod poſſibilitas tua obtinere non poteſt. Potens eſt enim Deus, inquit Apoſtolus, omnia fa-

cere ſuperabundanter quæ petimus, aut intelligimus, ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis. Ideo huius tam magni theſauri conſcia Sancta Mater Eccleſia, indicat illum, & manifeſtat filijs ſuis, ſic eos in diuinis ſacrificijs orare inſtruens: Omnipotens, & miſericors Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & merita ſupplicum excedis, & vota, effunde ſuper nos miſericordiam tuam, vt dimittas quæ conſcientia metuit, & adijcias quod oratio non præſumit. Quod effunditur, copioſè datur, liberaliter datur, gratis datur, abſque prætio, abſque vlla commutatione, abſque merito, omnibus accipere volentibus exhibetur. Nonne vides, ſi quandoque apud Principes terræ mos ſit, vt ſtatutis diebus, ad oſtendēdam munificentiam ſuam, in populum pecuniæ iacturam faciant, qui concurſus fiat ad plateam, & ad fores ipſius, languentium, cæcorum, claudorum, aridorum? quomodo omnes Regijs liminibus appropinquent, palatium conſtipent, patienter expectent, & nemo ſit qui ab effuſione beneficium non præſumat? Cur igitur, ſoror mea, etiamſi te abiectam, languentem, & aridam ſentias, ſpem depones, & ab atrijs Regis illius diſcedere cogitabis, qui non ſtatutis diebus, ſed quotidie, & momentis ſingulis profert de theſauris ſuis, & effundit ſuper dignos, & indignos, ſuper bonos & malos, ſuper iuſtos, & ingratos? & ſtetit ille languens triginta & octo annos habens in infirmitate ſua, multum temporis ad Probaticam piſcinam, expectans adiutorium hominis, quo poſſet in commotas ab Angelo aquas deſcendere, & ſanari, & qui ſanabatur erat vnus: tibi graue erit, ſoror mea, etiam paucis diebus in domo Dei tui expectare, & pręſtolari cum ſilentio ſalutare tuum, cum non vnus tantum, ſed vniuerſi, qui ipſum expectant, non confundantur? Quis enim vnquam ſperauit in illum, & confuſus eſt? Quod ſi fortè aliquando ita ad nihilum redacta tibi videaris, & malis omnibus circumdata, vt ignores quid agere debeas, certè hoc vnum ſemper habes reſidui, vt oculos tuos dirigas ad eum, qui dat eſcam in tempore opportuno ipſis etiam oculis omnium, qui ſperant in eum. Eſt enim Deus noſter, Deus faciens bonum, & creans malum, & quod malum creas Deus bone? niſi quia etiam ex malo, quod ex ſe nihil boni eſt, creas quod bonum ſit. Quando ergo nihil in te boni vides, quod Deo repræſentes vt perficiat, offer illi malum tuum, vt creet. Nonne

Dauid

Dauid ſic orantem audiſti, cor mundum crea in me Deus? Quare rogat vt creet, niſi quia per peccatum ad nihilum redactum erat cor illius, ſicut ipſe faſſus eſt dicens, quoniam inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui? Nunquid aliud eſt quam nihilum malitia tua? Sed eſto, ſit ipſo nihilo inferior, nunquam tamen adeo infra nihilum deſcendet, vt non ſemper remaneat intra exceſſum iſtum immenſum, & infinitum diuinæ pietatis, & bonitatis Dei. Nam & ſi deſcenderis in profundum immenſum quaſi lapis, potens ſemper, & ſuperpotens eſt diuina pietas de lapidibus ipſis ſuſcitare filios Abrahæ, nec timendum eſt, ne forte offendat ad lapidem pedem ſuum. Conſidera quantum olim exceſſerit pietas iſta meritum, & votum, & deſiderium, & neceſſitatem tuam, & omnia peccata tua, quando propter te filius Dei exinaniuit ſemetipſum, & ſicut aqua effuſus eſt, & diſperſa ſunt omnia oſſa eius, ò qualis; & quantus fuit exceſſus ille, quem compleuit in Hieruſalem! certè quodcumque ab illo petere, vel deſiderare, & ſperare potes, quamuis excedat meritum tuum, nunquam excedet, ſed nec adæquabit exceſſum bonitatis ſuæ, nec vnquam nimiæ Dei charitati qua dilexit nos, noſtramque ſalutem, nimium eſſe poterit, quod ad noſtram ſalutem deſideratur, et poſtulatur. Sed caue, ſoror mea, ne expectatio iſta tua, & præſtolatio tua diuinæ pietatis, ſit ſicut illa, in qua conſenſit Ozias, qui ſtatuit tradere ciuitatem Aſsyrijs, ſi intra quinque dies non veniſſet adiutorium Dei, nam talis expectatio, tentatio Dei eſt qua ad effundendam potius iram ſuam quam miſericordiam Deus prouocatur. Sed adeò debes eſſe ſtabilis, & conſtans in expectando, vt quaſi Iacob alter luctari cum Deo non deſiſtas, nec dimittas eum donec, benedixerit tibi. Quod ſi Deum expectando, & in ipſum ſperando, omnia tibi ſuccedant, & eueniant contra ſpem tuã, & contra expectationem tuam, non propterea deficiat ſpes tua, & expectatio tua, ſed ſis quaſi Abraham fidelis, qui in ſpem contra ſpem credidit; dicaſque cum eius filio Dauid, ego autem ſemper ſperabo, & adijciam ſuper omnem laudem tuam, vel cum S. Iob; etiam ſi occiderit me, ſperabo in eum, & ſic ſecura eſto, quod ſuſcipiet te ſecũdum eloquium ſuum, et viues, & non confundes te ab expectatione tua: Nam dilatio iſta, & mora, quam facit ſponſus, dum fingit ſe longius

ire, ac differt venire ad te, tibique concedere quod ſperas, quod expectas, quod concupiſcis, quod exoras, non aliunde prouenit, quam ex iſto theſauro, ſcilicet ex hoc exceſſu diuinæ pietatis, quæ maiora tibi vult donare quam petis, pretioſiora quam concupiſcis, ſalubriora quam ſperas, præſtantiora quam expectas. Diſtulit ſanare Lazarum, quod magnum fuiſſet, & vtile, & admirandum, vt poſſet illum reſuſcitare, quod fuit maius, vtilius, & mirabilius. Diſtulit liberare filiam Cananeæ, quod vtique vtile ipſi erat, & optandum valdè, vt ipſius fidem redderet maiorem, & mirabiliorem, quod ei longè vtilius, & optabilius fuit. Dum igitur vides, ſoror mea, tibi non dari, quod poſtulas, non euenire, quod expectas, non concedi, quod deſideras, non adeſſe, quod ſperas, noli turbari, noli contriſtari, noli tepeſcere in oratione tua, in expectatione tua, in ſpe tua, in deſiderijs tuis, ſed ſcito, quod tunc vult Deus excedere pietate ſua vota, & deſideria tua, ſpem, & expectationem tuam; ideo & tu in oratione tua, in fiducia tua, in votis tuis, in longanimitate tua, te ipſam ſemper excedas. Vult Deus, talentum quod nobis ſtatim non reddit, nobis magis multiplicare, & fœnus noſtrum maius efficere. Nam & ſimiliter in mutuantibus hoc facientes videmus, fœneratores libentiùs fœnerantes, non ſtatim pecuniam reſtituentibus. Qui namque ſtatim totum reddit, vſuræ curſum interrumpit, qui verò diu retinet, maiorem facit & operatiorem. Itaque in hominibus quidem dilationē non æquè ferimus, immo & ſtudemus vt vſura maior efficiatur: apud Deum verò, tam puſillanimiter nos gerimus, vt propter hoc torpeamus, & retrocedamus. Certè non ſic agis tu nobiſcum, o bone Ieſu, dum tibi toties vocanti non reſpondemus, pulſanti non aperimus, inuitantem ad nuptias negligimus, & dum expandis ad nos tota die manus illas tuas tornatiles, plenas hyacintis, contradicimus tibi: Nam patienter agis, ſuſtines, expectas, vt miſerearis, & parcas nobis, aliquando veniam petentibus, non dico vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Quid eſt hoc Domine? niſi quod exceſſus pietatis tuæ ſuperat omnem exceſſum malitiæ noſtræ? verè vani ſunt ſenſus hominis, mendaces filij hominum in ſtateris, moram, & expectationem ſibi proficuam ſuſtinere non poſſunt, noxiam verò, & perniciosam etiam affectant; Aegre ferimus, quod Deus differat nobis donare id quod dilatum

Digitized by Google

latum magis nobis accreſcit; quod verò dilatum nobis decreſcit, ipſi ſtatim reddere recuſamus. Scito igitur, ſoror mea, & hoc firmiter tene, conditionem, & naturam, & innatam pietatem Dei tui eam eſſe, vt dum ab ipſo poſtulantur, deſiderantur, ſperantur & expectantur, quæ ſunt vtilia ad ſalutem, ea ſemper concedat, vel neget, vel differat, vel alio modo diſponat, prout magis ad noſtram ſalutem cognoſcit expedire, excedens ſemper, & merita ſupplicum, & vota.

THESAVRVS XXIV.

Beneficium Chriſti quodcumque.

SIcut, ſoror mea, nullus eſt (ſaltem inter fideles) qui Deum bonorum omnium largitorem non agnoſcat, omnis enim lingua confitetur, ipſe fecit nos, & non ipſi nos; ita ſcias nullum reperiri, qui non habeat ex beneficio ipſius quocumque, vnde non dico vnum, aut alterum, ſed infinitos, & immenſos theſauros poſſit acquirere. Quantumuis enim illud, quod ipſius dono accepimus, modicum ſit, & exiguum, cum tamen, quidquid illud ſit, à Deo datum ſit, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit, hoc ipſo, quod beneficium, & donum Dei eſt, habet ex ipſomet Deo, vnde poſſit augeri, perfici, & maiora ſemper incremēta ſuſcipere. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, inquit 2. Corin. c. 9. Apoſtolus, & panē ad manducandū præſtabit & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugū iuſtitiæ veſtræ: vt in omnibus locupletati, abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Niſi magiſter tuus Chriſtus dixiſſet tibi, ſoror mea, ſimile eſſe Regnum Cœlorum grano ſynapis non auderem te, conſciam paruitatis, & modicitatis tuæ, & duo tantum fortaſſe minuta habentem ad tantam ſpem erigere, vt etiam ad regnum aſpirares. Imò in operibus ipſius naturæ oſtendit etiam ipſe tibi Deus beneficentiam hanc ſuam, & ex iis, quæ terrena ſunt, te manuducit, ad concipienda, et credenda cœleſtia, & ideo quod per ſe veritas ipſa diuina docet, humana

ratio

ratio perſuadere non præſumat. Modicum igitur ho , quod tibi videtur in te eſſe, duo videlicet iſta minuta, vnicum illud talentum, duo tantum piſces, aut quinque panes, pugillus ille farinæ tantùm in hydria, & paululum olei in lecytho, denique quodcumque beneficium quantumuis minimum à Deo recepiſti, recipis, vel vnquam receptura es, ſcito theſaurum magnum eſſe, & veluti ſemen quoddam, habens à Deo virtutem germinandi, & producendi ſemper noua, & maiora beneficia; ita vt in quolibet minimo dono Dei re vera cótineatur virtualiter admirabilis quædam, & infinita beneficiorum ſeries, & ipſum Regnum Cœlorum: Sunt namque Dei beneficia veluti funiculi taliter inuicem colligati, vt vnus poſt ſe alium trahat, in funiculis Adam, inquit Deus, trahã eos, in vinculis charitatis; funiculis iſtis Deus nos ad ſe trahit & ijſdem trahimus ad nos ipſum Deum cum quo ſimul & rapimus Regnum cœlorum. Sed quia funiculus nihil trahit, nihil rapit ad nos abſque noſtra opera aut violentia, vnde & ſcriptum eſt, Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, qua ratione, ſoror mea, debeas ex vno Dei beneficio aliud trahere, & ex vno Dei dono quaſi ex ſemine quodam alia plura, & maiora dona colligere, ex eodem exemplo grani ſynapis addiſce. Certè ſi arborem magnam ex aliquo paruo grano habere velles, primo illud non vt rem aliquam per ſe ſolam habendam cuſtodires, ſed ſemen illud eſſe ſciens, ſtatim curares terræ committere, mox vt olus ex illo tibi redderetur, à terra excolendo peteres; deinceps vt creſceret in fruticem, & ex frutice arborem fieri ſtuderes; & cum iam in arborem formatum eſſet, adhuc exigeres a terra augmentum maius, & magnitudinem vlteriorem, donec à natura perſcriptum finem pertingeret, & volucres cœli habitarent in ea. Vide quomodo te promoues, & tranſis in affectum cordis, & de voto in votum, de deſiderio in deſiderium ſemper magis cor tuum extenditur, & quomodo à natura ſemper vlteriora, & noua poſcis beneficia, quouſque benefacere illam tibi poſſe cognoſcis? O anima mea, ſi ita ageres cum Deo tuo, vt poſt primam gratiam quæ eſt modicum illud ſemen Regni Cœlorum, nunquam ceſſares deſiderare, & petere ab eodem ipſomet largitore, vt ſemper ea incrementa illi daret, quæ & ipſa nata eſt habere, & Deus illi dare ſemper poteſt: profectò ſicut facultatis diuinæ nullus

eſt

Digitized by Google

eſt finis, ita beneficiorum , & donorum illius erga te nullus eſſet modus. Nam quo plura accipis à Deo, plura ſemper , & maiora potes accipere;exinanitur enim, vel minuitur quæcumque virtus naturalis quo plura præſtat; at minui, & decreſcere non poteſt vis illa, quæ diuina eſt, & infinita , ſemper enim integra, & eadem perſeuerat ; & quia per ea quæ nobis largitur, ad maiora ſemper, & perfectiora diſponit , ideo cupiditas, vota, deſideria, deprecationes,inſtantiæ, inquiſitiones, pulſationes, importunitates, violentiæ, clamores, luctæ, ſemper debent eſſe maiora, vt perfectiora illa, & maiora nobis largiatur. Quę quidem vis, & violentia in orando , quærendo, pulſando non ideo adhibenda eſt, quaſi Deus ſit terra deſerta, & ſerotina, quæ reddat difficulter fructum ſuum; facilè enim in oculis eius eſt ſubito locupletare pauperem , ſed quia nobis ipſis vis eſt adhibenda, vt ſemper perfectiora deſideremus, quæramus, petamus : non illi , ſed nobis violentia iſta facienda eſt: non enim habet ille difficultatem in dando ; ſed nos in quærendo, ille fatigatur nunquam tribuēdo, ſed nos in orando langueſcimus . Miſericordia tua,& veritas tua ſemper ſuſceperunt me, dixit Dauid, nunquam a facie ſua eijcit nos Deus noſter, niſi nos ipſi à facie eius nos ſubtrahamus . Vnde in ratione beneficiorum, ſoror mea, diuerſa admodum ratio apparet, ſi cum Deo agatur, ac cum hominibus . Si homo tibi benefacit, iniquus , & ingratus videberis, ſi ſtatim beneficium aliud poſcas, non enim eſt hoc referre gratiam, ſed beneficentiæ fontem exhaurire , quem omnino in homine exhauris, ſi ab eo ſemper petas . At non ita accidit cum Deo tuo, ſi enim benefecerit tibi, ingratus , & iniquus es, ſi beneficium alterum non ſtatim petas , fons enim inexhauribilis eſt beneficentia illius, & quo minus de illa petis, minus de illa manifeſtas, & ſic iniuriam illi facis , cum plura petendo, & accipiendo , commendare , & glorificare vbertatem illius ſemper magis poſſis . O ſi ſcires, ſoror mea, donum Dei, & quis eſt, qui benefacit tibi, quantum de beneficijs illius gauderes, quibus nos facit debitores , ne dicam an creditores, habita ſcilicet agnoſcendi , & exigendi ſemper ex habitis , & potiora , & vlteriora ? Inter homines enim hoc accidit, vt ſemper minores ſimus ad referendam gratiam, quo plura, & maiora beneficia acceperimus: ſed diuina beneficia accipientem non opprimunt:immò ſubleuant,

& quo

Digitized by Google

& quo plura ab eo accipimus, & etiam ampliores gratias illi sẽper referre poſſumus, maiores ſemper gratias poſtulantes, vt illi grati ſimus,& expetitum ab eo gratitudinis obſequium exhibeamus. Non reuertetur, inquit Iſa.c.55.ad me verbum vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud. Loquutio Dei, & verba Dei ſunt benefacta ipſius, quoniam ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit,& creata ſunt: non vult igitur Deus, vt beneficium ſuum vacuũ reuertatur, ſed vt proſperetur, & fœcundetur, quod tunc fit, quando vno accepto, ad accipiendum ſtatim aliud ab eo, qui dat omnibus incrementum, reuertimur. Quamprimum igitur beneficium aliquod à Deo te accepiſſe ſenſeris, ſoror mea, ſi grata eſſe vis, non reuertaris ad Deum gratias agendo pro eo tantum, quod dedit, ſed etiam inſtando pro eo, quod tibi vlterius dare ſemper eſt paratus: & ideo ſemper debes,& gratias agere, & poſtulare, vult enim ſemper dare petenti. Audi quomodo hanc gratitudinis legem erga Deum, docuit nos Apoſtolus Paulus: Cum gratiarum actione, inquit, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Ac ſi nos moneat de periculo accepti beneficij, ſi gratiarum actionem noua ſtatim petitio non comitetur. In hominibus hoc accidit, vt accepta ab ipſis beneficia, abſque nouo ipſorum beneficio conſeruare poſſimus: non enim ſemper qui confert, idem ipſe eſt, & qui conſeruat; At beneficia Dei non poſſunt abſque ipſius continuo, nouoque beneficio conſeruari, & ideo omnis terra ſemper cantare debet Domino canticum nouum, idem enim eſt Dominus, qui contulit,& qui conſeruat. Conſeruatio autem quid eſt aliud niſi noua quędam, ſeu continuata collatio? Vnde qui noua à Deo accipere ſemper beneficia negligit, acceptis omnino priuari neceſſe eſt. Taliter ſi quidem decreuit Deus in nobis dona ſua conſeruare dum ſumus in hoc corpore, & à Domino peregrinamur, vt in acceptis non ſiſtamus, ſed ad accipienda ſemper maiora, & potiora progrediamur, donec ipſummet datorem,& largitorem bonorum omnium perfectè poſſideamus. Quod ſi ingratus ille eſt, qui non reddit bonum pro bono, quam ingratitudinis notam incurret, qui cum poſſit gratus eſſe pro dono minori accepto, non dona maiora referendo, ſed dona maiora iterum recipiendo, recuſat rem adeo benefactori ſuo gratam, & ſibi ipſi proficuam, & perutilem ab eodem ipſo benefa-

ctore

ctore, & repetere, & recipere? Nonne mæretur, & acceptis ſpoliari, qui ſic ſe opponit flumini beneficentiæ Dei, quod ſemper manare curat, & effundere ſatagit vberius, & vlterius aquas illas ſalientes in vitam æternam? Hinc eſt, ſoror mea, quod in illo flumine beneficiorum Dei ſiſtere, dum ſumus viatores, impoſſibile ſit, vnde illud ortum eſt axioma, in via Dei non progredi, retrogredi eſt: omni enim habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur. Vide igitur quomodo dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, quomodo vlterioris gratiæ inquiſitio, ad maiorem ſemper gratiam aditum aperiat inquirentibus, & defectus inquiſitionis ad maiorem ſemper defectum, & inopiam dormitantes perducat? Propter quod etiã dixit Propheta, quærite Dominum, & confirmamini, quærite aciem eius ſemper. Iuſtorum enim ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque in ſupremum diem. Sollicitus, & anxius erat aliquando S. Dauid requirendo quid tandem retribueret Domino pro omnibus quæ retribuit ſibi; audi quid excogitauerit: Calicem, inquit, ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Accipiam ait, & inuocabo? Hæccine eſt gratitudo, hæccine eſt retributio quam tandem inueniſti, & Domino retribuere cogitaſti, pro omnibus quæ retribuit tibi, vt dum vnum accipis, inuoces, & depreceris pro alio? O quam bonum eſt tibi gratias agere, Deus meus, ſi gratias tibi agere eſt, à te gratias poſtulare. Verè dignum & iuſtum eſt, æquum, & ſalutare nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Ita Domine, ita neceſſe eſt vt fiat, quando nihil eſſe poteſt in nobis quod referamus tibi, niſi quod tu prius contuleris nobis; ſicut enim nullus eſt, qui prior tibi aliquid tribuere poſſit, ſic neque etiam retribuere: ſed ille verè gratus, & beatus eſt, qui retribuit tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Propterea & S. Dauid non dixit quid retribuam Domino pro omnibus, quæ tribuit mihi, ſed pro omnibus, quæ retribuit mihi, vt fateretur, & oſtenderet, Deum non ſolum eſſe primum in tribuendo, ſed etiam in retribuendo, & omnem noſtram retributionem, eſſe retributionem ipſius Dei. Si igitur de tuo Domine, tibi debeo gratias agere, & referre, quid mirum ſi factus ex donis tuis ſemper tibi gratior, & ad maiora percipienda magis diſpoſitus, & ido-

neus, poſſum ſemper maiora, & petere. & recipere? O iterum atque iterum felix conditio noſtra, ſoror mea, ſi dona Dei cognoſcamus. Vide matrem tuam Eccleſiam, quomodo huic innixa veritati, in omni gratiarum actione, in omni oratione ſemper nouas offerat petitiones, ſemper donis potioribus augeri requirat, & quæ ſemel diuina guſtauit, ſine fine percipere petat, & ſi temporalia accipit, diſponi per hæc ad æterna deprecatur. Non dedignatur, nec fatigatur Deus petitionibus noſtris, quæ beneficentiam ipſius ſemper commendant, & magnificant, imò adeò delectatur, & in ijs ſibi bene complacet, vt non ſolùm poſtulata concedat, ſed (quod valde mirandum eſt) etiam mercedem, præmium, gratiam, & gloriam peculiarem ſupplicibus ſuis reddat, pro eo quod ab ipſo ſuppliciter exorarunt. A ſæculo non eſt hoc inter homines auditum vt quis non ſolùm beneficia præſtet, quæ ab ipſo petuntur, ſed etiam mercedem ſoluat ſupplicibus pro ſupplicatione. ſed prætereà quaſi ipſemet pauperior euadat, ſi ditari nos ipſius diuitijs non requiramus, indignatur, & cõqueritur: vidit Dominus, inquit Iſaias cap. 59. & malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium, & vidit quia non eſt vir: & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat. Vide quomodo qui ad Deum non properat efferentem diuitias ſuas, & theſauros ſuos, quantum ex ſe eſt pauperẽ ipſummet faciat Deum. Hinc profluxerunt lachrymæ illę, & ille fletus Chriſti Domini ſuper Hieruſalem, eo quod non cognoueris tẽpus viſitationis tuæ, & noluiſti ipſi occurrere neque ipſum recipere, dum in propria venit, ſed pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, & tranſiens per medium filiorum tuorum ibat: attamen cum non eſſet, qui inuocaret, qui conſurgeret, & teneret illum, abſcondit faciem ſuam à te: vnde relictæ ſunt domus tuæ deſertæ, non eſt relictus lapis ſuper lapidem in te, & ad terram proſtrata iaces tu, & filij tui. O bone Ieſu potius beneficia, et dona tua longe facias à me, quam me permittas illa ignorare, & non cognoſcere tempus viſitationis meæ. Heu quo perduxit Iudæos ignorantia hęc beneficiorum Dei, et neglectus diuitiarum bonitatis, et beneficentiæ eius. Signa quæ in vobis faciebat plurima, multa bona opera quæ oſtendebat vobis quotidie videbatis, & quid feciſtis? Concilium tandem collegiſtis aduerſus Ieſum, dicentes: Quid facimus, quia hic homo multa

ſigna

ſigna facit? Si dona Dei cognita habuiſſetis, quid vos aliud facere oportebat, quam adhuc etiam ab eo maiora, & præſtantiora petere, et ſperare? Sed quia abſconditus fuit ab oculis veſtris modus hic theſaurizandi theſauros in cælis, videamus quid conſuluiſtis. Ecce conſilium inierunt, vt ipſum Ieſum, ipſum Saluatorem, ipſum Largitorem, ipſum Benefactorem, dolo tenerent, et occiderent. ſiccine grati eſtis, et gratiam rependitis? Si poſt tot beneficia hoc ipſum etiam ab eo petijſſetis vt animam ſuam pro vobis poneret, profecto non defeciſſetis in perſcrutationibus veſtris, immò etiam expectare ab eo tam eximium beneficium fuiſſet illi gratias maximas referre, et confiteri infinitam beneficentiæ illius virtutem, et cognouiſſetis hoc ipſum eſſe, quod prior ipſemet pro vobis facere decreuerat, & coram vobis fecit, dum ante oculos veſtros pro vobis, et à vobis ſe crucifigi paſſus eſt, ponens animam ſuam pro veſtra ſalute, et iterum ſumens illam, vt ad noua ſemper præſtanda beneficia viueret in æternum: ſed vos illum occidere, et cum vita etiam benefaciendi amplius facultatem illi adimere, & finem benefaciendi præſtituere voluiſtis. Et tamen tanta ingratitudo veniam etiam inuenit apud mitiſſimum, et beneficum Dominum, quando veniam quæſiuiſtis; vt quicumque veniam non mæruit, non ipſius Domini ſemper paratam, et expoſitam clementiam, et benignitatem, ſed propriam tantummodo cauſare poſſet perfidiam, et obſtinatam malignitatem. Nam et ideo coram vobis veniam pro vobis deprecatus eſt, vt et vos ad deprecandum alliceret, et ſciretis quia pro vobis etiam erat, et clamabat, qui à vobis occidebatur: ſed videntes noluiſtis videre, et audientes intelligere noluiſtis. Non ſic tu, ſoror mea, quæ ſemel illumrnata Chriſtum agnouiſti; ipſum ſemper viuentem, et potentem, et volentem benefacere præ oculis ſemper habeas, caueaſque ne quando à petitionibus, et oratione ceſſando, etiam tu videaris illum quodammodo occidere voluiſſe, et terminum imponere quem non transgrederetur. Vide quam inique tulerit quod nouem illi leproſi ad ipſum non redierint, vt agerent gratias, poſtquam mundati ſunt, et quantum commendauerit vnum illum, qui gratias acturus redijt, et gratias agendo nouum beneficium accepit, et de ſalute ſua ſecurus effectus eſt. Nunquam vacui deſiderijs, nunquam vacui ſuſpirijs, petitionibus, obſecrationibus,

tionibus, et gratiarum actionibus ante conſpectum ipſius ſtare debemus, qui pleni ſumus neceſſitatibus, miſerijs, et anguſtijs, ſemper eſt, quod in nobis agat, et in nobis operetur ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter, donec occurramus illi in virum perfectum, nec ſatiari poſſumus beneficijs ipſius, ſaturitas enim appetitum, appetitus autem non parit in illis ſaturitatem; ſicut ſcriptum eſt, qui edunt me adhuc eſurient, et qui bibunt me, adhuc ſitient. Solus ille vnicus, qui noſter eſt finis, appetitui noſtro finem poteſt imponere, tunc enim ſolum Domine, ſatiabor cum apparuerit gloria tua. Interim ſemper oremus, ſemper petamus. O ſi in rebus humanis hæc ars Alchimica reperiretur, vt ex paruo quadrante accepto tot haberi poſſent nummi, quot ad magnos theſauros ſufficere poſſent, quomodo filij tenebrarum ſolliciti, et prudentes eſſent, vt omnia rectè, et ritè ſeruarent quæcumque ars iſta doceret, et præſcriberet? Igitur de ſpiritualibus, et æternis, ars certa traditur, quomodo ex minimo quocumque ſemine beneficentiæ Dei, quod in nobis reperitur, acquiri poſſit magnus diuitiarum, et fælicitatis cumulus, modus, et ratio quæ prǽſcribitur tam facilis, et in promptu eſt, quam facilè, et promptum eſt ipſum petere, et tamen quotuſquiſque eſt qui ad petendum expergiſcatur? Nonne hominum maior pars eſt, ſi vera loquamur, ſoror mea, qui Chriſtum tuum tanquam malefactorem fugiunt, quam qui eum tanquam benefactorem ſequantur? Vtinam in Chriſtianis hoc verùm non ſit. Potuiſti, ò bone Ieſu audire ab hominibus malefactorem te appellari, et ſuſtinuiſti, immò etiam tanquam malefactorem tradi paſſus es; ſed quia neſciebant, quid facerent, excuſare ipſemet apud Patrem eos voluiſti, nam ſi cognouiſſent, nunquam Dominum Gloriǽ crucifixiſſent. Nunc verò poſtquam Cœli, et Terra, et omnia quæ in eis ſunt, te Benefactorem noſtrum, et Redemptorem conteſtata ſunt, et proclamarunt: quare ſaltem nos, qui de Chriſti fide gloriamur, non currimus ad te poſt odorem beneficiorum tuorum? das omnibus das quotidie, das affluenter, das libenter, das ſapienter, das perſeueranter, das patienter, das, et non improperas, et quia munera tua, ſeu potius te datorem munerum cognoſcere, culpa noſtra nolumus, deteriores ex ipſis muneribus euadimus, et cum aſcenſum ex illis ad te nobis diſpoſueris, nos ad deſcenſum contra te iiſdem ipſis muneribus abutimur.

O Domi-

O Domine Deus meus, benefactor meus, quando, quando me tot beneficijs vndique circumdatum hoc etiam vno conſtringes, & colligabis, vt non permittas me vlterius abuti beneficijs tuis? Quid enim proderit ſi alia omnia mihi concedas, vnum hoc ſi neges? Vide Domine, & conſidera quod omnia alia beneficia quæ à te accepi, vel à te ſum accepturus, in malum meum conuertentur, niſi cum alijs ſimul etiam hoc mihi præſtes, vt ipſis donis tuis non abutar. Quid enim mihi, Domine, proderit, quod natus ſum, quod me conſeruas, quod pro me de cœlis in terram deſcendiſti, & ſanguinem tuum prætioſum pro mea redemptione fudiſti, quod tot inſpirationibus, tot exemplis, tot adiumentis ad perfectionem excitaſti; quid inquam, hæc omnia mihi proderunt, ſi adhuc te offendo, & tuis ipſis beneficijs inſurgo contra te? Eia Domine adde hoc vnum beneficium innumeris alijs quæ mihi contuliſti, & quotidie confers. Vnum adde, ne omnia pereant. Cui contuliſti, & confers innumera, ne pigeat adhuc vnum conferre. Innumera contuliſti non petenti, ne deneges vnum obſecranti. Expediens fuit Domine, vt tu vnus morereris pro populo, ne tota gens periret, cur non expediēs erit vt vnum beneficium, non dico moriatur, ſed conferatur, & viuat, ne tota multitudo, & ſeries beneficiorum pereat? Dabis igitur, & hoc mihi Domine, dabis, nam & hoc inter cætera te daturum promiſiſti, quodcumque, inquis, orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Eia Domine, accipere à te beneficium hoc, & peto, & credo, & oro, & confido, & quo non pertingit fides, & oratio mea, præcor vt ſuppleat abundantia illa pietatis tuæ, quæ merita ſupplicum excedit, & vota.

* * *

THESAV-

THESAVRVS XXV.

Chriſti Gloria.

SI in his theſauris quos quotidie oſtendo tibi, ſoror mea, id quod ad quęrendum te mouet, quod te delectat, quod conſideras, & magni facis, eſt bonum tuum, ſalus tua, requies, & commodum tuum, vereor ne inanis ſit labor tuus, & ne aſſimileris ſponſæ quæ in lectulo ſuo quærebat quem diligebat, & non inueniebat. Verè enim tenebræ ſunt ſuper te, ſi putas diligere te Deum tuum, & præclaræ huius dilectionis fructus colligere, ſi in bonis ſuis quæris quæ tua ſunt, dormiens in lectulo amoris concupiſcentiæ tuæ, & non quæris quæ illius ſunt, & filij eius Ieſu Chriſti. Surge & tu cum eadem ſponſa, nec pigeat te paululum pertranſire, relinquendo te ipſam; & ſtatim inuenies quem diligit anima tua, & in ipſo melius, & fructuoſius, & iucundius reperies te, quam in te ipſa, & ſpernendo quæ tua ſunt propter ipſum, multo magis theſaurizabis in ipſo quæ tua ſunt. In proximo eſt enim amor Dei illi, qui ſeipſum relinquit propter Deum, & ſtatim ſibimet ipſi moriens, incipit viuere in Deo vitam fæliciorem, & omnia ſua, quæ propter Deum dimiſerat, in Deo recipit centuplum multiplicata. Hic eſt amor, hæc eſt dilectio, quæ quanto minus mercenaria eſt, eo maiorem mercedem mæretur, hæc eſt, quæ te fortem; & animoſam facere poteſt, cum hac ſemper quærens, ſemper inuenies, & ſi te oportuerit gloriari, hæc ſola eſt, qua potes tantum in Domino gloriari. Scopus igitur tuus ſit ipſe Deus, oculi tui ſint ſemper ad illum, nulla pars cordis tui non tendat ad gloriam Dei: ex toto corde tuo; ex tota mente tua quæras illam, ſit vnicus finis tuus ille, qui ſolus non habet finem. Si hoc præſtare ſatagis, gloriam ſuam Deus alteri non dabit, non timeas à facie infirmitatis tuæ, à facie inimicorum tuorum, à facie iræ indignationis ſuæ. Ipſe adſtat, & defenſor, & cuſtos, & zelator ſui, ipſe gloriam ſuam tuetur, ipſe promouet, ipſe commendat, O immenſum, ineffabile, & ſuper omnia beneficia beneficium excelſum, quando ſic feciſti, & voluiſti,

Digitized by Google

ſti, Domine, vt iuſtificatio mea, bonum meum, eſſet honor, laus, & gloria tua! O quantum bonum tuum, quanta fælicitas tua, ſi agnoſcis, ſoror mea, quanta conſurgit hinc ſpes, & quam magna fiducia? Quando tibi abſque vllo bono tuo, immo etiam cum malo tuo, cum perditione tua, honor & gloria Domini tui quærenda fuiſſet, nonne debuiſſes præeligere illam, & præponere cunctis diuitijs tuis? Nonne dilectio illius erga te, nonne maieſtas illa diuina totum hoc, multoque magis mæretur? Sed, ò bone Ieſu, quid mihi reliquum eſt, quod pro te facere poſſim, ſi hoc ipſum facere pro te, eſt pro me facere, immo hoc ſolùm eſt pro me facere, facere pro te ſolo? Ecquid mihi tu amplius tribuere poteras, quam reponere gloriam tuam in bonis meis, & in ſalute peccatricis animæ meæ? Ecce dum Lazaro, & in Lazaro, peccatori vitam, & ſalutem vis tribuere, tunc dicis Marthæ, videbis gloriam Dei. Si lumen cæco reſtituis, hoc te agere prædicas, vt manifeſtentur opera Dei in illo. Itane indigentiæ noſtræ, infirmitates noſtræ, peccata noſtra ad manifeſtationem gloriæ Dei poſſunt cooperari? En etiam Paulus, quam apertis verbis idem conteſtatur, omnes, inquit, peccauerunt, & egent gloria Dei. Quam bene hoc, Paule, dixiſti, qui experimento id comprobaſti, & confeſſus es, & nou negaſti, quando tam aſſeueranter dixiſti, fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc Mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideo miſericordiam conſequutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Quam bene, Paule, hoc dicis, qui dum vas electionis factus, & prædicatus es, præcipuus theſaurus ad quem portandum fuiſti tanquam vas electum, non fuit ſalus, & gloria tui ipſius, ſed gloria ipſius Ieſu Chriſti, qui in Paulo comprobabatur verè Saluator peccatorum, quod Nomen ipſum Ieſus prænotabat. Vocatum quippe eſt nomen eius Ieſus, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum, & ideo gloria illius, qui vult nominari, & manifeſtari Saluator peccatorum, tunc demonſtratur non inanis ſed vera, quando peccatores liberat à ſeruitute peccati, & reuocat in libertatem Filiorum Dei. Hoc eſt, quod maximè commendat omnipotentiam, & charitatem Dei in nobis; hoc eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ſcilicet nomen Ie-

ſu,

ſu, ſcilicet Saluator peccatorum. Hinc nos docet Eccleſia orare, & obſecrare, Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Et S. Dauid, qui orabat ſecundum cor Dei ſic eum præcabatur; propter nomẽ tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim. Sed habemus de te ipſo teſtimonium tuum Domine, qui lõgè ante dixiſti per Iſaiã Prophetã c.48. Propter nomen meum longè faciã furorem meum, & laude mea infrenabo te, ne intereas: Propter me, propter me, faciam, vt non blaſphemer: & gloriam meam alteri non dabo. Hinc eſt, quod tunc in cœlo gloria audita eſt, quando pax in terra audita fuit, tunc multitudo Angelorum gloriam cecinit in altiſſimis Deo, quando pax bonæ voluntatis allata fuit peccatoribus in terra: fuit quidèm ſemper magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, cum laudarent eum aſtra matutina, & benedicerent eum omnia opera eius, ſed cum miſerationes eius ſint ſuper omnia opera manuum eius, & iuſtificatio peccatoris ſit ſuper omnes miſerationes eius, qui omnipotentiam ſuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtat, & cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ideò tunc præcipuè cantatum eſt ab Angelis, Gloria in Excelſis Deo, quando Deus de Cœlo venit in hunc Mundum peccatores ſaluos facere; ideò non ignara myſterij huius, Sacroſancta Mater Eccleſia, dum gratias agit Deo, recolens tanti beneficii memoriam, Gratias agimus (inquit) tibi, propter magnam gloriam tuam; ſiquidem nobis miſeris, & indignis, Deus benefaciendo gloriam ſuam nobis, & in nobis manifeſtauit. Ideo & Chriſtus Dominus docuit nos ſimul, & immediatè orare, vt ſanctificetur Nomen ſuum, & adueniret Regnum ſuum; ſanctimonia enim, & magnificentia in ſanctificatione eius; regnanteſque cum Deo Deum magnificamus, & nomen ipſius ſanctificantes, ſanctificamur, & glorificantes ipſum, glorificamur, ſicut ille dixit, glorificantes me, glorificabo eos. Igitur ſoror mea, ſi ſalus tua, bonum tuum, tota beatitudo tua in eo conſiſtit, vt Deum tuum ſanctifices, laudes, adores, diligas ex toto corde tuo, & in æternum eum glorifices; dum petis ab ipſo ſalutem tuàm, hoc eſt quod petis, vt ipſum ſcilicet laudes, diligas, & glorifices in æternum, ergo non aliud petis, quàm gloriam Dei, dum petis ſalutem

tuam?

tuam? Si autem petendo ſalutem tuam, petis gloriam Dei, quid facilius, quid certius ſperari, & obtineri poteſt, & decet à Deo, quàm gloria ſua? Num putas contemnet Deus gloriam ſuam? Num fortè indiget ſapientia, num potentia, num bonitate, vt neſciat aut non poſſit, aut nolit adimplere deſiderium tuum, & deſiderium ſuum circa id quod ſimul eſt ſalus tua, & gloria ſua? Vide igitur in quàm bono theſauro recondita eſt ſalus tua, fælicitas tua, gloria, & honor tuus, ſcilicet in ipſomet theſauro in quo recondita eſt gloria Dei. In vno enim, & eodem Homine Ieſu gloria Dei, & gloria hominis ſimul connectitur, & coniungitur: in vno, & eodem Homine, Deus ab homine, & homo ab ipſo Deo glorificatur, ò verè lapis angularis, qui facis vtraque vnum, ò verus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus! Omnia quæ feciſti nobis Domine in vero iudicio feciſti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus, ſed da gloriam nomini tuo, & fac nobiſcum ſecundùm miſericordiam tuam. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, canebat Dauid, verùm dum gloriam Dei petebat, non ſuam, in nomine ipſius inuenit & gloriam Dei, & ſuam, vnde & canebat, lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur. In vno, & eodem nomine Ieſu, ad portam templi, quæ dicebatur ſpecioſa, & claudus ſanatus eſt, & Filius Dei glorificatus eſt. Hoc eſt nomen, & non eſt aliud nobis ſub cœlo datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri, o quàm bonus negotiator fuiſti, Chriſte Ieſu, & ſalutis meæ, & gloriæ tuæ! Dedit enim ſe Eleazarus hic noſter, vt liberaret populum, & acquireret ſibi nomen æternum. Hinc eſt, quod nunquam negatur, quidquid ad ſalutem in nomine iſto poſtulatur, eſt enim Nomen hoc, & nobis ſalutiferum, & Deo glorioſum; eſt oleum effuſum, & diffuſum, attingens à fine vſque ad finem, fortiter, ſuauiterque diſponens omnia. Sed vide ſoror mea, quamuis hoc verum ſit, quod cum petis in iſto nomine à Chriſto Domino ſalutem tuam, ſimul etiam petis gloriam ſuam, cum qua tam benè coniungitur, tamen vt quod iuſtum eſt, iuſtè cuſtodias, & rectè petas, quod rectum eſt, vide ne petas gloriam ſuam propter ſalutem tuam, ſed pete ſalutem tuam propter gloriam ſuam, ita vt totus amor tuus, totum deſiderium tuum ſit gloriæ ipſius, hanc tantum

Digitized by Google

reſpicias, hanc intendas, cui penitus oblita, & non amplius mutentur in diuerſa vultus tui, vnicus ſit reſpectus tuus ad vnicum honorem, ad vnicam gloriam Domini tui, bonum ſit tibi ſic cum vno oculo in vitam, & gaudium intrare Domini tui. In hoc vno enim oculorum tuorum vulnerabis cor illius, auferes, prædaberis, & poſſidendo cor eius, poſſidebis theſaurum eius, theſaurum tuum. Nullus eſt tam diligens pro ſe negotiator, crede mihi, ſoror mea, quam qui ſe negligit propter Chriſtum, nullus eſt pro ſe magis ſollicitus, quam qui omnem ſollicitudinem ſui proijcit in Chriſtum. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Conſidera lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant neque nent, & Dominus ſic veſtit illa, vt nec Salomon in omni gloria ſua coopertus ſit, ſicut vnum ex iſtis. Sic igitur ſatage ſoror mea; & caue ne vnquam dicas ſi negligens ſum in petendo, in quærendo, in pulſando, in me tantùm peccabo, mihi nequam ero, mihi ipſi ſolummodò damnum inferam, ſiquidem non petens, non accipiam, non quærens, non inueniam, & non pulſanti, non aperietur. Nam quod facis in damnum tuum, & contra ſalutem tuam, id ipſum facis etiam contra gloriam, & contra honorem Dei ipſius, qui in nobis, & à nobis tunc glorificatur, dum exaudit petitiones cordis noſtri, vndè & inuitat nos ad petendum, Inuoca me in die tribulationis, eruã te, & honorificabis me. Diſce tuam æſtimare ſalutem non propter te, ſed propter gloriam Dei, diſce æſtimare te, non ex te, ſed ex Deo, et ſcias quod ſi cadis, ſi ſtas, Domino tuo ſtas, aut cadis, nemo enim ſibi viuit, & nemo ſibi moritur; vndè & S. Dauid compungebatur corde, dum peccato ſuo ipſum Deum ſe offendiſſe recogitabat, inquiens, tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Diſce ſperare à Deo quidquid petis, et expedit ſaluti tuæ, quia hoc ipſum expedit gloriæ Dei: communis agitur cauſa; & ideo dic confidenter Deo tuo, exurge Domine, & iudica cauſam tuam; cauſa enim tua eſt, ò Domine ſaluare peccatores, ſiquidem, et propter hanc cauſam crucifixus es, & poſuerunt, inquit Euangeliſta, cauſam ipſius ſcriptam, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum; quia enim voluiſti eſſe Ieſus, id eſt Saluator peccatorum, ideo carnem ſumere, & crucem ſubire voluiſti: cauſam igitur tuam agis, dum ſaluas nos, et conuertitur ſalus noſtra in gloriam tuam, & gloria tua redundat in ſalutem noſtram, quod etiam

Digitized by Google

tu ipſe dixiſti, inquiens, ſeruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor. Accinge te igitur alacriter, et fortiter ad opus ſalutis tuæ, certa viriliter certamen virtutum, in agone contende, in ſtadio curre cum omni fiducia ad brauium ſupernæ remunerationis; quid trepidas? Currit tecum ipſe Deus ad gloriam ſuam, dum tu curris ad ſalutem tuam. Nonne vides ſi fortè in ſtadio filius Regis, ſeu ipſe Rex currat, ſeu in agone contendat, quomodo omnium vota, et communis fauor illum proſequatur? Omnis populus acclamat, et præſto ſunt illi, quæcumque præſidia, et auxilia ſtrenuum pugilem, ſeu curſorem reddere poſſunt? Circumſpice teipſam, ſoror mea, in hoc ſpectaculo non minus ornatam, et præſidijs inſtructã, à Deo, Angelis, et hominibus, qui quanto vehementius Dei gloriam, laudem, et honorem exoptant, tanto magis timent mortem tuam, ſciunt enim, quod mortui non laudabunt Dominum, neque omnes qui deſcendunt in infernum, ſed nos, qui viuimus benedicimus Domino, et Nomini eius, non nobis ipſis damus gloriam; ponentes coronas noſtras ante pedes Domini Dei noſtri, reportantes nos quidem ex pugna, et victoria ſalutem, et pacem, ſoli autem Deo referentes gloriã, et honorem: quod certè non eſſet, niſi idem ipſe Deus nobiſcum pugnaret, et vinceret in nobis. Nam ſi Dominus glorioſè magnificatus eſt, ideo eſt, quia equum, et aſcenſorem proiecit in mare: non eſt gloria ſine victoria, nec victoria ſine certamine. Si Dauid contra Goliam in prælio non ſtetiſſet, et viciſſet, populus pace recepta gloriam, et laudem etiam cum opprobrio Saul illi non dediſſet. Ex hoc igitur quod gloria Dei eſt victoria noſtra, intellige ſoror mea fælicitatem tuam, ipſe pugnat in te: dixit enim Moyſi, vos tacebitis, & Dominus pugnabit pro nobis; ipſe tibi à dextris eſt, ne commouearis, ipſe tibi auxiliator, immò ipſe auxiliatur ſibi, dum enim promouet bonum tuum, promouet et gloriam ſuam, et brachium, inquit, meum, auxiliatum eſt mihi. Noli iam amplius turbari, dicens, Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me: nam potes in hoc multo magis te conſolari, dicens, tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum. Profectò ſi te ex te metiris, nihil eſt te infirmius; non eſt quod armentur inimici tui contra te; ſatisfacta es tu ipſa tibi metipſi grauis, tuoque metipſa pondere ad ima tendis, et ruis, quia terra es; et quia omnis caro fœnum,

citò exardeſcit ignis in te; et quia puluis es, folium, et ſtipula ſicca, ideo à quolibet vento raperis; ſed ſi innitaris Deo tuo, ſi illum induis, ſi cum illo graderis, quis te fortior? Certè et eris immaculata cum illo, et obſeruabis te ab iniquitate tua; in illo eripieris à tentatione, et in Deo tuo transgredieris murum; tunc ſtabilis eris, et non timebis, requieſces, et non erit qui te exterreat, et cum putaueris te conſumptam orieris vt Lucifer: nam etſi non ita tecum vnitus ſit Chriſtus Ieſus, ſicut eſt cum humanitate ſua ſanctiſſima, quam aſſumpſit; ita tamen vnum quid tecum eſt, ſicut eſt vnum quid vitis cum palmite, caput cum membris, vnde ſicut ex vnione illa arcana, et præſtantiſſima tam immenſa dona gratiæ, & gloriæ conſequuta eſt humanitas illa Chriſti Domini, certè, et ſi non parem, eximiam tamen gratiam, et gloriam ex vnione iſta Chriſti nobiſcum conſequimur. Communicat ſiquidem vitis palmitibus virtutem ſuam, et caput cæteris membris partitur influxum, et communis eſt inuicem omnibus gloria ſingulorum. Surge igitur, et illuminare, ſoror mea, quando venit lumen tuum, et gloria Domini ſuper te orta eſt, propè magis, quàm ſuper Angelos, quorum ſemẽ non apprehendit. Dic cum Paulo, libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti, virtus ſiquidem artificis eo magis commendatur, eo glorioſior apparet, quo infirmiori, ac rudiori vtitur inſtrumento ad perficienda opera præſtantiora; vnde et ait idem Apoſtolus, quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret; vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius, ſed qui gloriatur in Domino glorietur.

* * *

THESAV-

THESAVRVS XXVI.

Chriſtus Iudex.

AD vocem hanc Chriſti Iudicis ecce ſtatim ambæ tibi tinniunt aures, & contremiſcunt omnia oſſa tua; turbata es, ſoror mea, & loqui non potes: nihil tibi hoc nomine terribilius eſt à quo magis timeas, quàm à iudicijs illius. Non locus hic, non tempus tibi videtur, quærendi theſauros, quando areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, & ipſis cœlorum virtutibus ſe commouentibus ad montes confugere, & tranſmigrare properè monemur vt ipſi abſcondant, & cooperiant nos. O ſoror mea, quoties dixi tibi, vt in quocumque nomine Chriſti tui ſemper ſperes, & confidas? Deus enim adiutor noſter in æternum, reſponde timoribus iſtis tuis nocturnis, in Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ tranſmigra in montem ſicut paſſer? quid putas? Chriſtus tuus, ſoror mea, eſt magnum quoddam, & primum principium, in quo vno ſimul continentur plura, & magna principia, ex quibus multa iam præmiſimus, ſuppoſuimus, & expoſuimus, ſcilicet quod merita ipſius infinita, & merita Matris eius, & Sanctorum eius pro nobis ſunt, promiſit, & iurauit omnia ſe daturum, quæ in nomine ſuo petetemus, quod cum ſeipſo omnia nobis donauit, quod illi ſuperflua ſunt ea omnia, quibus nos indigemus, quod eſt Pater noſter, & frater & amicus, & ſponſus, et quod venit nobis miniſtrare; et quid plura? Habemus etiam firmiſſimum, & infallibile fidei principium, & dogma quod propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: & Homo factus eſt, crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus et ſepultus eſt, reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotẽtis. Quam bene igitur ex his præmiſſis, & antecedentibus ſequitur et iſtud conſequens. Quod etiam propter nos homines, et propter noſtram ſalutem, inde venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis? Et

Et quemnam potteras, ſoror mea, libentiùs, ſecuriùs, & fiducialiùs expectare iudicem, quam illum, qui ſe tibi priùs exhibet, et offert Saluatorem, Redemptorem, fratrem, amicum, Patrem, & omnia tibi pollicetur quæcumque petere volueris? O bone Ieſu, ſis mihi nunc Ieſus, ſis mihi nunc Saluator, ſis mihi nunc Redemptor, Frater, Pater, Amicus, da mihi omnem ſanctitatem, quam poſtulo, libera me ab omni peccato, et ab omni malo, quod peto, tunc ab auditione mala non timebo, ſed auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, et exultabunt oſſa humiliata, quando exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie Domini, quia venit, quoniam venit iudicare terram. O quantum gaudere nos oportet, dulciſſime Ieſu, quod tu ſis conſtitutus à Deo Iudex noſter, qui etiam factus es nobis à Deo ſapientia, et iuſtitia, et ſanctificatio, & redēptio? Si igitur tu Domine es iuſtitia mea, et ſanctificatio mea, redemptio mea, iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, et ſecundum innocentiam meam ſuper me, quamuis enim, ſi intres in iudicio cum ſeruo tuo, Domine, non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: ſi tamen ſeruus tuus intrat in iuſtitiam tuam cum te Domino ſuo, ſecurus, & fiducialiter tibi dicere poterit: In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me. Non ſim ego ex illis de quibus ſcriptum eſt: Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam, ſed quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius, ſed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam, cum confuſi, & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

O quantum tibi debemus Pater noſter, eo quod omne iudicium dederis Filio, cum tu Pater non iudices quemquam, ſiquidem ei dediſti iudicium noſtrum facere, quem etiam feciſti iuſtitiam noſtram, ſanctificationem noſtram, & redemptionem noſtram, ò quàm benignè feciſti nobiſcum, quando exaudiſti voces ſerui tui Dauid dicentis: Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iuſtitia, et pauperes tuos in iudicio, ſiquidem orta eſt in diebus eius iuſtitia, et abundantia pacis; miſericordia, et veritas obuiauerunt ſibi; iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Verè in hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, verè amputaſti, ò bone Ieſu

ſu

ſu opprobrijs tuis opprobrium noſtrum, quod ſuſpicati ſumus, quia iudicia tua iucunda. Non ſolùm igitur ſoror mea, non eſt cur fugiamus à facie Chriſti Iudicis, ſed etiam volo, vt faciem eius præoccupemus, et occurramus illi, dicentes, vocem meam audi ſecundùm miſericordiam tuam Domine, et ſecundum iudicium tuum viuifica me; miſericordiæ tuæ multæ Domine, ſecundùm iudicium tuum viuifica me. Iudica iudicium meum, et redime me, propter eloquium tuum viuifica me. Adeò enim ſuperexaltauit miſericordia Dei iudicium Dei, vt etiam in ipſius iudicio, fiduciam habere poſſimus. Vt autem fiduciam hanç in Chriſto Iudice facilius concipere poſſis, ſoror mea, noli cogitare Chriſtum ſolummodo eſſe Iudicem mortuorum; tunc enim iuſtè formido illius terret peccatores, quando non amplius ſe Chriſtus exhibet Iudicem, vt corripiat, emendet, à peccatis auertat, & ad bonum conuertat peccatores, ſed ſolùm vt dignam pœnam retribuat, quam pro peccatis ſuis iuſtè mærentur, iudicans tantummodò nos ex ijs, quæ fecimus nos; ſed meminiſſe debes, ſoror mea, quod Chriſtus Dominus in hoc mortuus eſt, & reſurrexit, vt et viuorum, et mortuorum dominetur, & ipſe eſt qui cõſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum, et mortuorũ. Itaque etiam nunc dum viuimus, exercet iudicium ſuum Iudex Chriſtus, tam erga iuſtos, quàm erga peccatores. Verùm hoc eſt diſcrimen inter iudicium huius temporis, et futuri, quod in futuro iudicio poſt mortem, iudicabit tantùm Dominus ad hoc, vt tam iuſtis, quàm peccatoribus vtriſque reddat ſuorum ſtipendia meritorum. Nunc autem omnes, qui viuimus, ſiue iuſti, ſiue peccatores, dum iudicamur, a Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. O quàm bonus, et ſuauis eſt Domine, ſpiritus tuus in omnibus! Ideòque eos, qui exerrant partibus, corripis: et de quibus peccant admones, et alloqueris, vt relicta malitia, credant in te Domine. Virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt; & ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus parcere facis. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, et cum magna reuerentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi cum volueris poſſe. Docuiſti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iuſtum eſſe, et humanum, et bonæ ſpei feciſti filios tuos, quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos ſeruorum tuorum, et debitos

morti

morti cum tanta cruciaſti attentione, dans tempus, et locum; per quæ poſſint mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos, quorum parentibus iuramenta, et conuentiones dediſti bonarum promiſſionum? Cum ergo das nobis diſciplinam, inimicos noſtros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus, iudicantes: et cùm de nobis iudicatur ſperemus miſericordiam tuam. Ecce, ſoror mea, non ego, ſed Spiritus Sanctus, qui loquutus eſt per Prophetas, deſcripſit tibi quàm bonum Iudicem nunc habes. Adeamus ergo cum fiducia non ſolùm ad Thronum gratię, ſed etiam ad Thronum iuſtitiæ Ieſu Chriſti Domini noſtri, vt ex vtroque throno miſericordiam conſequamur, et gratiam in auxilio opportuno, quandoquidem miſericordia, et veritas præcedũt faciem tuam, iuſtitia, et iudicium præparatio ſedis tuæ. Si enim Deus pro nobis, quis erit Deus Iudex contra nos? Immò potiùs ſi Deus pro nobis, et Deus Iudex eſt, pro nobis Deus Iudex eſt. Etenim quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum? Ad tribunal igitur Chriſti noſtri etiam Iudicis noſtri accedamus, et recurramus. Crede mihi ſoror mea, non theſaurizabis tibi iram in die irę, ſed inuenies etiam in hoc tribunali pro tuis omnibus indigentijs, et neceſſitatibus promptum, et paratum quidquid vnquam potes deſiderare. Euge, bone Ieſu, non ſolùm mihi in vitæ termino, ſed etiam in via Iudex conſtitutus, nec tantùm in decernenda pœna, vel corona in die mortis mihi adfuturus, ſed etiam nunc in ipſo prælio, & in ipſo certaminis labore, et periculo ad me tuendum, et cuſtodiendum intentus, ne fortè ſupplanter, aut defraudet bonis inæſtimabilibus, quos prætioſo ſanguine tuo mihi comparaſti. Te nunc, viuens, interpello, cognoſce nunc, et diſcerne cauſam meam, ſcito me nunc ante tribunal tuum, oro ipſe, et peto, vt iudicium tuum de ore tuo, & de vultu tuo prodeat. Si tibi Domine Deus meus poteſtas data eſt, et imperium, vt reddas vnicuique ſecundum opera ſua, & ſecundùm hanc legem debes modò me iuſtè iudicare, non abnuo, non recuſo, liber ſcriptus proferatur, in quo totum, quod meum eſt continetur, inuenies proculdubio in rem meam, et in cenſum meum adnotata, non ſolùm quæ ego feci, quæcumque tandem illa ſint, ſed etiam ea quæ tu Deus meus pro me feciſti, et pro me pertuliſti in corpore tuo, et in anima tua labores, & dolores,

flagella,

Digitized by Google

flagella, & ſpinas, Crucem, et mortem: ſecundùm igitur hæc omnia Domine, quæ mihi donaſti, et quorum me creditorem conſtituiſti, non dico, noli me condemnare, neque noli me iudicare, ſed inſto, & peto, vt velis me iudicare, & retribuas mihi ſecundùm quod meruerunt mihi vita tua ſanctiſſima, Paſſio amariſſima, mors crudeliſſima; & ſecundum multitudinem meritorum tuorum, quæ iam feciſti mea, retribuas in ſinum meum menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem; ſi enim eadem menſura qua menſi fuerimus, remetietur nobis, vide Domine, quàm bonam menſuram meritorum tibi offero propter quæ remetiaris mihi, omne bonum, quod à te peto; tu Domine, qui merita ſeruorum tuorum tam largè, profuſèque remuneras, ne ſis nobis meritorum tuorum parcus remunerator. Verum ſi præterea in ſocietatem operum, & meritorum Sanctiſſimæ Matris tuæ, & omnium Sanctorum tuorum me vocaſti, & ſacrorum omnium tuorum participem me feciſti, communionis huius, & ſocietatis lucra, & emolumenta te æſtimare æquum eſt iuſte Iudex, & cuique ex ſocijs ea diuidere, & partem dare, quæcumque illa ſit, præſertim petentibus, & exigentibus. Funes profectò cadent tibi in præclaris, ſoror mea, & hæreditas tua præclara erit tibi, & ditabit te, locupletabit, et ſatiabit te, cum quæcumque portio ea ſit, portio tua Deùs ſit. Præterea, nonne ſpectat etiam ad iuſtum Iudicem, vt pacta ſeruentur, vt ſtetur promiſſis, ne fides publica lædatur, ne iuſiurandum violetur? Recordare quæſo, ò bone Iudex, quod tu idem ipſe es, qui iuraſti, non ſemel, ſed pluries, & promulgaſti daturum te mihi quidquid in nomine tuo à Patre tuo orando peterem, tantum igitur, (ſi pati vim potes) compelle, & coge te ipſum ad mihi dandum, quantum peto, vt mihi des; etſi omnia à te peto ſecundum eadem ipſa verba, quæ tu ipſe docuiſti me. & in publicum memoriale redegiſti, iuſtum omnino erit, vt omnia mihi poſtulata concedas: Sed procedamus in iudicio, non iudicis etiam eſt conſeruare, & manutenere ciues in poſſeſſione eorum, quæ ſemel iuſtè acceperunt, vel certè tradita illis, aut donata fuerunt? O bone Ieſu, qui temetipſum mihi ſemel donaſti, & tradidiſti, & omnia bona tua pariter tecum dediſti; ſi partem iuſti Iudicis, & nomen ſumis, quanto cum lucro meo, quanto cum bono meo, hoc facis? Quomodo

modo enim teipſum, & omnia bona tua, mihi petenti, & volenti, negare iam potes, ſi mihi teipſum, & tua omnia tecum iam donaſti mihi? Quomodo teipſo ſpoliari me vnquam pati poteris, & bonis priuari meis, ſi poteſtas iudicij, apud teipſum eſt, præſertim cum is, qui impedire poſſeſſionem meam, vel deturbare, & repellere me de ea conatur, hoſtis ſit, fur, & latro, qui mihi vim facit, moleſtias ingerit, & inſidias tendit die, ac nocte? Sed non eſt poſtrema etiam Iudicis cura, vt ea quæ alteri vſui eſſe poſſunt, et alteri ſuperſunt, non pereant, vt ius illud ſeruetur, quod vni prodeſt, & alteri non nocet, id omnino agatur; eia ò bone Ieſu, ex abundantia, quæ eſt in turribus tuis, & vbertate, & ſuperfluentia, quę eſt in domo Patris tui, iudica nunc, ſi æquum ſit ſubleuare inopiam meam, & miſeriam meam, & agere mecum quod mihi prodeſt, et tibi non nocet; immo quod prodeſt mihi, et prodeſt tibi, cùm indigentia mea, tui ipſius indigentia ſit, qui concorporeus factus es mihi, vt quod mihi datur, tibi dari, & quod mihi negatur, tibi negari fatearis: quomodo non dico iuſtum, ſed poſſibile erit, vt potiùs in teipſum ſis quodammodo immiſericors, quàm erga me iuſtus, æquus, & liberalis? Iudica etiam Domine ſi ex tot talentis, quæ propter me, et propter meam ſalutem accepiſti; dum aſſumpta eſt humanitas tua, et vnita diuinę Perſonæ propter nos homines, et propter noſtram ſalutem; iudica, Domine, ſi æquum eſt, vt modo pro fænore reddas mihi pro ſalute mea, quidquid pro ſalute mea poſtulauero. Quod ſi iuſtus Iudex, primùm in domo ſua bene præpoſitus eſſe debet, et iuſta iudicare; Iudica nunc rogo, ſi ſponſam bene deceat ornatam eſſe viro ſuo, ſi portio quæ filium contingit, ipſi petenti negari debeat, ſi ſeruus, qui in poteſtate eſt Domini ſui, relinqui debeat in voluntate ſua, etiamſi ipſemet petat, et oret Dominum ſuum, vt non relinquat; ſi domeſticos, & amicos prohibere æquum ſit, ne ſimul dulces cum Domino capiant cibos, & in eadem rerum omnium communione cum conſenſu viuant? Nec potes, ò bone Ieſu, cum Iudex vniuerſorum tu ſis, militibus etiam tuis ius non dicere; et ecce ego infirmus nunc, et inermis à potenti, et forti hoſte circumdatus, qui iniuſtè inſurgit in me, vim patior, clamo, et ploro, vt vindices me, et protegas me ab hoc aduerſario meo, qui propter te, odit me, et perſequitur me;

nunquid

Digitized by Google

nunquid non exaudies me? Memini, Domine, quod aliquando comparaueris te Iudici illi, qui non timebat Deum, neque homines, qui etſi durus aliquandiu ſuſtinuit non inclinare aures ſuas viduæ clamanti, vt vindicaret ſe ab aduerſario ſuo, tandem veritus, ne in nouiſſimo veniens Vidua illa ſugillaret inclementiam & iniuſtitiam illius, ſtatuit vindicare illam. O Domine, non ego vnquam ſugillabo te, quia quæcumque facies mihi in vero, & recto iudicio facies; & tu verè Iudex ille es, qui non potes timere Deum, neque hominem; ſed tamen verba, quæ tu dixiſti in parabola illa, hæc eadem ego dicam. Audite, inquis, quid Iudex iniquitatis dicit; Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? O bone Iudex, ſcio quod patientiam hanc non habebis, ſed exurges in adiutorium mihi, & dabis mihi arma, & ſagittas, vt non præualeat in cauſa tua inimicus meus aduerſus me; ſed potius confundatur in iudicio ſuperbus, qui iniquitatem non ceſſat facere in me, & non confundar ego: paueat ille, & non paueam ego. Et ſi curant leges vt et domus, & agri, et vineæ ſarta tecta habeantur, & omnes ab illis arceantur iniuriæ, ò Iudex optime, vide atrium domus meæ, quomodo cuſtodiatur ab hoſte armato, qui immittit ſemper ſpiritus nequiores, vt totam domum deſtruat, & comburat: Vide agrum, quem tu ipſe primum beneficijs tuis, valdè bono ſemine ſeminaſti, quomodo malè germinet, & nihil oſtendat præter zizania, tantum eſt malum quod inimicus homo fecit. Vide vineam hanc, quam plantauit dextera tua, & ſæpè circumdedit, quomodo ſingularis ferus depaſtus eſt eam, et aper de ſylua exterminauit illam? tot damna, iniurias, tot inſultus non vindicabit aliquando brachium tuum, & dextera tua iudicium faciens? Et ſi iuſtus Iudex leges, quas condidit verbo, debet exemplo firmare, iam vidiſti ſoror mea, quid debeat facere iuſtus Iudex in tempore peccatorum, et malorum tuorrum, nimirùm quod ipſemet Iudex lege ſua ſanciuit, & obſeruari præcepit à nobis cum fratribus noſtris peccantibus contra nos; vt ſcilicet non reddamus malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed inſuper benefaciamus ijs, qui oderunt nos, & oremus pro perſequentibus, et calumniantibus nos, & ipſis veniam petentibus, & pœnitentibus parcamus, & dimittamus, non dico vſque ſep-

 ties,

ties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Præterea optima, & potiſſima pars Iudicis eſt punire quidem, ſed multò magis impedire delicta, cum ad hoc præſertim puniantur, vt impediantur: Ergo, ô iuſte Iudex, exerce, rogo, erga me vtrumque officium tuum, punias oro, ſed impedias exoro delicta mea. Pone nunc præcor voluntatem hanc meam in vinculis, & liga illam ſuper lignum Crucis, ſicut bonus Pater Abraham ligauit filium ſuum Iſaac ſuper ligna ſacrificij; & bonus filius ligari ſe permiſit, ne fortè inſurgens præualeret aduerſus Patrem; liga igitur ô bone Pater, & Iudex meus, manus meas, & pedes meos, ne quando & ego inſurgens præualeam aduerſus te, & irrideant me inimici mei. Vel ſi magis placet, in ipſo etiam inferno protege me, & abſconde me, dummodo eruas ex inferno inferiori (hoc eſt peccato) animam meam. Remoueatur offenſa tua, & veniant ſupplicia tua. Iuſtus es Domine, & rectum ſemper iudicium tuum, hoc vnum tamen nollem Domine, vt bonum vnquam, & iuſtum tibi videretur & quantum poſſum toto corde, totiſque viſceribus ſuppliciter peto, ne vnquam bonum tibi videatur permittere me, vt velim aliquando offendere te. Quod ſi fortè propter occulta ſapientiæ tuæ expedire iudicaueris non impedire voluntatem meam, ne poſſit velle malum, ſaltem quæſo, ne bonum tibi videatur permittere, vt quod poteſt velle malum, illud agat. Infirmitatis meæ ſit, quod poſſim malum velle, ſed poteſtatis tuæ ſit, ne vnquam velim; quandoquidem ſuperat poteſtas tua omnem infirmitatem meam. Certè Domine tu, qui numeras multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocas, admirabili ſcientia tua cognoſcis, & numerum, & grauitatem omnium peccatorum, quæ vnquam facere poſſem. Præcor Domine, corripe me, caſtiga me, ac ſi feciſſem, ea tamen conditione, & lege, vt facere illa me nunquam permittas. Eia pijſſime Domine, complaceat tibi quæſo, vt eripias me, & ne differas ſtabilire me, & confirmare me, ne amplius offendam te. O quam fœlix eſſem ſi ex nunc audire mærεor, fiat tibi ſicut vis, poſthac non peccabis, non me amplius offendes. Certè auditui meo dares gaudium, & lætitiam, & exultarent oſſa humiliata. Sed ſi adhuc expectandum mihi eſt, vt à te hoc recipiam, & adhuc culpa mea te ſum offenſurus, ô quam infœlix erit pro me hora illa, momentum illud! Vtinam placeret diuinæ pietati tuæ in æter-

nitatem

nitatem omnium tormentorum potius, quam in illud momentum me deuenire! Certè ſi tibi placet hoc mihi nunc concedere, nunc Domine fiat, acquieſco, conſentio, immò rogo, peto, obſecro, obteſtor, fiat Domine, fiat, dummodò te non offendam: præopto, prçeligo ſubdi potius per totam æternitatem, omnibus tormentis, quàm per vnicum momẽtum non ſubdi tuæ diuinæ voluntati. ſed etſi tantum malum mihi acciderit (quod abſit) neque ſic deſperabo, nec à iudicijs tuis declinabo, quia tu legem poſuiſti mihi, vt diligam etiam inimicum meum, & illi benefaciam, & ſecundùm hanc legem ad iudicium tuum confugiam, vt ſanes animam meam, quia peccaui tibi, & pro malo, quod coram te feci, reddas mihi bonum, ab ipſo malo me liberando, & conuertendo malum ipſum in bonum ſicut potes, ſicut ſcis, ſicut vis; ne vnquam vincaris à malo, ſed vincas in bono malum, ſicut nos docuiſti. O ſoror mea, ſic pete, ſic roga, ſic inſta. Denique iuſtus Iudex quotieſcumque à reo debita, & condigna, & ad pondus offertur ſatisfactio, quieſcere tunc debet, & placari ira eius; ſic ſuſpenſus eſt Aman in patibulo, & quieuit ira Regis Aſſueri. O Domine nonne iuſtum iudicabis, vt placatus fias ſuper omni malignitate, quàm oſtendis te facturum ſuper populo tuo, pro quo non Aman, ſed ipſe vnigenitus filius tuus ſuſpenſus eſt in patibulo, & factus eſt oblatio, & hoſtia ſuper omne peccatum? Tu idem ipſe vnigenite, qui in hoc mortuus es, & reſurrexiſti, vt Iudex fieres, ſi modò non es oblitus quæ facta tibi fuerunt in Hieruſalem, vide nunc, conſidera, & iudica ſi æquum hoc, & iuſtum ſit, vt in te quieſcat ira tua contra nos, quæ ſic in te exarſit pro nobis. Certè quid iudicet ſuper hoc Eccleſia Sponſa tua, audio quotidie, dum ſic multoties concinimus, Iudex crederis eſſe venturus: Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos prætioſo ſanguine redemiſti: ò illatio bona, dulcis, æqua, iuſta & ſalutaris; ſi tam magno prætio ſanguinis tui redemiſti, ergo ſubueni; nam vt ſubuenires nobis famulis tuis, tam prætioſo ſanguine redemiſti nos famulos tuos. In manus igitur tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, redemiſti me, Domine Deus veritatis. In manus tuas offero cor meum, redemiſti illud, ergo ſubueni illi, quod redemiſti, conuerte illud, & fac mecum omnino ſecundùm cor tuum. Nonne ſic ipſe petijſti à me, vt preberem

tibi

tibi cor meum? quod dignatus es petere, ne recuſes accipere, & quod accipere dignaris, ne pigeat etiam retinere, & cuſtodire, ne vnquam cadat è manibus tuis: nam etſi ſilluris clauorum perforatæ ſunt manus tuæ, foramina iſta facta ſunt, & retenta, vt recipiatur in eis cor meum, & requieſcat; non autem vt inde diffluat, & cadat, & in præceps ruat. Nunquid enim, quæ paſſus es pro me, retinere potes contra me? fateor equidem, quod vulnera tua clamant contra me, quatenus inflicta à me, ſed clamant pro me quatenus perpeſſa à te, ſic enim, ſuauiſſime Domine, etiam quod contra me factum eſt à nobis, ſubſtinuiſti, & retinere voluiſti pro nobis; ideò ne reſpicias à quibus plagatus es, ſed pro quibus vulneratus es, & ſi primum illud vindictam exigit, hoc tamen alterum multò magis miſericordiam expoſcit. Quod ſi fortè foramina iſta petræ nolint omnino recipere cor meum, confugiam tandem ad cauernam maceriæ, in qua reſidet mitiſſimum, & amabiliſſimum cor tuum, vbi abſorbebitur omnis malitia, & liqueſiet omnis durities cordis mei. Voluiſti enim aperiri lancea latus tuum, vt per illud acceſſum haberet cor meum ad cor tuum. Ingrediatur igitur anima mea in requiem ſuam, intret cor meum in cor Domini ſui, feciſti enim nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcant in te. Ecce ſoror mea, iam vides, iudicia illa Chriſti tui, à quibus adeò timebas, quàm ſit iucunda ijs, qui in illis rectè meditantur. Si hæc præcedant, poſtrema iudicia non formidabis. Non fugias modo à Chriſto Iudice dum viuis, & à verbis illius non trepidabis cum morieris. Sed adde, quod adhuc magis admirandum eſt, voluit etiam Iudex hic tuus, vti frater, & amicus tuus, tibi quoque communicare ipſam iudiciariam poteſtatem, ita vt fieri poſſis, ſi velis, Iudex cum ipſo non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum. Audi Apoſtolum dicentem: An neſcitis quoniam ſancti de hoc Mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur Mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? Quantò magis ſæcularia? & ipſemet Chriſtus ait: Amen dico vobis, quod vos, qui ſequuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius Hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim Tribus Iſrael. Nemo autem putet (vt aſſerunt Sancti Patres) duodecim tantùm Apoſtolos, tunc eſſe iudi-

ſe iudi-

ſe iudicaturos, ſicut nec duodecim ſolæ ſunt Tribus Iſrael indicandæ, alioquin Tribu Leui, quæ tertia decima eſt, iniudicata recedet; & Paulus, qui tertius-decimus eſt Apoſtolus iudicandi ſorte priuabitur, cum ipſe dicat. Neſcitis quoniã Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia? Sciendum namque eſt omnes, qui ad exemplum Apoſtolorum ſua reliquerunt omnia, & ſequuti ſunt Chriſtum, iudices cum eo venturos, ſicut etiam mortalium genus vniuerſum eſt iudicandum. Quia enim duodenario ſæpè numero ſolet in ſcripturis vniuerſitas deſignari, per duodecim Sedes Apoſtolorum, omnium vniuerſitas iudicantium, et per duodecim tribus Iſrael, vniuerſitas eorum, qui iudicandi ſunt, oſtenditur. Vide igitur ſoror mea, quomodo verè Chriſtus noſter ſe ipſum nobis, & ſecum omnia donauit, & quomodo verum ſit, quod qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & in Cœlum aſcendit etiam propter nos, & propter noſtram ſalutem, Inde venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos; Cuius Regni non erit finis.

THESAVRVS XXVII.

Donum Sancti Spiritus.

TVnc Tobias, & Pater, et Filius cogitare cœperunt de viro ſancto, qui ipſum Tobiam filium comitatus fuerat in via, poſtquam ab illo diuitias, et ſalutem receperunt, & per ſeptem dies cum gaudio epulati ſunt. Accidit & nobis ſic, ſoror mea, poſtquam tot theſauros explorauimus, poſtquam lumen recepimus, poſtquam de adoptione, & ſpe tantorum bonorum, per multos dies lætati ſumus, tandem de Auctore, de Duce, de Magiſtro cogitare cæpimus: neque enim quæ diximus, à nobiſmet ipſis accepimus. Et ecce, repente de Cœlo, Spiritus Sanctus innotuit nobis, qui & Sacramentum Regis abſcondere bonum, et opera Dei reuelare honorificum iudicauit; & poſtquam docuit nos omnia, et ſuggeſſit nobis omnia, quæcumque diuitias, & beatitudinem noſtram continent, tandem ſe ipſum nobis pro theſau-

Digitized by Google

theſauro noſtro reuelauit. O Sancte Spiritus, ecce ſoror mea & ego, ad ſonitum vocis tuæ turbati ſumus, & trementes cæcidimus ſuper terram in faciem noſtram; parce ſi de te, qui primus, & principalis noſter theſaurus es, tam ſerò loquimur, nam ſine te non ambulauimus, tu duxiſti, et reduxiſti nos, & Dux, & Comes viæ fuiſti, et non prius oſtendiſti te nobis. O Pater Pauperum, ò dator munerum, itane latere voluiſti, dum nos filij tui pauperes, & egeni, diuitias, & munera, & theſauros laborantes, et dolentes quærebamus? Cur feciſti nobis? Nonne ſi te initio theſaurum noſtrum agnouiſſemus, omnes theſauros habuiſſemus? Ecce in medio cordis noſtri, templi tui, inuenimus modò te, & ſtantem, & ſedentem, et docentem, et largientem. Sed credo ſic feciſti, vt paulatim dignitatem, et magnitudinem tam ſublimis theſauri oſtenderes, et qui theſaurus, et theſaurarius es, theſaurus ſcilicet amoris, et theſaurarius amans, vt magis igneſcerent corda noſtra in flammam tui amoris, feciſti nos per ſpeciem aliquam prius videre quàm multi, et quàm amabiles ſint theſauri, quos recondis, et aperis. O ſoror mea, vtinam tanquam puluis, ſeu ſtipula ſicca, ſemper eſſes ante faciem Spiritus Dei, vt acciperet, et conuolueret, et ferret te quocumque, quomodocumque beneplacitum eſt ei. Spiritus vbi vult ſpirat, et vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat. Nec dubium quin opportunè, & ſapienter velit, et vadat, et inſpiret, et loquatur, cum ſciat ipſe omnia tempora, & momenta, quæ Pater habet in ſua poteſtate. O ſoror mea, quàm tibi latus hic panditur diuitiarum ſinus? En cogita Deus tuus, qui ſolus eſt Deus, & Rex altiſſimus, potentiſſimus, ditiſſimus, ſanctiſſimus, quantum ipſe ex ſe & natura ſua liberalis, magnificus, beneuolus, & miſericors ſit, quod toties tibi in alijs theſauris oſtenſum eſt. Cogita nunc præterea eum quem habet apud ſe theſaurarium, et eleemoſynarium, et gratiarum præſulem, quàm ſimiliter liberalis, quàm miſericors, quàm beneuolus, et quàm amicus ſit tibi, & quod omnia ſuperat; cogita tandem, quod præſul iſte, & diſpenſator gratiarum, & donorum, dono datus eſt tibi, et venit ad te; & tu ſuſcepiſti eum, & manſionem iam apud te fecit, cum fidelis facta es. Et nunc eloquere ſi potes felicitatem tuam, ſi potens modò es comprahendere dignitatem illius? O Sancte Spiritus, fac quæſo ne errem, & ne in ſer-
mone

mone labat, dum de te loquor, valdè enim terret me quod in Euangelio lego: Si quis dixerit verbum contra Spiritum Sanctum non remittetur illi neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Et vereor ne contra te dicam, quidquid de Maieſtate tanta tua minus dignè dixero. Tua igitur mihi ſpirituali opus eſt gratia, vt recta, & rectè eloquar; & tibi, ſoror mea, eadem opus eſt, vt rectè audias, & intelligas. O donum principale, à quo omne donum, & omne datum erat ab initio, & ante ſæcula, antequam formaretur orbis, & vlla eſſet corporalis, ſiue rationalis, & ſpiritualis creatura, quæ illud ſuſciperent. Donum quod immenſi, & Aeterni Patris, & Filij donum eſt, & ſimul comparibus, & æqualibus alterutri donatoris honoribus decoratur. Donum quod cùm ſimul ſit, & dicatur Dei pignus, & nobis à Deo donetur, tanquam pignus ſui ipſius, & pro ſe ipſo, qui eſt hæreditas noſtra, & merces noſtra (ſignati eſtis, inquit Apoſtolus, Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ) quid aliud datur intelligi, niſi quod ipſe Deus ſub nomine amoris, quod peculiariter tribuitur Spiritui Sancto, inſinuatur nobis in voce, tanquam quid charius, & amabilius, & dulcius, & nobis magis ſalutare, quàm ſub quocumque alio nomine, quandoquidem pignoris ratio, & nomen in terrenis, & humanis negotijs in eo conſiſtit, vt æſtimationem rei, pro qua ponitur excedat. Donum viuum, & verum, Dei viui, & veri, & Deus viuus, & verus, replens omnia vita, & virtute, vnde rectè fons viuus dicitur, ne quid ſterile, & ſiccum cogites. Quod ſi fons viuus, ergo & aquam fundet viuam. Qui credit in me, inquit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; hoc autem dixit Saluator de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipſum: flumina quidem, non ſenſibilia, quę irrigant terram hanc ſpiniferam, & ligniferam, ſed quæ animam abluunt, & illuminant, & fœcundant. Aqua, inquit Ieſus, Samaritanæ, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam ęternam. O nouum aquæ genus, quæ viuit, & ſalit, & cum qua, ſi ipſam dignè conſeruas, etiam tu ipſe ſalis, & aſcendis in vitam æternam. Et tu videas, ſoror mea, in huius aquæ nomine diuitias tuas quando Saluatori tuo placuit ſpiritale hoc donum aquam nominare, conſidera quam benefica ſit aqua vniuerſo terrarum orbi. Nonne vides quomodo ex aqua potiſſimum, & herba, & arbores, & vni-

uerſa animantia conſiſtunt? Nonne eadem etiam eſt cauſa gemmarum, & auri, & de Cœlo deſcendens ipſa vna in ſe, vniuſque ſpeciei, multas tamen, & diuerſas efficit ſpecies, fitque alba in lilijs, rubra in roſis, cærulea in hyacinthis, & in diuerſis diuerſimodè operatur? Quamuis enim vnius ipſa naturæ ſit, efficit tamen ſpecies natura diuerſas. Sic & Spiritus Sanctus cùm ſit vnus, & idem, & indiuiſibilis, & omnia repleat, vnicuique diuidit gratiam prout vult; & quemadmodum terra per ſe ipſam arida, aquis imbuta, flores varios, & ſpecioſiſſimos germinat, ſic & anima quamuis ex ſe ipſa ſterilis, & arida ſit, ſicut terra ſine aqua, ſi tamen perfundatur pluuia illa cœleſti, quam ſegregauit Deus hæreditati ſuæ, varios pulcherrimoſque progenerat iuſtitiæ flores, cumq; ipſa ſit vniformis, multiformes tamē ad Dei nutum virtutes operatur. Vnicuique enim, inquit Apoſtolus 1. Corin. 12. manifeſtatio Spiritus datur ad vtilitatem, alijs quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno Spiritu, alij operatio virtutum, alij Prophætia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum; alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. O quàm pulcher, ò quàm multiplex eſt iſte fons viuus, hæc aqua viua in operationibus ſuis! Sed lumen etiam eſt, & dicitur ſpirituale hoc donum ſoror mea, lumen quod lumen lunę, & lumē ſolis ſeptempliciter excedit; nam quemadmodum in tenebris ſi quis antea fuiſſet, ſolem deinceps extemplo videns aſpectus corporis eius ita illuminatur, vt quæ antea non videbat, tunc perſpiciat; ſic etiam Spiritus Sanctus vbi donatur, ita homo illuſtratur, vt iam non ſolum vt homo, ſed pluſquā homo cernat: in terra quidem eſt corpus illius, ſed anima cœlos contemplatur: ibi videt, vt vidit Iſayas, Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum, & eleuatum; Videt, vt vidit Ezechiel ſedentem ſuper Cherubim; Videt, vt vidit Daniel, myriades myriadum, & millia millium. Ecce quomodo exiguus homo cernit principium, & finem mundi, & medium temporum, & Regum ſucceſſiones. Sed & Stephanus primus Martyrum, nonne vidit gloriam Dei, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei? Vidit ſiquidem non ſua virtute, ſed cùm eſſet plenus Spiritu Sancto, inquit Scriptura.

Digitized by Google

ptura. O præclarum lumen, per quod quæ nunquam didicimus, tam citò, & tam clarè videmus, per quod etiam quæ ab alijs è longinquo fiunt, ipſi coram cognoſcimus! Non adfuerat Petrus quando Ananias, & Saphira ſua bona vendiderunt, ſed benè adfuit Spiritus Sanctus, in quo vidit quid actum fuerit. Nec Eliſeus adfuit Giezi quando curationem leproſi vendidit; neque Eſaias adfuit, quod ante mille annos vidit Sion relictam ſicut tentorium in vinea, & ſicut tugurium cucumerariorum, tunc enim cum hoc Propheta dicebat, Ciuitas illa mercibus plena erat, & vario ornatu circumdata. Num non cernis ſoror mea, quomodo Spiritus Sanctus nos illuminet, & faciat videntes? Vis modo illum etiam cognoſcere Paraclitum aduocatum, & conſolatorem? O ſoror mea, quid profeciſſet nobis Chriſtum promiſiſſe nobis petentibus omnia daturum, ſi ſanctum hunc nobis non dediſſet Spiritum, qui excitaret nos, & efficeret vt petamus, & vt congruè petamus? Nos enim, quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Chriſtus adiuuat infirmitatem noſtram, & poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quot enim inutilia, quot noxia, quot importuna cupiditas noſtra citra Spiritus Sancti gubernationem poſtularet? Nonne ipſe vas electionis Paulus, ſi ſua oratio exaudita fuiſſet, ſibi proficuo carnis ſtimulo caruiſſet? Sed ipſe ſpiritus aliter pro ipſo poſtulabat, nimirum vt virtus ipſius in infirmitate perficeretur. O ſoror mea, quoties nobis videntur contra vota noſtra aliqua accidere, quæ tamen Spiritus Sancti votis ad noſtrum profectum fæliciter obſecundant? Quis Paulo, cum Romam nauigaret, vt Euangelium prædicaret, & Regiam Vrbem inſtitueret, non proſperum illi ventum, & facilem nauigationem poſtulaſſet? & tamen tunc quàm periculoſam, quàm difficilem, quàm moleſtam confecerit nauigationem quis ignorat? Iacta igitur cogitatum tuum in ſpiritum hunc, ſoror mea, & ipſe diriget vota tua, & petitiones tuas, ſiue in proſperis ſis, ſiue in aduerſis: ipſe enim eſt, qui orat pro nobis, & in nobis, ſicut oportet apud Deum, qui ſolus ſcit quæ ſunt in Deo, & qui cognoſcit ſenſum Domini, & conſiliarius illius eſt; præter illum autem, nemo eſt. Quod ſi petere, & orare quamuis tam facilè, tam proprium, & connaturale ſit miſeris, & pauperibus, citra Spiritus Sancti auxilium præſtare non poſſumus, neque enim, Ieſus, dicere, niſi in Spiritu

Digitized by Google

Sancto poſſumus, quomodo ardua, & difficilia ſine ipſo ſperabimus, aut facere nos poſſe, aut pati? Sed dicas etiam ſoror mea, ſi Aduocatus hic noſter vult nos ita iuuare in paruis, & facilioribus, quomodo non iuuabit in magnis, & difficilioribus? Vide ſi poterat Deus tuus meliorem, aut maiorem, aut efficaciorem tibi prouidere apud ſe Aduocatum, & curatorem negotiorum tuorum, quàm ipſum hunc Spiritum Sanctum, amorem ſuum? O quanta eſt vis amoris ad perſuadendum amanti quæcumque laborioſa, quæcumque difficilia, quæcumque ardua, quæcumque aſpera, quæcumq; vilia, quæcumque ſtulta alias videri poſſunt, dummodo ſint ei quem diligit proficua, & ſalutaria? Nihil iudicat, aut ad patiendum, aut ad ferendum difficile pro eo, quem amat. Et quiſnam quæſo fuit tam potens, & efficax Aduocatus pro nobis apud Deum, vt illi perſuaſerit mittere filium ſuum in ſimilitudine Carnis peccati pro nobis peccatoribus, & morti tradere crudeliſſimæ, niſi amor? Quis illum ligauit, quis ſpinis coronauit, quis flagellauit, quis fecit illum opprobriũ hominum, & abiectionem plebis, niſi Amor? O ſoror mea, quotieſcumque indiges Dei auxilio, gratia, protectione, adiutorio, accurre ad hunc Aduocatum, ad hunc Theſaurarium, æquè & Theſaurum Diuini amoris, et videbis quàm citò, quã facilè, quam liberaliter, quàm ſuperabundanter per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo omnia bona impetrabis. Huic enim, tam bono, tam potenti, tamque ſapienti Aduocato derelictus eſt pauper, & orphano ipſe datus eſt adiutor. Etenim, ſoror mea, ſi amor Dei eſt Aduocatus pro nobis apud Deum, quis apud Deum inſtabit contra nos? O Amor Dei mei, Aduocatus meus, & Pater meus, Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ, te vno contentus ſum, tu vnus mihi ſufficis, te vnũ ſuper omnia peto à te, & propter te obtinere, & poſſidere; ne vnquam mihi deneges temetipſum, qui pro omnibus meis indigentijs factus es mihi Adiutor, et Aduocatus; quandoquidem etiam tu nihil tribuis libentiùs, quàm te ipſum. Verùm, non ſolùm Spiritus Sanctus eſt Aduocatus noſter apud Deum; ſed etiam eſt Aduocatus, & lingua ipſius Dei, qui loquitur in nobis, & docet nos omnia, et ſuggerit nobis omnia, et interiùs ſuadet omnia, quæcumque filius per æterna verba dixit nobis. Niſi enim charitas Dei vrgeret nos, ſuaderet, et perſuaderet nobis quis diceret cum Paulo, quis me

ſeparabit

ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſequutio, an gladius? Quis cum Andrea, ò bona Crux diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando concupiſcenti animo præparata? Quis cum Ignatio: Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatæ; ignis, Crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, & tota tormẽta diaboli in me veniant, tantùm vt Chriſto fruar? Hic ſcilicet vnus Spiritus eſt, qui dum in graues, & multas tribulationes incidimus, tunc nobis Regnum Cœlorum deſcribit, & oſtendit Paradiſum deliciarum. Hic eſt, qui Martyres, dum contumelia, & ignominia pro Chriſto afficerentur, dum ſupplicia atque tormenta, morſque ipſa imminerent, intus eos confortabat, & alloquebatur, dicens, Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis Regnum æternum; Momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ, ęternum gloriæ pondus operatur in Cœlis. Hic etiam magiſter eſt, cuius ignitum eloquium vehementer, quæ mundus odit, & non capit, tanquam dura, & difficilia, citò, & facilè docet, & perſuadet. Nonne ſæpè legis, puellam ad ſponſi thalamum iam conſtitutam effugiſſe, Spiritu Sancto de Virginitate eam ſic docente? Nonne ſæpè ſplendidus, & opulentus homo, arbitratus eſt diuitias, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret, probè ſic inſtructus à ſpiritu Sancto? Nonne iuuenis ſæpè videns pulchritudinem, compreſſit oculos, & ne amplius videret, aufugit? Tot ſunt auaritiæ, & cupiditates in Mundo, & tamen quam multi nihil eligunt poſſidere? Qua de cauſa? niſi quia eorum animos, ſic erudiuit Spiritus Sanctus? Quare ſoror mea, ſecura, & frequens accede ad hanc Cathedram tam magni Magiſtri, cuius doctrina, & ſcientia te ſublimat, & non inflat, attollit, & non extollit, nec in te naturæ aliquam aptitudinem, & facultatem prærequirit, ſed ipſamet, & captum, & intelligentiam, & habitum bonum ſimul cum doctrina largitur. Ipſi Principes terræ, Sancti Apoſtoli, nunquam magnum illud Myſterium, quod hora ſexta in Cruce conſummatum eſt, probè intellexiſſent, neque ex eo profeciſſent, niſi poſt dies quinquaginta, hora tertia Magiſter hic, & Doctor egregius de Cœlo deſcendiſſet, & in ipſorum cordibus ſedens tam mirabiliter Dei magnalia reſeraſſet, vt ipſi quoque eadem magnalia varijs

linguis

Digitized by Google

linguis eloqui, & vniuerſo Mundo poſſent referare: Tunc demum bene omnia intellexerunt, quæcumque dicta,& mandata illis fuerant. Tunc vniuerſum orbem docendo illuſtrarunt, & Chriſti fidem vbique perſuaſerunt, non in ſublimitate ſermonis, neque in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis,pro vt Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Sed qui dixit, Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, non ſolùm Apoſtolos, non ſolùm ea tempora, non ſolùm Hieroſolymam deſignauit, ſed abſque vlla diſcretione Iudæi, & Græci, Barbari, & Scythæ, ſerui, & liberi, pauperis, & diuitis, docti, & indocti vbique temporum differentia, ſiue præterita, ſiue præſentia, ſiue futura reſpicias, abſque vlla locorum limitatione, ſiue in Vrbe, ſiue in agro, ſiue in foro, ſiue in caſtris dona ſua,& chariſmata, omnibus, omni loco, & tempore pollicetur. Effuſio quippe menſuram non patitur, nec amor, qui diſtributor eſt ſcit parce largiri. Hinc vides Eccleſiam Sancti Spiritus fœcundatam ſemper germinaſſe, & protuliſſe nouos palmites, & noua poma, & proferet, & germinabit vſque in finem. Immenſus eſt hic campus, ſoror mea, nec poſſumus omnes flores ſigillatim colligere. Vidiſti Doctorem, vide modò qualis, & quantus datus tibi ſit etiam adiutor, defenſor, & protector, & Commilito, & Dux,& deſine tandem à facie inimicorum tuorum trepidare; ſed audi prius quomodo Spiritus Sanctus ſit in nobis: Non cuſtodit tantùm atrium noſtrum, non verſatur tantùm, & perambulat circa cardines cordis noſtri, ſed cadit, illabitur, & infunditur in ipſum cor noſtrum. Nam ſicut vnuſquiſque hominum in vtero matris adhuc clauſus accipit licèt occultè animam, ſic & omnis fidelis in ipſo aluo Baptiſmi, priuſquam de fonte ſurgat Spiritum Sanctum renaſcendo accipit, etiamſi Spiritus non videatur: neque enim minus eſt prouida diuina virtus, & præſtabilis in regeneratione ſacræ adoptionis, quàm ſit in natiuitate carnis ad viuificanda membra ab homine ſata, licèt ſata ſint ex delicto. Infunditur igitur & illabitur in nobis Spiritus ille, qui replet orbem terrarum; quæ proprietas ſolius Dei eſt, cum nulla creatura in aliam creaturam infundi, & illabi poſſit: ſolius enim hoc eſt diuinæ ſimpliciſſimæ,puriſſimę,& perfectiſſimæ virtutis, quæ ſola ſui operis penetratrix, occulta humani cordis ingreditur, & ideò de ſolo Deo legitur, qui

ſolus

ſolus noſcit corda hominum: Auctori tantùm debetur hoc priuilegium, quod eſt maximè rationi congruum, vt creaturæ ſolius Dei Creatoris capaces ſint, ſicut ſunt vaſa figuli ſui, ſine quo vacua omninò ſe eſſe ſentiunt. Tam intimus igitur, & adhærens, & coniunctus eſt nobis adiutor noſter, quam ſumus nos ipſi nobis, & ſicut incomprehenſibiliter anima noſtra in generatione cœpit viuificare corpus noſtrum, ita in regeneratione baptiſmatis ſpiritalis hæc virtus viuificare, illuſtrare, & ornare cœpit animas noſtras, & cùm eſſent nigræ frigidæ, & mortuæ propter peccatum, lucidæ, feruidæ per gratiam reſtitutæ ſunt ad vitam. Quàm lenis, & ſuauis, placidus, & manſuetus eſt aduentus Spiritus iſtius, non ſolùm cùm primò ingredimur in huius vitæ peregrinationem, ſed etiam cum progredimur, & egredimur, æquè enim cuſtodit introitum noſtrum, progreſſum, & egreſſum noſtrum: habet fratris, & parentis viſcera, & venit vt nos ſeruet, & ſanet, & doceat, & adhortetur, & confortet, & arguat, & corrigat, & conſoletur, & illuminet, & mundet, & roboret, & pacificet, & iuſtificet, & ſanctificet, & glorificet; O quàm diuerſus eſt aduentus Spiritus immundi, ſoror mea, ſi fortè in hominem ingredi aliquando ei permittatur. Venit tanquam ſæuiſſimus lupus ſuper ouem, paratus ad deuorandum, non ſolùm illum, in quem ingreditur, ſed quotquot illi adſtant; deprauat linguam, torquet labia, ſpumam pro verbis effundit, apertus eſt oculus, & per eum anima non videt, gemit homo tremens ante mortem miſerrimus. Talis aduentus hoſtis, & inimici noſtri, cùm Deus aliquando permittit, vt oculis carneis conſpiciatur. At Sancti Spiritus aduentus, quia Patris, & fratris, & ſponſi, & amici, & iuſti Domini aduentus eſt, ideò tam placidus, tam manſuetus, tam lenis, & benignus eſt, vt meritò de eo dicatur, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium. Nonne, quoties legis in Actibus Apoſtolorum. Cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum, & cùm cœpiſſent loqui, cecidit Spiritus Sanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio; Nonne inquam tunc occurrit tibi Iacob, qui reperto Ioſeph cecidit ſuper collum eius, vel ille Pater, qui filium è longinqua regione redeuntem cernens, miſericordia commotus eſt, & currens cecidit ſuper collum eius: ſic cadit ſuper nos, & amplexatur nos Spiritus Sanctus, confirmat, & armat, & confortat nos contra omnes hoſtes noſtros

Digitized by Google

noſtros viſibiles, & inuiſibiles. Nonne Dœmoniacus, quem modò deſcripſimus qui nec ferreis vinculis detineri à multis poteſt, ab vno exorcizante ſolis verborum præcationibus, per eamque in illo eſt, Spiritus Sancti virtute continetur, & cogitur obtemperare? Sed & contra ipſa diaboli membra nobis, fortiſſimum propugnaculum, & in omni lucta inuictiſſimum robur eſt Spiritus Sanctus. Aſpice Virginem vnam Syracuſanam quanta vi, quot machinis, de loco dimoueri eam conetur Tyrannus, & tamen ſolo Sancti Spiritus pondere fixa, ita immobilis permanet, vt nullus ſit Sampſon, nulla vis, quæ columnam hanc templi Dei non ſolùm conuellere, ſed nec leuiter dimouere poſſit? fruſtra lupanaria, fruſtra gladij, fruſtra tormenta, ſeu quælibet aliæ machinæ adhibentur, vbi adeſt virtus Spiritus Sancti. Quando Sancti Martyres in apparenti igne poſiti erant, & habebant in cordibus ſuis diuinum, & cœleſtem hunc ignem miniſtrantem, & operantem, non ſolùm intra cogitationes ipſorum, ſed etiam interdùm extra ipſos virtus illius exibat, & exteriorem ignem ita cohibebat, vt non ſolùm flamma ignis non eis noceret, ſed nec odor ignis eſſet in eis. Quid mirùm igitur, ſoror mea, ſi tanta alacritate, tanto feruore, tam frequenter iterantur ab Eccleſia voces iſtæ, Veni Sancte Spiritus, Veni Sancte Spiritus? Nonne eadem nobis adeſt fœlicitas ſi veniat Sanctus Pater, ſi veniat Sanctus Filius, ſi tota veniat Beata Trinitas? Cur igitur Eccleſia, vt veniat, ſic inuocat peculiariter Spiritum Sanctum? Quære hoc, ſoror mea, ab eodem Sancto Spiritu, qui Eccleſiam ſuam ita inſtruit, & docet. Certè, ò Sancte Spiritus, tu nunquam ſolus venis, & Filius venit, & Pater venit, quando tu venis, ſed peculiare iſtud tui deſiderium, & cupiditas, inde puto, exoritur, quia vox ſolius Amoris es. Dum Patrem, dum Filium cogito, & poteſtas, & dominium, & iudicium Maieſtatis in mentem venit, dum Spiritum Sanctum cogito, ſolùm Amorem cogito, & cum Amore omnia mihi proficua, ſalutaria, & conducibilia concipio, ſed neque ipſum Patrem, neque ipſum Filium, vt venirent inuocare poſſem, niſi per te, cùm nemo poſſit dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto. Veni igitur Sancte Spiritus, veni columba mea, pulchra, & formoſa mea, veni portans Oliuæ ramum, vnctionis, reconciliationis, & fœderis ſignum. Veni & oleo, & vnguento tuo pretioſo, ſana omnia vulnera,

omnes

omnes languores, & infirmitates, & omne malum, quod ex eſu pomi vetiti contractum eſt, Veni ad id, ad quod mitteris; ignis es: combure, ignem te præbe. Etenim Filius Dei cui dedit Pater omnia in manibus, dedit etiam poteſtatem, vt donaret te nobis Spiritum Sanctum, ſicut etiam per te Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis; nam ſic Deus dilexit Mundum, vt filium ſuum Vnigenitum daret; & propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, Filium ſuum, miſit in ſimilitudinem carnis peccati; ſi igitur per te filium habuimus, nonne æquum eſt, vt per filium te habeamus? ſi gratis, & abſque vllis noſtris meritis, Aduocante Spiritu Sancto pro nobis, filius et omnia alia cum filio nobis donata ſunt, nonne dignum, & iuſtum eſt, vt ipſo iam filio, & omnibus eius meritis pro nobis patrocinantibus, detur nobis Spiritus Sanctus? Nonne filius ipſe ad hoc datus eſt nobis, vt per ipſum nobis daretur Spiritus Sanctus? Docet hoc ipſemet filius. Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? & iterum. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis; & iterum, Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo. Sed qui promiſit omnia nos accepturos, quæ in nomine ipſius peteremus; nonne etiam promiſit nos accepturos petentes Spiritum Sanctum? ſi vos, inquit, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter Cæleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe? Vnde & Sanctus Dauid: Os meum aperui, inquit, & attraxi ſpiritum, eſt ſiquidem Spiritus ille Cœleſtis veluti aura tenuis, quæ tantummodò os aperiendo attrahitur, eſt Spiritus Sanctus veluti cor ipſius Dei, ſiquidem eſt amor Dei; vulneratur autem, & auertitur cor iſtud tam delicatum, in vno oculorum ſponſæ, & in vno crine colli eius. Verè dulciſſime Deus, non ſolùm paratum Panem de Cœlo, ſed etiam paratum de Cœlo ſpiritum præſtitiſti populo tuo ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Etenim Spiritus tuus bonus deducit nos in terram rectam, ſiquidem flamma amoris tui, amouit iam flammeum illum gladium, qui collocatus erat ante Paradiſum voluptatis ad cuſtodiendam viam ligni vitæ; vt ſicut ignis ingreſſum Paradiſi prohibebat, ita etiam ignis ingreſſum Paradiſi aperiret. O ignis, qui vrendo non lædis, ſed ſalubriter comburis, & aufers ſpinas

peccatorum, & corda illuminas: Ignis, qui amoris ignem accendis, & dum Dei amantem hominem facis, hominem Deum facis, ſi enim terram amas, vt inquit Auguſtinus, terra es, ſi Deum amas, quid dicam tibi? Deus es. Quid potes, ſoror mea, audire ſublimius? ſi enim charitas, qua diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, diligimus Deum, portio, & effectus illius charitatis eſt, qua Deus diligit nos; & hæc eſt eadem ipſa dilectio, qua Deus diligit ſe, cùm homines diligat propter ſe, non vides ſoror mea, quomodo charitas illa, infinitatem, immenſitatem, & diuinitatem tangit? Vnde etiam conſequitur, vt non ſolùm Deum, ſed etiam quidquid ipſe diligit, diligamus. Veni igitur Sancte Spiritus, et ne deneges te mihi immò ne deneges te tibi, tuiſque gemitibus, & petitionibus, quando tu idem es, qui me facis petere, et deſiderare Aduentum tuum. Exaudi voces tuas, gemitus tuos, et ſi totus amor es, quid tibi magis proprium, quam amare,& amando amorem communicare? Veni, & noli tu me contriſtare,tui non concedendo amorem, ne vnquam ego velim, nec poſſim te contriſtare aliquid amando præter te, nec propter te. Quid enim mihi maius malum contingere poteſt, quàm contriſtare te Spiritum meum? Prius derelinquat corpus meum anima mea, quam diſcedas ab anima mea tu Spiritus meus. Pone te vt ſignaculum ſupra cor meum, ſis ſigillum non ſolùm hoſtibus meis, ſed etiam mihimetipſi formidabile, ita vt violare, aut abijcere illud nunquam valeam, ſine te nihil eſt in homine, nihil eſt innòxium, nihil eſt quietum, et pacatum; Nullus eſt ordo vbi in exercitu abeſt Dux, nec vlla in Choro conſonantia vbi abeſt Chori Præfectus, qui temperet harmoniam. O ſi ego poſſem quod tu potes in me, ò qualem, et quantum Amoris tui in corde meo ignem accenderem? ſed ſcio, et certò ſcio, quod in amando me non ſolùm æquas me, ſed in infinitum excedis me, quomodo igitur non dabis vt amem te, non ſolùm quantum peto, et deſidero amare te, ſed quantùm potes mihi dare, vt amem, et diligam te, nam etiam hoc peto nunc, et deſidero, et totis viſceribus requiro à te, te ipſo Auctore, et Monitore, vt ita petam. Iterum dico, ò Sancte Spiritus, quantùm potes, tantùm da, quia tantùm cupio, tantùm oro, tantùm poſtulo te amare. Nonne Patrem rogauit Filius, vt nos vnum eſſemus, ſicut ipſe, et Pa-

ter

Digitized by Google

ter vnum ſunt? Ergo ò Sanctè Spiritus, qui huius veritatis, et auctor es, et miniſter, ſi perfectiſſimam debes operari vnitatem, ſicut illa eſt, quæ in Patre, et Filio reperitur, perfectiſſimum largiri debes amorem. Tantùm enim, quantùm mihi deerit perfectionis in amore, tantùm etiam mihi deerit perfectionis in vnitate. Quod ſi fortè aliquid eſt in ore meo, vel in corde meo, quod tibi diſpliceat, tuum munus in me præcor exerceas. Vnde iterum, et iterum dico, laua quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium; flecte quod eſt rigidum, foue quod eſt frigidum, rege quod eſt deuium, et omnibus meis peccatis indulgentiam, et veniam largire, quandoquidem tu idem ipſe remiſſio es omnium peccatorum; fiat pax in virtute tua, & abundantia fructuum tuorum in corde meo, vt reddam ſemper et vbique fructum perfectæ dilectionis, gaudij, pacis, patientiæ, benignitatis, bonitatis, longanimitatis, manſuetudinis, fidei, modeſtiæ, continentiæ, et caſtitatis; fac me puras, et incorruptas conſeruare primitias tuas, vſque in diem conſummationis, et iudicij, et qui nos modò in præſenti ſæculo, in tot promiſſis repoſitorum bonorum, quæ tanquam in ſpeculo contemplamur, adeò lætificas, et conſolaris, fac vt eadem reuelata facie in Cœlo tandem aſpicientes, et poſſidentes in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto ſimus perfectè, et in æternum lætantes. Amen.

THESAVRVS XXVIII.

Peccata noſtra.

VIdiſti iam ſoror mea, quot, et quantos theſauros habeas in Deo Patre, in Deo Filio, et in Deo Spiritu Sancto, nec non in omnibus amicis, et inimicis Dei. Sed quid dices modò, ſi etiam oſtendam domi tuæ de re tua, te habere vnde poſſis quàm maximos tibi conflare theſauros? Quanta iucunditas eſt de ſuo etiam poſſe locupletari? Non multum te detineam, quære in domo tua, quod verè tuum ſit, quod mutuo non acceperis, quod alteri, nec ipſi Deo debeatur, quod ſola ipſa feceris, id dicam eſſe theſau-

rum tuum. Turbaris, ſoror mea, hæſitas, video, et de me dubitas, neque enim aliud tibi occurrit in domo tua, quod verè tuum ſit, niſi peccatum, et iniquitas tua: hanc autem peſtem, et abominationem, inquis, qui fieri poteſt; vt theſaurum appellem? ſiſte parum, nunquam te decepi, nec modò volo te decipere, ſoror mea, ſubleuare miſeriam tuam volo, non illudere, et afflictionem augere. Non eſt opus vt ampliùs quæras, abſque lucerna ſtatim inueniſti theſaurum hunc in promptu tibi fuit; ipſa peccata tua, ipſa tua iniquitas, modò iſs vti ſcias, ampliſſimi theſauri loco tibi poſſunt deſeruire, et ex ijs immenſa tibi bona potes comparare. O Domine, audax ego ſum nimis; ſed ipſe me audacem facis, quem meruerunt peccata noſtra habere Redemptorem, et Saluatorem. Non enim theſaurus aliquis bonorum operum, quæ fecerimus nos, ſed culpa noſtra, et peccatum noſtrum theſaurizauerunt, et dederunt te nobis ſuauiſſimum Redemptorem noſtrum, cuius tanta eſt bonitas, vt non ſolùm bonum pro bono, ſed etiam bona pro malis nobis retribueris. Vnde exclamat Sponſa tua ſtupens, et gaudens; ò fœlix culpa, quæ tantùm, ac talem meruit habere Redemptorem, ò verè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! Si igitur nomen fœlicitatis, ſoror mea, ſi nomen meriti, ſi nomen neceſſitatis, potuit conuenire peccato, cur etiam non poterit competere nomen theſauri? Sed et tu ipſe, ò bone Ieſu, nonne ipſummet peccati auctorem, ipſummet peccatorem drachmæ nomine appellaſti, et vt drachmam hanc quaſi rem tibi prætioſam inuenires, accendiſti lucernã, totam domum euerriſti, et magno ſtudio adinuenta, magnoque prætio comparata, conuocatis amicis, et vicinis, Congratulamini mihi (dixiſti) quia inueni drachmam, quam perdideram? Tu, tu idem fuiſti, qui peccatore in monumento cum Lazaro quatriduano iacente, cùm ſororum naribus iam fœteret, et non fœteret tuis, aperiri monumentum iuſſiſti, et in Lazaro non quid fætidum, aut ſordidum; ſed tantùm gloriam Dei conſpici feciſti. Quando igitur peccatorem adeò diligis; vt dicant gentes: Ecce quomodo amabat eum; nonne dicendum eſt te habere etiam in peccatoribus theſauros abſconditos? Et vnde charitatem illam tuam immenſam, etiam erga peccatores, et inimicos commendare potes, ſi nullum haberes inimicum, et peccatorem? Vnde doceres nos exemplo

tuo,

tuo, et Patris tui, vt diligamus etiam inimicos; et benefaciamus iis qui oderunt nos: ſi non eſſent boni, & mali, iuſti, & ingrati, ſuper quos plueres, & ſolem tuum oriri faceres? Etenim ſatius iudicaſti Domine, etiam ipſis inimicis, & peccatoribus benefacere, quàm peccatorem, & inimicum nullum eſſe permittere: finis, vt appareat iniquitas, vt magis eluceſcat charitas; Permittis, vt videatur in terris homo peccator, vt etiã in terris videatur homo Deus, & Deus homo pro ipſo homine peccatore. Diſtricto ſiquidem iudicio, vt te, ſoror mea, docet Gregorius lib.4. in Reg.c.1. permittit Deus mala fieri, ſed miſericorditer prouidet de his malis, quę per iudicium irrogat, quæ bona facere diſponat. Nam quæ maior culpa, quã illa, qua omnes morimur? Et quæ maior bonitas, quàm illa, per quam à morte liberamur? Et quidem niſi Adam peccaret, Redemptorem noſtrum carnem ſuſcipere noſtram non oporteret: non enim venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam: ſi ergo pro peccatoribus venit, ſi peccata deeſſent, eum venire non oporteret: ſic peccata, ad quæ delenda veniſſe creditur, per iuſtitiam Dei permiſſa eſſe ſentiuntur, dum pro peccatoribus Deus homo naſciturus erat, & ex illo malo, quo morituri erant, bonum quod malum illud vinceret, omnipotens Deus ſeſe facturum prouiderat. Cuius profectò boni magnitudo, quis fidelis non videat, quàm mirabiliter excellat? Magna quippe ſunt mala, quæ per primæ culpæ meritum patimur, ſed quis electus nollet peiora perpeti, quàm tantùm Redemptorem non habere? Non mea, ſed Gregorij illius magni, verba ſunt iſta, ſoror mea. Verùm cum audis in theſauris poni etiam abyſſos peccatorum, & ingrederis theſauros iſtos niuis, & theſauros grandinis, obſerua pedem tuum, ne illaquearis, & illecta tam ſuaui eſca huius vocis theſauri, capiaris hamo peccati, quod voci tam dulci ſuppoſitum, & ſubiectum, aculeo ſuo lædit, & pungit animam, quam capit dum capitur. Propterea vide, ſoror mea, quomodo cautè ambules, ne ex hoc, quod tibi demonſtratur theſaurizari multum poſſe, noſtrorum etiam occaſione peccatorum, facilior, & promptior fias ad peccandum, aut certè reddaris non adeò diligens, feruens, & fortis ad pugnandum aduerſus peccatum. Eſt enim tam grande malum, quodcumque quantumuis minimum peccatum, vt quodcumque bonum, quantumuis maximum, inde ſequi poſſit, committi

mitti nullo modo debeat; ita vt etiamſi poſſet quis leuis prolatione mendacij vniuerſum mundum lucrari, non dico tibi, ſed Deo, & omnes ſimul animas damnatorum ex inferno liberare, nihilominus abſtinere potius deberet ab illo mendacio, cum tanti boni iactura, quàm illud proferre, etiamſi tam inæſtimabile lucrum inde conſequeretur. Minimum enim peccatum, maius affert animæ peccanti detrimentum, quàm quodlibet aliud maximum malum. Quid autem prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur, animę verò ſuæ detrimentum patiatur, aut quam commutationem dabit homo pro anima ſua? ſed etiamſi poſſibile fiat, vt in bonum ipſius etiam animæ peccantis peccatum conuertatur, & cooperetur, nullo modo faciendum eſt malum, vt veniat bonum. Non igitur oſtenditur tibi, ſoror mea, & manifeſtatur theſaurus iſte peccatorum, vt curras poſt ipſa peccata, vt diligas ea, vt pacem habeas cum illis; ſic enim non ſolùm non erunt tibi theſauri, ſed erunt latrones peſſimi, qui etiam ablatis, ſi quos habes, theſauris expoliabunt te, & plagis impoſitis relinquent te ſemiuiuam, mortuam ſcilicet Deo, viuam autem Mundo: ſed ſi fortè incideres, quod Deus auertat, in huiuſmodi latrones peſſimos, modus tibi demonſtratur, quo fieri poſſit, vt tibi cooperentur in bonum, & occaſione ipſorum requiras tibi theſauros magnos: ſcias igitur, ſoror mea, ſi fortè incidiſti, aut quod abſit, incideres in latronem hunc peſſimum, reperiri veneficum quemdam, qui adeò ſapienter incantat, vt vnde mors oritur, inde faciat vitam reſurgere; qui callet adeò perfectè artem quandam Magiæ, ſeu Alchimiæ, vt ſciat vertere malum in bonum; format lucem, & creat tenebras, facit pacem, & creat malum, ſcilicet faciens de malo bonum. Vos cogitaſti de me malum (inquit Ioſeph fratribus ſuis) ſed Deus vertit illud in bonum. Præterea ſapiens iſte veneficus, non ſolùm habet ſcientiam, & artem eruendi bonum de malo, ſed etiam adeò bonus ipſe eſt, & potens, vt nullum malum eſſe permitteret, niſi poſſet, ſciret, & vellet elicere inde maius bonum. Vlterius etiam adeò benignus, ſuauis, ac mitis eſt, & humilis corde, vt ipſis etiam inimicis ſuis, qui malum ipſi tentauerunt, ſed reuera ſibimet ipſis intulerunt, offert ſe, & paratum exhibet ad exercendam in ipſorum beneficium, & remedium, artem, & ſcientiam eruendi bonum de malo, & conuertendi malum ipſorum in bonum ipſorum.

Hinc

Hinc eſt, ſoror mea, quod ſi fortè contingat (quod abſit) vt incidas in tam grande malum, non animo deijciaris, nec deſperes, ſed ſtatim arripe opportunam illam occaſionem, & confuge ad veneficum iſtum ſapientem; repræſenta illi, & aperi malum tuum, cum dolore tuo, dic illi, vt vertat illud in bonum tuum, vt reddat tibi bonum pro malo, reuela illi viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet, et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, & deinde ſubditus eſto illi, & ora eum ne iterum offendas ad lapidem pedem tuum. Bonus iſte veneficus incantans tam ſapiēter, ſoror mea, non eſt alius, niſi Chriſtus tuus, qui idem eſt amicus tuus, frater tuus, Pater tuus, Sponſus tuus, qui tibi promiſit, & iurauit omnia facere pro ſalute tua quæcumque ab eo petieris, qui dedit etiam ſemel pro te animam ſuam. Ipſe idem eſt etiam Magiſter noſter, qui nos diſcipulos ſuos, hanc ſcientiam docuit, vt non vincamur à malo, ſed vincamus in bono malum, & exerceamus erga inimicos noſtros eamdem artem, non reddendo malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, ſed inſuper bene faciamus, & multiplicando beneficia, congeramus carbones ignis ſuper caput eorum. Non eſt autem diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec ſeruus maior domino ſuo; ſi autem videmus diſcipulos illius tam perfectè ab eo didiciſſe doctrinam hanc, vt erga ſuos inimicos, perſecutores, & crudeles tyrannos, non ſolùm ſe beneuolos, mites, benignos, & ad ignoſcendum paratos exhibuerint, ſed etiam bona pro malis retribuerint; ita vt vitam ipsā pro illorum ſalute profuderint, quid iudicabimus de Magiſtro, à quo tam altam, & ſublimem virtutem, & didicerunt, & acceperunt? Nonne charitas omnium diſcipulorum ſimul comparata cum charitate ipſius Chriſti tui, minorem proportionem habet, quam gutta aquæ cum aquis maris? Siquidem inter hæc, quamuis minima, aliqualis tamen proportio reperiretur, inter illa verò nulla omnino eſt proportio. Si igitur minima ſcintilla charitatis in homine infirmo adeò potens eſt, vt calorem ſuorum beneficiorum, ipſis etiam inimicis communicet, quid poterit, quo pertinget incendium illud immenſum, & infinitum ſupereminētis charitatis Dei? Quare vt magis (ſoror mea) cognoſcamus incomprehenſibilē hanc Dei bonitatem, dicamus de Deo, cum aureo illo ore Chryſoſtomi hom. 18. ſicut Chriſtus dixit de nobis; dixit enim Chri-

ſtus

ſtus, diligite inimicos veſtros, & poſt cætera addidit, ſi autē diligitis diligentes vos, quam mercedem habebitis? Nonne gentiles hoc faciunt? Nos ergo dicamus de Deo, ſi Deus tantùm iuſtos, & amicos ſuos exaudit, & adiuuat, quàm laudē bonitatis mæretur? Nonne & homines cum ſint mali, amicos ſuos rogantes audiunt, & beneficia eis præſtant? Vides ergo, quod Dominus, dicens, eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iniuſtos, & ingratos; bonitatem Dei voluit demonſtrare, quia tam iuſtis, quàm peccatoribus parata eſt bonitas eius. Nec enim credibile eſt, vt opus bonitatis hominibus quidem iniungat in malis conſtitutis, ipſe autem non faciat, cum ſit ſummè bonus. Hinc eſt, quod cum nos inuitaſſet ad tam bonam negotiationem cum ipſo, & ad percipiendos fructus bonitatis eius conuocaſſet, dicens; petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis, ne fortè aliqui peccatorum audientes dicerent, quod iſta facere dignos hortatur, nos autem indigni, etſi petierimus, non accipiemus, & ſi quæſiuerimus non inueniemus, & ſi pulſauerimus, non aperietur nobis. Vides quomodo eamdem clauſulam repetendo tam iuſtis, quàm peccatoribus miſericordiam Dei commendat, dicens: Omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur; omnis, ſcilicet ſiue iuſtus, ſiue peccator, tantum petere non dubitet, quærere non negligat, pulſare non ceſſet, cum conſtet neminem ſperni, niſi qui petere dubitauerit à Deo, quærere neglexerit, pulſare ceſſauerit. Hinc eſt, ſoror mea, quod Eccleſia Sancta in publicis ſupplicationibus, vt exaudiri à Deo mereamur, non vult vt obliuiſcamur peccatores nos eſſe, immò hoc ipſum eſt, quod primò nos Deo repræſentare docet dicendo. Peccatores, te rogamus audi nos, & vt ab omni malo nos liberet, vult vt ipſum obſecremus per ipſammet Crucem, & Paſſionem, & mortem, quam nos ipſi eidem intulimus, à quo per ipſa petimus ab omni malo liberari. Conſidera etiam modo ſoror mea, Regem Dauid, quidnam exigat à Deo pro peccatis ſuis, quid ſibi petat retribui pro eo, quod ipſi ſoli peccauerit, & malum fecerit coram illo. Vide quæſo quomodo Deum conueniat. Vide quo iure agat cum illo; Vide quid producat pro parte ſua, & quid exigat ex parte Dei? Producit ſiquidem pro parte ſua nihil aliud, niſi peccata

cata ſua, iniquitatem ſuam, & ſtatim perſolui ſibi petit à Deo miſericordiam ſuam, nec ad quamlibet menſuram, ſed menſuram illam exigit, magnam, plenam, confertam, ſupereffluentem, & coagitatam, non alia lege, niſi quia peccatum erat multum, & magnum, & ideo multitudinem miſerationum Dei vti conſtitutus in maiori miſeria, maiori etiam iure requirebat. Miſerere, inquit, mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me; Quare S. Dauid petis tantam multitudinem, & magnitudinem miſerationum Dei, & candorem tantum, & pulchritudinem tantam requiris? Quoniam, inquit, iniquitatem meam ego cognoſco; & quid præterea in fauorem tuum producis? Et peccatum meum, inquit, contra me eſt ſemper; Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, & iterum ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi. Ecce quomodo ex ipſis peccatis eruit fiduciam ad ſalutem. Conſidera modò Magdalenam: Dic mihi mulier immunda, quomodo cum tanta fiducia, cum tot peccatorum grauèolentium multitudine, accurris ad mundum Ieſum, & capillis tuis illum tibi deuincis, & oſcula illi tanquam ſponſo præbes? quonam iure hæc tua ſponſalia cum illo modo contrahis, quæ arrha, quæ dos, quæ munera præceſſerunt? Non aliud lego præceſſiſſe, quam peccatum, quod merè tuum eſſet, nam quæ poſtea ſequuta ſunt, Saluatoris ſcilicet cognitio, & illius tanquam Sponſi tui dilectio multa; & de peccatis tuis dolor, & lachrymæ ab ipſomet Sponſo accepiſti; ipſe enim te per miſericordiam ſuam traxit intus, qui per manſuetudinē ſuſcepit foris. Sed quid Paulus? quid nā recepit à Domino pro omnibus peccatis ſuis? fidelis, inquit, 1. ad Thim. 1. ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc Mundū peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum; ſed quid inde ò Paule conſequutus es? Sed ideo inquit, miſericordiam conſequutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi, in vitam æternam. Sed & nos ſoror mea, nonne quia peccauimus nimis cogitatione, verbo, & opere, ideò præcamur Beatam Mariam ſemper Virginem, B. Michaelem Archangelum, B. Ioannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum,

trum, & Paulum, & omnes Sanctos orare pro nobis ad Dominum Deum noſtrum? Scio Domine, quod non delectaris in peccatis, & iniquitatem abominaris, quia tamen ad opus tuum exire deſideras, & ad operationem tuam vſque ad veſperum, vt habeas materiam, circa quam mirabilius opereris, in aliquo prætio tibi eſt etiam lignum informe, & diſtortum,& quantum propenſus es ad miſericordiam,quę eſt opus tuum, tantum propenſus es erga nos miſerrimos peccatores; in his enim folijs, quæ vento rapiuntur, & in ſtipulis ſiccis oſtendis cum gaudio potentiam tuam. Nonne hoc palam oſtendiſti nobis? trahit ſua quemque voluptas; ramum viridem oſtendis oui, & trahis illam; nucem puero oſtendis, & allicis, ſpeciem aliquam boni apprehendit homo, & trahitur. Deus meus, quid tibi vnquam boni oſtenſum fuit, quod te in hunc Mundum trahere poſſet, cum tu ſis omnis bonitas, ipſa bonitas, & omnia bona in te contineas? Quid igitur te traxit de ſinu Patris à Regalibus ſedibus in ſtabulum vile inter iumenta? Homo ne iuſtus aliquis? Diſcite quidnam hoc fuerit;non veni,inquit vocare iuſtos,ſed peccatores.Vnus oſtenſus eſt homo peccator, ad quem tu Deus, qui propenſionis affectum alijs largiris, propenſionem tantam habuiſti, vt amoris pondere, quaſi preſſus inclinares cœlos, & deſcenderes; & dimittens oues nonaginta nouem in deſerto,ad hanc vnam, quæ perierat, accurreres, ad hanc diuerteres, hanc reciperes, cum hac manducares, hanc imponeres tuis humeris, pro hac liberanda, ſpinas, & tribulos, & flagella pati, Crucis tormentum ſubire, & ſanguinem, & vitam profundere non dubitares? Sic Deus nos dilexit peccatores: Quid igitur tibi videtur, ſoror mea? quam bene fecit,quod docuit Magiſter tuus? nonne reddit bonum pro malo? & quod bonum? ſcilicet,quo nullum poterat reddi maius? putaſne modò oblitum illum eſſe doctrinæ ſuæ, & operationis ſuæ? Quare ſi hodie nullâ bona tua habes, ſoror mea, quæ illi oſtendas,& quibus illum allicias ad tibi benefaciendum, oſtende illi mala tua, pro his illum exora, cum his negotiari non negligas apud eum, qui ipſorum occaſione vt vult oſtendi, etiam tibi benefacere paratus eſt; Et quia bonum nullum poteſt ſimul cum peccato copulari, & conſiſtere, ideò hoc vnum bonum primo petas tibi retribui à Domino pro omnibus peccatis tuis, ſcilicet vt te ab ipſis peccatis liberet, lauet, mundet, &

præſer-

Digitized by Google

præſeruet, vt ablatis peccatis, abundantiùs, quàm petis, poſſit pro peccatis omnia tibi bona retribuere; ſic recepit Hieruſalē duplicia à Domino Iſa. 40. pro omnibus peccatis ſuis, quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius, & reuelata eſt gloria Domini, & vidit omnis caro ſalutare Dei. Vt autem fiducialiùs hanc liberationem à peccatis à Domino petas, ſoror mea, hoc ſemper memineris, quod, ideò meruerunt peccata noſtra aduentum filij Dei in hunc Mundum, & vt Verbum Dei caro fieret, ſcilicet vt nos à peccatis ipſis liberaremur, & ideo vocatum eſt nomen eius Ieſus, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum; Quid igitur faciliùs, quid ſecuriùs à Chriſto Ieſu impetrare potes, quàm id, propter quod tibi concedendum deſcendit de Cœlis, & homo factus eſt, crucifixus, mortuus, & ſepultus? Non igitur, quia in te morbum agnoſcis, ideo timeas Medicum adire, immò ex hoc fiducialiùs ad medicum confugias, qui ad te, & propter te proceſſit de thalamo ſuo, & exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo Cœlo egreſſio eius, vt te ſcilicet à morbo iſto peccatorum liberaret; ſciebat enim, quia non eſt opus bene habentibus Medico, ſed male habentibus. O ſtultitia peccatorum peſſima, qui vnde fiduciam Medicum adeundi concipere debent, inde potiùs è contra ſumunt anſam ab ipſo fugiendi, & quem formidant offenſum peccatis ſuis, Medicum habere ipſorum peccatorum non cōfidunt! Hinc ſcriptum eſt, impius fugit nemine perſequente. Mirùm id quidem eſt, quod aliquis fugiat, dum nullus eſt, qui perſequitur; ſed multo magis admirandum eſt, quod impius fugiat non ſolùm nemine perſequente, ſed Deo ipſo inuitante, & poſt ipſum currente, miſericordiam offerente, medicinam exhibente, & ab impietate, & iniquitate ſua ipſum ſaluare cupiente, immò etiam promittente, & iurante omnia ſe daturum quæcumque pro ſua ſalute, & æterna fœlicitate, ab ipſo petere non recuſauerit. Quid igitur, peccator ad Deum accedere expaueſcis, qui te ad ſaluandum ſequitur, & non times fugere eum, quem fugiendo in tui perditionem velis, nolis inuenies? Terrent te fortè voces illæ, quas audis, iræ, furoris, vltionis, & vindictæ? Voces iſtæ, Dei voces non ſunt, ſed benè voces ipſiuſmet peccati ſunt, quandiu tu taces, & pro peccato tuo non clamas, nec deprecaris. Quoniam tacui (inquit S. Dauid) inueterauerunt

runt oſſa mea, dum clamarē tota die; Clamat enim peccatum noſtrum contra nos ſemper, dum nos tacemus, & non clamamus pro illo. Vox, inquit, ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Statim enim peccatum ac patratum eſt, iudex idem in peccatorem conſtituitur, qui ſententiam in illum promit, & vltricibus pœnis ſecundum præſentem iuſtitiam illum addicit; ſed ſi peccator reclamet, & ab illius ſententia, & iudicio, ad Chriſti Saluatoris, & Redemptoris tribunal appellet, ò qualem vindictam, ò quam præclaram vltionem recipiet à Chriſto Iudice peccatorum ſuorum? Ecce, inquit Iſaias, veniet Dominus vltionis, & quid faciet? adducet, inquit, retributionem; & quænam erit iſta retributio? ipſe veniet, & ſaluabit nos. Propitius fuiſti eis, inquit Dauid; quomodo propitius? vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. Iſtæ ſunt iræ, & nutus ſponſi tui, ò ſoror mea, & vindictæ Deo dignæ. O ſemper mihi dilectus, & ſemper mihi Diligendus Deus meus, qui ex bono ſemine, quod ipſe ſeminas in agro meo, fructus me facis bonos colligere, & ex malo etiam ſemine, quod ego ipſe inimicus homo ſuperſemino, fructus etiā bonos, & vtiles mihi retribuis? Iam intelligo quare non ſtatim eradicetur ſuperſeminata zizania, quia tu ſcilicet cæleſtis agricola adeò bonus, & potens es, vt tua cultura, & arte colligas etiam ex zizanijs frumentum, & de ſpinis vuas, & de tribulis ficus: Tu tamen, ſoror mea, caue ne vnquam oculus tuus nequam ſit, quia Dominus tuus bonus eſt, & ne occaſionem dormitandi ſumas, quia non dormitat, neque dormit, qui cuſtodit Iſrael: quamuis enim niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem, fruſtra vigilet, qui cuſtodit eam, tamen verùm etiam eſt, quod oportet nos quoque vigilare, & orare ne intremus in tentationem. Crede mihi, ſoror mea, neque orationes Sanctorum omnium, & Angelorum, neque orationes Beatiſſimæ Virginis Mariæ Genitricis Dei, neque præces, & ſupplicationes cum lachrymis, quas pro te obtulit ipſemet Filius Dei Redēptor tuus ſaluabunt te, niſi tu ipſa quoq; oraueris pro te. Mauult enim Deus (inquit Chryſoſtomus ho. 53. in c. 16. Matth.) noſtrā, qui rei ſumus, quàm aliorum pro nobis orationē. Nullus, crede mihi ex tot theſauris, quos hactenus demonſtraui tibi, nullus eſt inquam, qui tibi poſſit ad ſalutem ſine oratione prodeſſe. Quid enim merita Chriſti infinita tibi proderunt, niſi deprecando per illa ſtudeas impetrare, quæ tuæ

ſaluti

ſaluti ſunt neceſſaria? Quid merita, & interceſſio Mariæ, & omnium Sanctorum adiuuabunt, ſi te per illa non poſtulaueris? Quid ſacrificia iuuabunt, ſi nihil ſalutiferum per ea à Deo obtinere ſtudueris? Quid promiſſio Chriſti iurata, qua ſe obſtrinxit ad dandum omnia, quæ petis? Quid eiuſdem donatio, ſi quod tibi donatum eſt, & tuum eſt, non vis accipere? oratio ſiquidem eſt veluti manus, qua recipiuntur à Deo dona ipſius, & ipſamet Deum ad nos trahimus, dum nos trahimur ad Deum; ſed quam vtilitatem, quem fructum percipies ex eo, quod Chriſtus Frater, Sponſus, Amicus, Pater, Magiſter, & Dominus ſit, ſi media oratione, conuerſatio tua cum illo non eſt, neque tu audis loquentē illum ad cor tuum, neque ille te loquentem ad cor ſuum? Verùm dic mihi nunquid aliquid tibi proficuum, aut bonum poteſt eſſe ſine Deo? Nonne audis quod illi ſoli adhærere bonum eſt? at quomodo potes Deo tuo adhærere ſine adhæſione? ſi autem non potes adhærere ſine adhæſione, certè neque ſine oratione. Oratio enim eſt glutinum, eſt vnio mentis cum Deo; ſiquidem eſt eleuatio mentis in Deum, qui autem adhæret Domino vnus ſpiritus eſt: ſi igitur non oraueris, ſoror mea, ad nihilum tibi valebeunt theſauri omnes, ſed & ipſemet Deus, quāuis bonus ſemper, & optimus ſit, tibi tamen non eſt, niſi illi adhæreas; & coniungaris, & vniaris orando, ſed quod magis præcauendum eſt, non ſolùm niſi oraueris, nihil tibi proderunt omnes iſti theſauri, ſed inſuper in maximum iudicium, & condemnationem conuertentur, & inde theſaurizabis tibi iram in die iræ, vnde potueras, & debueras theſaurizare tibi theſauros miſericordiæ non deficientes in Cœlo. Quare vide ne in vacuum gratiam Dei recipias, ne deſis gratiæ Dei, ne acceptis tot tantiſque theſauris talentorum, abiens fodias in terram, & abſcondas pecuniam Domini tui, à quo deinde audias verbum illud aſperum, Eijcite ſeruum inutilem in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dentium. Angeris, video, dum hæc audis, ſoror mea, peccatrix, animo conſternata deijceris, triſtitia implet cor tuum, & vnde, inquis, confidere, & ſperare, & obtinere potero conſtantiam hanc; & perſeuerantiam in orando? Non turbetur cor tuum, neque formidet, ſoror mea, nonne in theſauris tuis habes promiſſionem, & iuramentum Chriſti tui, quòd omnia quæcumque in nomine ipſius petieris Patrem, accipies? Pete igitur, &

hoc,

Digitized by Google

hoc, vt te in oratione faciat conſtanter vſque in finẽ perſeuerare; Nonne & hoc poſitum eſt à Chriſto tuo in memoriali ſuo, dum in eo dicitur, Libera nos à malo? & quodnam aliud malum maius eſſe poteſt, quàm ſeparari à Deo ſuo, & ab eo recedere, negligendo orationem, per quam ad Deum accedimus, & cum eo vnimur? Quomodo igitur negabit petentibus, quod ipſemet, vt petatur, monet, & præcipit? Præterea nonne habes etiam in theſauris tuis donationem Chriſti tui, per quam & ipſemet Chriſtus, & omnia cum Chriſto tibi donata ſunt, & tua ſunt? Si igitur Chriſtus & omnia cum ipſo per donationem, iam facta ſunt tua, ergo etiam ipſum donum perſeuerantiæ factum eſt tuum, negare autem tibi petenti, & poſtulanti, quod tuum eſt, quomodo poteſt ille ipſe, qui fecit, vt tuum eſſet omne, quod peteres? Nonne ipſe idem Chriſtus tuus, Deus tuus, qui tibi dixit, & præcepit, vt peteres, & orares, dixit etiam, & præcepit, vt quidquid orando peteres, crederes te accepturam? Propterea dico vobis (inquit Chriſtus) Omnia quæcumque orantes petitis, credite, & accipietis, & euenient vobis. Cur igitur, ſoror mea, non credes, quod tuus Magiſter Chriſtus tam diſertè tibi dicit, & præcipit, vt credas? At ipſe dicit, vt quod orando petis, credas quod accipies, & eueniet tibi, ecquidnam eſt quod prõptiùs, & firmiùs credere debeamus, quàm id, quod nobis Deus ipſe monet, & præcipit, vt credamus? Præcipit Deus, vt credamus, quod Filius Dei, Deus verus de Deo vero incarnatus eſt, & homo factus eſt propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et ita nos credimus, & obediendo ei, ſic confitemur, ſubijcientes intellectum noſtrum in obſequium Fidei. Idem ipſe Deus præcipit nobis dicens: Omnia quæcumque orantes petitis credite, quia accipietis; & euenient vobis. Quare igitur, orantes, non credemus nos accepturos quæ petimus, aut credentes nos accepturos quæcumque orando petierimus, orare, & petere negligemus? Ecquid eſt quod te magis impellere, & compellere debeat ad aliquid agendum, quàm verbum, & viſio ipſius Dei, præſertim in re tibi omnium iucundiſſima, ſaluberrima, & honorificentiſſima? At quid tibi poterat Deus præcipere iucundiùs, & ſalubriùs, honorificentiùs, quàm vt cum ipſo conuerſationem continuè haberes, ab ipſo peteres gaudium

dium plenum, & crederes quod tibi ſit daturus quæcumque orando petieris? O ſtulti nos, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti ſunt Prophetæ; ſed ſtultiores, & tardiores corde ad credendum in omnibus, quæ nobis loquutus eſt Deus, non dico in Prophetis, ſed in ipſo filio ſuo vnigenito, & ore ſuo benedicto nobis manifeſtare dignatus eſt? Num difficilius eſt credere, quod incarnatus eſt, & crucifixus & mortuus propter me, & propter meam ſalutem, quàm credere, quod etiam propter me, & propter meam ſalutem dabit mihi quidquid orando petiero, ipſomet mihi dicente, vt petam, & vt petendo credam me accepturum? Si quis veſtrum indiget ſapientia (inquit Iacobus Apoſtolus) poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei; Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Cùm igitur Deus tuus dicat tibi, vt poſtulans nihil hæſites, cur poſtulans hæſitabis? cur illi non obtemperabis in re vtiliſſima tibi, illique gratiſſima? Certè quantum conſequi valet humana ratio, quamuis omnia Deo facillima ſint, difficilius tamen videbatur quomodo poſſes pro ſalute peccatoris, tu Deus verus, Aeternique Patris Filius, Cruci affigi, & in ea occidi, & mori, quàm quod pro ſalute peccatoris cùm Cruci affixus, eidem ſalutem poſtulanti eſſes conceſſurus. Si illud primum iam factum credis, ſoror mea, nec dubitare præſumis, quare, & alterum hoc futurum etiam non credes, & gratis immò in damnum tuum ibi dubitare, vel hæſitare volueris, vbi non ſolùm non eſt ratio dubitandi, vel hæſitandi, ſed vbi Deus ipſe tibi dicit, vt non dubites, neque hæſites, ſed vt credas te accepturam, quidquid orando petieris? Eia igitur dulciſſime Ieſu, credo Domine, credo, adiuua incredulitatem meam, ſi quæ fortè adhuc remanet, & in fide, quantum poſſum maxima, modò orans peto à te quidquid vis, quidquid tibi placet, quidquid tu ipſe in memoriali tuo docuiſti me, vt peterem, vt ſcilicet ſanctificetur Nomen tuum, adueniat Regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in Terra, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Dixi Domine quod meum erat, dic & tu modò quod tuum eſt, ſcilicet, Amen, ſic fiat, ita fiat. Sed tu iam hoc dixiſti, bone Ieſu, quando me vt iſta peterem docuiſti. Igitur ò Domine, ecce

ſeruus

ſeruus tuus, ecce ſeruus tuus, & filius Ancillæ tuæ, fiat mihi ſecundùm verbum tuum; Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & Nomen Domini inuocabo, vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius, in atrijs Domus Domini, in medio tui Hieruſalem. Tecum igitur ſit ſemper in poſterum, ò bone Ieſu conuerſatio mea, negotiatio mea, refectio mea, recreatio mea, requies mea, ſomnus meus, otium meum, actio mea, contemplatio mea, ſeſſio mea, peregrinatio mea, labor meus, pauſatio mea, reſpiratio mea, vita mea, portio mea tu ſis, non ſolùm in terra viuentium, ſed etiam in hac terra morientium, vt poſſim & ego dicere, mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.

THESAVRVS XXIX.

Oratio noſtra.

ECce, ſoror mea, iam vidiſti quàm neceſſaria ſit oratio noſtra, quandoquidem vt ex Chryſoſtomo audiſti, Mauult Deus noſtram, qui rei ſumus, quàm aliorum pro nobis orationem. Quàm bonus autem, & quàm iucundus ſit theſaurus iſte orationis, ſoror mea, nolo ex me audias, ſed ex ore Sanctorum. Audi igitur filia, & inclina aurem tuã ad aurea verba S. Patris noſtri Chryſoſtomi hom. 79. ad Popul. Antioch. Magnũ verè bonum, inquit, cariſſimi, eſt oratio; ſi enim virtute prȩditum hominẽ alloquens nõ parum ex eo capit vtilitatis, cui Deum alloqui donatum eſt, quot bonis fruetur? Qualiter ergo non abſurdum fuerit iubere ſeruos noſtros toto tẽpore nobis ſeruire, nos autẽ nec minimum tempus Deo dicare? Nõ noſti tu homo vtilia, & frequẽter damnoſa petis, & periculoſa; ſed ille magis tuæ curam gerens ſalutis, non tuam intuetur petitionem, ſed antequam petas, quid tibi conferat, prouidet. Nam ſi Patres licèt carnales, non omnino quæ petunt filijs præbent; non quod petentes aſpernentur, ſed quod eorum curam gerunt maiorem; multò magis Deus, qui plus omnibus nouit, quod nobis expediat, offeret. Cùm ergo defeceris orans, & non acceperis, cogita quoties pauperem

audiſti

audiſti te petentem, & non exaudiſti, et indignatus ille non eſt, nec te contumelijs affecit, et tu quidem hoc ex crudelitate facis, Deus autem ex benignitate. Si ergo tu conſeruum propter crudelitatem non audiens te dignum accuſari non cenſes? Dominum propter miſericordiam non audientem accuſas; Si ergo B. Dauid cùm eſſet Rex, & innumeris immerſus curis, & vndique diſtractus, ſepties in die Dominum rogabat: quam nos veniam habuerimus, et excuſationem, tantum habentes otij, nec ipſi continuè ſupplicantes, cum tantùm lucri capere debeamus? Impoſſibile enim, impoſſibile eſt hominem congruo præcantem ſtudio, Deoque continuò ſupplicantem, vnquam peccare. Qui namque mentem ſuam accendit, & erexit animam, et in Cœlum ſe ipſum tranſtulit, et ita ſuum inuocauit Dominum, et ſuorum memoriam peccatorum accepit, ad eum de eorum loquutus eſt dimiſſione, et propitium, et mitem Deum orauit fieri, ab ipſa in his verbis mora, omnem deponit ſæcularem curam, et eleuatur, et humanis æſtibus ſuperior efficitur. Non enim ita fontes aquarum hortos reddunt fertiliores, vt orationis planctus, et lachrymarum fontes irrigant, et ad maximam excreſcere faciunt altitudinem, et orantem coram Domino conſtituunt. Hinc enim maximè fit vt exaudiatur. Quoniam ſi corpore humi proſtrato, et ore in caſſum nugante, mens totam domum, et forum circumeat, quomodo talis dicere poterit, quod in conſpectu Dei præcatus ſit? Nam ille orat in conſpectu Dei, qui totam colligit animam ſuam, et nihil habens cum terra commune, in ſe ipſum transferens Cœlum, omnem ex animo pellit humanam cogitationem. Sic enim deprecantem oportet orare, vt totam cogitationem ſuam colligẽs, cum animi dolore contendens Deum vocet, neque longos extendat ſermones, nec in longum orationem producat, ſed pauca, ſimpliciaque dicat verba; Non enim in verborum multitudine, ſed in mentis ſolertia poſitum eſt, vt exaudiatur: oportet igitur orantem, neque longos extendere ſermones, & iugiter orare: Breues enim, et frequentes orationes fieri, Chriſtus, & Paulus præceperunt, paruis ex interuallis: Nam ſi ſermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapſus, multam diabolo ſubrependi dederis facultatem, & ſupplantandi, et abducendi cogitationem ab his, quæ dicuntur. Si verò continuas, & crebras orationes facis, totumque

tempus interpellis frequentia, facilè poteris modeſtiam exhibere, et ipſas orationes cum multa facies ſolertia. Neque nos excuſemus, dicentes, quod non eſt facilè quempiam orare ſæcularibus negotijs implicitum, nec propè ſe inueniente oratorium. Nam vbicumque ſis potes conſtituere altare tuum: Nihil enim locus prohibet: ſed ſi mentem tantùm feruentem exhibeas, orationis perfectionem conſummaueris; licet enim et forum petentem, & ambulantem per ſe prolixas facere orationes. Quid ergo debes, orans, dicere? Quod Cananæa, ſic enim illa dicebat, miſerere mei, filia mea male à dœmonio vexatur: ita dices & tu, Miſerere mei, anima mea malè à dœmonio vexatur. Magnus enim dœmon peccatum. Dœmonium habens, miſericordiam inuenit, odio peccans habetur. Miſerere mei, breue verbum, & clementiæ pelagus continet, nam vbi miſericordia, ibi ſunt omnia bona; ſiue ſis extra Eccleſiam, clama, dicens miſerere mei, et ſi non mouens labia, ſed mente clamãs, nam et tacentes Deus exaudit: Non eſt quærẽdus locus ſed loci principium. Vbicumq; ſis ora; Tẽplum es, ne templum quæras, intra te Deus eſt, adhuc te loquente dicet, ecce adſum nondum orationẽ perfeciſti, et medicinã obtinuiſti, & hom. 24 in c. 6. Mat. Nos ergo nos ipſi cauſa noſtræ perditionis exiſtimus, non enim inſtanter ad eum accedimus, non interpellamus aſſiduè, non rogamus, quemadmodum pro tanta dignum eſt cauſa orare; ſed etſi eum adeamus aliquando ita facimus hoc, quaſi non deſideremus accipere, neque cum ea fide, qua congruit depræcantes, ſed oſcitantes prorſus, ac tota mente torpentes, ea quæ videmur poſtulare, negligimus. Et certè vult ſe à nobis exigi Deus: hæc enim illi vis grata eſt; nam ſi vehementiùs inſtare viderit exigentes, etiam illa, quæ non petimus largitur; Nunc autem liberalitatem ſuam differt, non quia præſtare nolit, ſed quia noſtra illum delectat exactio. Et propterea tibi plura quoq; poſuit exempla: nunc illius amici, qui noctu inſtabat petendo: nunc iudicis, neque Deum timentis, neque hominem omnino reuerentis; ſed ipſis quoque operibus hoc idem oſtendit, cùm ſcilicet Cananæam illam mulierem magno certè dono impletam remiſit; in hac verò euidenter oſtendit, quoniam Deus etiam illa quæ nobis parata non ſunt, dare poſſit, ſi vehementiùs poſtulentur: inquit enim: non eſt bonum tollere panem filiorum, & dare canibus, et tamen dedit, quia vehe-

mentiùs

mentiùs illa exegit: Iudæis verò è contra monſtrauit, quia deſidioſis, nec illa quidem tribuit, quæ eis fuerant præparata: vnde illi nihil acceperunt, imò etiam propria perdiderunt, & ideo quia non quæſierunt, ne ſua quidem acceperunt; illa verò quia violenter incubuit mendicare: etiam rem filiorum accepit canis: Tantùm quippè bonum eſt fides ſedula, et deprecatio perſeuerans. Noli ergo dicere quia tibi ſit inimicus Deus, teque omnino nolit audire, citò tibi reſpondebit, ſi aſſiduè illum, et (vt ita dicam) moleſtè interpellare non deſinas; etſi enim non ob amicitiam, at propter ſedulitatem iſtud efficiet, neque inimicitiarum importunitates, neque vllum patietur omninò impedimentum: Nec dicas, non ſum dignus audiri, & idcircò non oro, nam & Cananæa illa etiã talis fuit, ſed nihilominus impetrauit. Nec dicas etiam multum peccaui, et non poſſum ad me iratum vocare, non enim meritum tuum Deus, ſed ſolam internam conſiderat voluntatem: ſi enim iudicem non timentem Deum, neque homines erubeſcentem vidua inflexit, multo magis bonum iudicem inflectet interpellatio aſſidua: etſi igitur non fueris amicus, et ſi ea, quæ tibi competere non videntur expoſtules, etſi bona Patris luxurioſus abſumpſeris, longumque temporis ab eius facie abfueris, etſi deneger, atque omnium prorſus extremus, et indignantem illum, iratumque conuenias, incipe tantummodò orare, atque ad ipſum redire, et accipies profectò cuncta, et confeſtim omnem iram, pœnamque reſtingues. ſed ecce inquis oro, et nihil aliud ſequitur: non enim ita poſtulaſti quemadmodum illos legimus poſtulaſſe, Cananæam dico, et Amicum noctu poſtulantem, et viduam iudici frequenter moleſtam, et filium, qui Patris cuncta decoxerat; ſi enim oraſſes, proculdubio celeriter impetraſſes: nam etſi à te accepit iniuriam, tamen Pater eſt, et ſi iratus eſt, tamen amantiſſimus filiorum eſt. Vtinam nos erga illum ſeruaremus affectum, quemadmodum illius viſcera noſtra charitate flammeſcunt. Sed tantummodò occaſionem Deus iſtius ignis requirit, etſi modicam ſcintillam ipſe præbueris, ingentem omninò flammam beneficiorum eius in te accendes. Non enim quia iniuriam accepit iraſcitur, ſed quia tu es auctor eius, per quam etiam velut ebrius deſipis. Si enim nos, cum ſimus maligni iniuriam accipientes à filijs, tantum pro illis dolemus, multo magis, qui nullam omninò ſentit iniu-

riam, pro eius tantùm damno, qui illam facere auſus eſt, iraſcetur. Nam ſi nos, qui ſecundùm naturam diligimus filios, ſatis tamen profectò illos diligimus, multò magis Deus diligit nos, qui diligit vltra naturam, ſed etſi obliuiſcatur, inquit, mulier infantem vteri ſui, ego tamen non obliuiſcar tui, dicit Dominus omnipotens. Accedamus itaque ad eum, atque dicamus, etiam Domine, nam & canes edunt de micis, quæ cadunt de menſa Domini ſui. Accedamus, inquam, importunè, imò hoc nunquam eſt importunè accedere: ſicut enim reſpirare importunè omninò nunquam eſt, ita etiam, non quidem petere, ſed non petere potiùs importunum eſt: ſicut enim reſpirare hoc iugiter indigemus, ità etiam eo quod à Deo præſtatur auxilio iugiter indigemus. Quod ſi voluerimus facilè illum ad nos poterimus inflectere, & hoc profectò declarans, & oſtendens Propheta, Deum promptum ſemper eſſe ad beneficia largienda, dicebat; Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius; et veniet quaſi imber nobis temporaneus, et ſerotinus terræ. Quotieſcumque enim venire, & ad illum volueris accedere expectatas ab illo eſſe præces noſtras continuò ſentiemus. Si verò nihil de redundante illo fonte bonitatis haurimus, noſter eſt omnis culpa non fontis. Cum enim nos viderit non ſicut oportet, orantes, digniſſimè proculdubio beneficia ſua continet, ne nos vtique deſides faciat, non dignè inquirentibus largiendo. Si verò paululum in meliora mutemur, & vel tantulum quidem, vt nos ſaltem peccaſſe doleamus, ſupra quam omnes fontes ebullit, et copioſius quàm omne prorſus pelagus effunditur: quantoque amplius acceperis, tanto ille plus gaudet, & hoc ipſo ad dandum plura conſurget; diuitias enim ſuas, noſtram eſſe ducit ſalutem, & ipſam dandi petentibus largitatem; quod certè dicebat Paulus inquiens, qui diues eſt in omnibus, qui inuocant illum: Non enim niſi quando non poſtulamus, iraſcitur, tunc etiam nos ſolùm, quando non poſcimus auerſatur, propterea & pauper factus eſt, vt nos ſua inopia ditaremur, & illà omnia ſubſtinuit, vt nos ad petendum promiùs incitaret. Nequaquam igitur deſperemus, ſed habentes tot occaſiones ſalutis, ſpeſque meliores, etiamſi quotidie peccemus, accedamus tamen rogantes, proque delictis aſſiduè veniam deprecemur. Sic enim & ad peccatum efficiemur abſque dubio tardiores, & diabolum repellemus, & Dei in nobis miſericordiā

prouo-

Digitized by Google

prouocabimus,& bona cōſequemur futura. Hactenus Chryſoſtomus: Nunc igitur, ſoror mea, nō te pigeat audire B. Laurentiū Iuſtinianū ſic loquentē c. 18. de diſ.& perf. mo. Cl. Quiſquis igitur placere Deo affectat, quicumq; huius ſæculi laborioſam peregrinationē peragrare deſiderat; qui ſpretis trāſitoriæ vitæ lenocinijs, æterni Conuiuij ſpirituales, ac ſupercœleſtes delitias apprehendere, ac deguſtare concupiſcit, ſtudio orationis ſe tradat; ad illam alacriter, & paratus accedat, & in ea ardenter, & in ſenſu cordis coram Domino aſſiſtat, nec non & in ipſa quotidie perſeueret. Eſt quippe oratio beatiſſima virtutum nutrix, vitiorum interemptrix, culpæ venia, peccatorum abolitio, interuentrix mundi, ſalus hominum, charitatis mater, caſtitatis robur, iuſtitiæ regula, prudentiæ ſpeculum, ſanctitatis decus, ſcientię lumen, ſapientiæ cellarium, domeſtica Dei, fiducia animæ, medicamentum puſillanimitatis, & gaudium cordis, fida huius peregrinationis comes, mœſtorum conſolatio, impugnatorum impenetrabile ſcutum, ſecretorum Dei cognitrix, humilitatis norma, fidei clauis, honeſtatis præuia, obedientiæ plenitudo, ſecuritatis fons, Angelorum imitatrix, iuſtorum exultatio, temperantiæ magiſtra, pacis pelagus, dœmonum fugatrix, quieſcentium refugium, conſcientiæ ornamentum, additamentum gratiæ, amoris incentiuum, porta cœli, petitionum nuncia, auxiliatrix ſtrenua, mediatrix præcipua, & cæleſtium Sacramentorum optima reſeratrix. In ea nihil ſordidum, nihil curuum, nihil reperitur coinquinatum, & cum tota ſit pulchra, & omnium donorum fœcunda, ſemper hilarem, ſemper iucundum ſui exhibet dilectorem. Clamat hoc, ſacroſancta virtutum Regina, & gratiarum nutrix, dicens: Venite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini; Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & fauum. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Qui igitur Deo per orationis ſtudium vacare deſiderat, debet ſe diligenter cuſtodire in verbis, in moribus, in cogitationibus, in affectionibus, ac immaculatum ſeruare, quatenus tam beato orationis tempore, purè, & abſque ſorde noxiarum imaginationum Deo adſtare queat; eſt quippe humana mens multorum receptibilis phātaſmatum; hæc cum tibi ipſi ſine diligenti vigilantia relinquitur, reuoluere intra ſe, & ruminare non deſinit. Talia enim animus imprudens, &

abſque

abſque diuini timoris cuſtodia cogitat, quæ ei cogitanda offeruntur, atque velut iumentum indomitum diſcurrit effrenis per deuia vitiorum. Proinde ſolerti induſtria quadamque virili intentione ab animo omnia ante orationem amouenda ſunt, quæ orationis tempore ipſam poſſent coinquinare. Qui autem hoc agere negligit, nunquam mundo orabit corde, niſi fortè repente à ſuperueniente gratia viſitetur. Interdum enim conſueuit diuina bonitas ſuos inopinatè, & ſine vllà prorſus præparatione, aut diſpoſitione interno illuſtrare ſplendore: ſiue vt iacentis animi torpentem excitet ignauiã, ſiue vt elationis, & propriæ æſtimationis auferat materiam, ſiue vt puſillanimitatem, ac fragilitatem foueat, & erigat humanam. Caueat tamen Chriſti ſeruus, ne ob hanc Chriſti Domini deguſtatam dulcedinem, quaſi propter donum ſecurius effectus erga ſui cuſtodiam remiſſior ſit, atque ad ſe diſponendum tepidior. Turpiter enim ridiculum fieret ſpirituum immundorum, ſi hoc agere non formidaret. Debet itaque quiſquis tanto eſſe ſolicitior ad benè viuendum, atque ad promerendum gratiam ſupernæ viſitationis promptior, quãto cæleſtis infuſionis amplius ſe participare cognouerit. Nam ſi Dei veneranda Maieſtas, frigidam amoris eius, & ſegniter conuerſantem viſitare dignatur, quanto magis feruentem ſpiritu, & ſollicitè quærentem peramplius afflabit guſtu cœleſtium deliciarum? Sed grata mens, & veræ charitatis iaculo vulnerata, nihil quod ad ſe pertinet, perficere negligit. Eadem virtutum exercitia, idem orationis ſtudium peragit cum ſpiritualis lætitiæ penuriam patitur, ſicut cum diuino calore repletur, licet id non eodem agat guſtu. Sic namque ſapientię erudita magiſterio, quod maiorum donorum dignior efficitur poſt labores, & certamina. Hoc ſignificare voluit Propheta cum diceret, ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Paucorum verò eſt quod ſupra commemoratum eſt. Nam perfectæ charitatis notiſſimum argumẽtum eſt in aduerſis fiduciam non amittere, & virtutes vniformiter ſemper operari, atque ſub Dei diſciplina eodem animo, eodemque vultu perſeuerare. Negligentibus hoc impoſſibile videtur, amantibus verò nihil. Agat igitur Chriſti ſeruus, qui Deo vniri concupiſcit, tam in præparatione orationis, quàm in cæteris quod ſuum eſt, vt Deo charus fiat, reliquum autẽ

totum

totum diuinæ committat voluntati, quæ nullum bonum quã-uis minimum irremuneratum relinquit: hucuſque Iuſtinianus. Diligenter tamen aduerte ſoror mea, quod non ſolùm vnuſquiſque pro ſe, ſed pro omnibus debet orare (vt inquit Auguſtinus ad fratres in Eremo ex Ambroſio) nam ſi pro te tantùm rogaueris ſolùm tuum meritum poſſidebis, ſed ſi pro omnibus rogaueris; omnes pro te rogabunt: orate igitur fratres mei in Eremo, orate, & nolite deficere: nam ſicut eſt proprium canibus latrare, ita proprium eſt Eremi cultoribus orare. Oratio ſancta columna eſt Sanctarum virtutum, ſcala deitatis, viduarum maritus, Angelorum cognata, fundamentum fidei, Monachorum corona, coniugatarum leuamen. Beatus qui te amat, beatior qui te frequentat, beatus qui te aſtringit, ſed beatior qui in te perſeuerat. O fratres mei dilectiſſimi clamate in Eremo, vlulate in hac vaſta ſolitudine, vociferari non quieſcatis, clamate orando, & nolite deficere; clamate nõ ſolùm voce, ſed maximè mente, ecce enim ſemper audiſtis Aues in deſerto cãtantes, & laudantes Deũ factorem ſuum. Maxima victoriæ ſpes oratio eſt, vt nos monet idẽ Iuſtinianus de Caſt. Con. cap. 6. & præcipua ad ſapientiam via. Suſtollit animã à viſibilibus, & ſuo humili, ac ſuaui volatu facit proximã cœlo, replet illũ claritate Dei, & cognitione ſui, quibus nihil vtilius eſt in vita hominis, Diffuſa vero per exteriora mens, ad interiora conſideranda minus ſufficit, vtriſque vacare nequit; proinde ne fœdetur, ne tentationibus ignara vincatur, frequentiam fugiat, & ad remotiora ſecedat diuinum flagitando ſuffragium. Audi igitur, ſoror mea, quid tibi faciendum ſit, quæ iam inueniſti tot theſauros Regni Cælorum: ſumendum ſcilicet conſilium Chriſti tui, Sponſi tui, qui ſimile dicit, eſſe Regnum Cœlorum, theſauro abſcondito in Agro, quem qui inuenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quę habet, & emit agrum illum. In præſenti etenim vita quaſi in via ſumus (inquit Gregorius) qua ad patriam pergimus. Maligni autem ſpiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi obſident. Deprædari ergo deſiderat qui theſaurum publicè portat in via. Quid igitur reliquum eſt ſoror mea, niſi vt renunciemus omnibus, quæ poſſidemus, & emamus non palatia, non caſtella, non ciuitates, ſed agrum, in quo latet abſconditus tam multiplex numerus theſaurorum? Quis dabit tibi pennas ſicut colum-

bæ,

bæ, & volabis, & requieſces, & læta cantabis, ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine, expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate? Præcipita, Domine, & diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatẽ, & contradictionem in ciuitate. O quanta eſt in ciuitate contradictio homini negotiatori quærenti non falſas, & terrenas, ſed bonas, & cœleſtes margaritas? ò quanta in vrbibus turbatio, & ſollicitudo erga plurima, & inutilia, & quanta obliuio illius quod vnum eſt neceſſarium? eſt itaque eorum fuga commendabilis, qui humanas refugiunt conuerſationes, ac remotè viuunt, ſolius conditoris ſui illecti deſiderio. Hi nãque declinant noxia, pericula præuident, delictorum cauſas deuitant, æterna deſiderant, Deoque inſeparabiliter adhærere concupiſcunt: Hi ſolitudinis ſecreta perluſtrant, vt Deo vacantes ab humanis conturbationibus diuina ſint protectione ſecuri, quemadmodum Pſaltes de ipſis Domino cecinit, dicens, abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum: Quoties enim per mentis eleuationem contemplationi cœleſtium intendunt, ab hominum conturbatione teguntur; cum verò per ſui cuſtodiam munditiæ cordis, & puritati conſcientiæ inuigilant à linguarum fiunt contradictione ſecuri. Huiuſmodi ſunt ſolitariorum ſpirituales delitiæ, eorum videlicet, qui mentis exercitatione abſq; interuallo, & ſine vlla fatigatione intendunt. Hi tam pro amore conditoris, quàm pro dilectione virtutis, omnem ſollicitudinem in ſui interioris hominis compoſitione diſponunt, ne ſcilicet eorum tepeſcat ſpiritus, ne à veritatis limine deuient, ne inſpirationi diuinæ negligant præbere conſenſum, ne in proximorum dilectione offendant, ne conſcientia onerata peccatis ſpiritui commoueat bellum, ne vel in minimo lædant amabilẽ ſponſam, charitatem. Sanè in iſtis, atque huiuſcemodi ſtudijs ſolitudo commendatur interior, quæ cuſtodita fideliter, auget meritum, virtutes parit, nutrit gratiam, componit mentem, regit ſenſus, negotia ordinat, intentionem dirigit, fouet affectum, cumulat dona, coæquat Angelis, copulat Chriſto: Quid tibi videtur ſoror mea? nonne bonum eſt nos hic eſſe? ſed ſede paululum, & quandoq; Carmeli incolæ ſumus, contẽplare mecum adhuc attentiùs, & diutiùs qualis, & quantus ſit abſconditus theſaurus in agro iſtò ſanctæ ſolitudinis.

THESAV-

Digitized by Google

THESAVRVS XXX.

Sancta ſolitudo.

O Solitudo Deo dicata, quàm amabilis es, & quàm ardenti deſiderio concupita ab his, qui nouerunt te, teque ſibi ipſis delectabilem reddiderunt! Tu namque humilitatis es ſpeculum, diuini amoris cuſtos, tu propriæ cognitionis magiſtra, tu ſcientiæ ſchola, teſtis conſcientiæ futuræ fœlicitatis imago, accuſatrix ſcelerum, vitiorum detectrix, veritatis amatrix, innocentiæ decus, ſecretorum cœleſtium cognitrix, contemplationis præuentrix, origo compunctionis, ſcala cœli, latitudo maxima, orationis portus, tranquillitatis habitaculum, paſſionum ſpiritualium interemptrix, peruigil mentis cuſtodia, non dormitans affectio, prudentiæ comes, diſcretionis oculus, latens profectus, dulcedo cordis, fons ſpei, cœleſtis Sponſi receptaculum, Dei, & hominum mediatrix. O quàm præclara ſunt Encomia tua, ſolitudo ſancta! tuæ diuitiæ, laudabilis actio, ſeceſſus lætus, ſecura poſſeſſio iuge conuiuium, ac delicata cibaria. Frequentiſſimè ſapientiæ radijs illuſtraris, gaudio perfunderis, eleuaris in cœlum, & pace repleris. Sinum quippe tuum dilatas, & iucundiſſimè ſuſcipis humiles mente, pacificos orationi inſtantes, deuotionis auidos, atque ſapido palato diuina guſtantes. Equidem ſcio, quod extra te perſtrepunt bella, tempeſtates ſurgunt, inſidiantur latrones, ſæuit draco, catuli leonum rugientes diſcurrunt, vt rapiant, & quærant eſcam ſibi, fiunt rixæ, pariuntur diſcordiæ, ſeminantur odia, & vniuerſa facinora perpetrantur. In te autem pax multa, delectabilis manſio, præclara virtus, & æternæ fęlicitatis intima prælibatio. Aperi igitur, ò amica mea, decora tanquam Hieruſalem, ſuauis in delicijs, plena venuſtate, & gratia, ſanctitate, & pace, ſplendore, & gaudio, iucunditate, & iubilo, ſecuritate, & ſpe, dilectione, & meritis. En ſto ad oſtium tuum, pulſo quotidie gemens, ac lachrymans, vt aperiatur mihi, & ingrediar ad te, tuis caſtiſſimis vt fruar amplexibus. Ne me patiaris vagari foras, ſuſcipe ouem errantem, prodigum adole-

ſcentem, reuertentem ad te, & ſe emendare volentem. Tu enim (ex Baſil. de laud. Eremi) ô ſolitaria vita cæleſtis doctrinæ ſchola es, ac diuinarũ artiũ diſciplina, in qua Deus eſt totum, quod addiſcitur, via qua tenditur, totum, per quod ad ſummã veritatis notitiã peruenitur. O Eremus Paradiſus deliciarũ ſanctarũ mentis delectatio, & intimi guſtus inexhauſta dulcedo. Tu caminus ille Chaldaicus, vbi Sancti Pueri feruentis incendij vires orationibus reprimunt. Tu fornax, vbi ſuperni Regis vaſa formantur, tu negotiatorum cæleſtium apotheca, in qua videlicet illarum mercium ſumma reconditur, quibus terræ viuentium poſſeſſio comparatur. Fœlix commercium, vbi terrenis cœleſtia, tranſitorijs mutantur æterna; fœlices, inquam, Nundinæ, vbi venalis ęterna vita proponitur, ad quam emendam, etiamſi minimum ſit, ſolùm ſufficit, quod habetur. Vbi breuis afflictio carnis emit Cœleſte Conuiuium, & exiguæ lachrymæ riſum capiunt ſempiternum. O Cella ſpiritualis exercitij mirabilis officina tu das, vt homo mundo corde Deum conſpiciat, qui ſuis obuolutus tenebris, Deum, & ſe ipſum ignorabat. Tu hominem ad ſuum facis redire principium, & de exilij deiectione ad antiquæ dignitatis reuocas celſitudinem. Tu facis, vt homo in arce mentis conſtitutus, cuncta ſub ſe videat terrena defluere, ſemetipſum quoque in ipſa rerum labentium proſpiciat decurſione tranſire. O Cella ſacræ militiæ tabernaculum, procinctus Triumphatoris exercitus, Caſtrum Dei, Turris Dauid, mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium. Tu campus diuini prælij, ſpiritualis arena certaminis, Angelorum ſpectaculum, paleſtra fortiter dimicantium luctatorum, vbi ſpiritus cum carne congreditur, & fortis ab infirmo ſuperatur. Tu virens vallis in expeditione currentiũ, tu munitio fortium, tu præſidium neſcientium cedere bellatorum. O Eremus mors vitiorum, fomes, & vita virtutum, te lex attollit, te prophetia miràtur, & quicumque ad perfectionem peruenerunt, tuum cognouerunt præconium: Tu ſcala illa Iacob, quæ homines vehis ad cælum, & Angelos ad humanum deponis auxilium. Tu via aurea, certa, & compendioſa, quæ homines ducis ad patriam. Tu ſtadium, quo benè currentes prouehis ad coronam. O vita Eremitica, balneum animarum, mors criminum, purgatorium ſordidorum. Tu mentium ſecreta purificas, ſquallores diluis ſcelerum, atq;

ad ange-

Digitized by Google

ād angelicæ nitorem munditiæ facis animas peruenire. Cella namque eſt conciliabulum Dei, & hominum, Compitum animarum, & corporum in carne degentium, & ſpirituum ſupernorum. Eò ſiquidem ſuperni ciues ad colloquia humana conueniunt, vbi non tam linguæ carnis verba concinnant, quā ſine ſtrepitu vocis fœcunda mentium arcana pateſcunt. Cella ſiquidem conſcia eſt ſecreti conſilij, quod habet cum hominibus Deus, Cella teſtis eſt quanto diuini amoris igne cor ferueat, & vtrum perfectæ deuotionis inſtantia quis Dei faciem requirat. Nouit quemadmodum mens hominis cęleſtis gratiæ rore perfunditur, & compunctionis fletuum, & lachrymarum inundantium imbribus irrigatur. Cella eſt inſtrumentum; quo præcioſi lapides expoliuntur, Ergaſtulum, vbi præcioſi reponuntur lapides, quatenus in ſtructura cæleſtis templi, ſine vllo cudentis mallei ſonitu poſtmodum diſponantur. Cella Dominicæ ſepulturæ propemodum æmula, quæ peccato mortuos ſuſcipis, & per afflatum Sancti Spiritus Deo facis reuiuiſcere. Tu es ab huius vitæ turbida vexatione ſepulchrū, ſed cæleſtis vitæ pandis introitum. Te portum tranquillitatis inueniunt, qui naufragium mundani fluctus euadunt. Te Hieremias aſpexerat cùm dicebat, bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Bonum viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia eleuauit ſe ſupra ſe. Habitator etenim tuus eleuat ſe ſupra ſe, quia Deum eſuriens anima, à mundi ſe actionibus ſegregat, atque in altum contemplationis [cœleſtis deſiderij pennas librat. Cumque illum, qui eſt ſuper omnia conſpicere ſatagit, ſemetipſum quoque homo cum reliqua mundanę vallis deiectione tranſcendit. O Cella ſpirituale prorſus habitaculum, namque de ſuperbis facis humiles, de crudelibus pios, de iracundis mites, de deſidioſis reddis in diuina charitate feruentes. Tu odioſæ linguæ frænum; Tu nitidæ caſtitatis cingulum, tu ieiuniorum, & vigiliarum nutrix, tu patientiæ, & pacis perfectiſſima cuſtos. Tu puriſſimæ ſimplicitatis magiſtra. Tu facis, vt vanos quoſque Chriſti catena coerceat, Tu facis vt homo ſit integer, atque rotundus, ac nulla à ſemetipſo morum inæqualitate diuerſus. Tu nigra, ſed formoſa, ſicut tabernaculum Cedar, ſicut pelles Salomonis. Tu Lauacrum tonſarum. Tu ſicut piſcina in Eſebon. Oculi tui ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſi-

Digitized by Google

dent iuxta fluenta pleniſſima. Tu namque es ſpeculum animarum, cuius contemplatione ſe mens humana perſpicaciter intuens, quod minus eſt implet, quod ſuperfluum reprimit, quod obliquum eſt, dirigit, quod deforme componit. Tu nuptialis es thalamus, in quo Sancti Spiritus annulus tribuitur, & Cæleſti Sponſo anima fæderatur. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero te in principio lętitiæ meæ; hæc enim requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Quàm pulchra es amica mea, & quàm decora in delicijs tuis? Tu aureola aromatum, tu fons hortorum; tu malum punicum es odoris. O Eremus Mundi perſequentis fælix refugium, laborantium quies, mœrentium conſolatio, ab æſtu ſæculi refrigerium, peccandi repudium, recluſio corporum, libertas animarum. Te Dauid petijt cùm Mundi mala perferret, cum timidi, & tenebroſi cordis tædium ſuſtineret. Ecce, inquit, elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Et quid amplius memorem quandoquidem ipſe Saluator in exordio ſuæ manifeſtationis inuiſere, ac propria te dignatus eſt habitatione conſecrare? Debitorem ſe tibi Mundus agnoſcat, vnde prædicaturum, ac mirabilia facturum ſuſcepiſſe te Deum non ignorat. O Eremus terribile malignis ſpiritibus habitaculũ, vbi Cellæ Monachorum, velut tentoria ordinata Caſtrorum quaſi Turres Sion, & quaſi propugnacula Hieruſalem eriguntur aduerſus Aſſyrios, & contra faciem Damaſci, dum videlicet hic pſallitur, hic oratur, in alia ſcribitur, in alijs verò varijs manuum operibus inſudatur. O quàm ſpecioſa tabernacula tua Iacob, & Tentoria tua Iſrael, vt valles nemoroſæ, vt Horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi Cedri prope aquas! Et quid amplius de te dicam? O vita Heremitica, vita ſancta, vita Angelica, vita benedicta, viuarium animarum, exedra gemmarum cæleſtiũ, curia cęleſtium Senatorum. Nunquam explicat organum vocis, qood tu ſapis interiori guſtu, & cordis medulla. Illi te nouerunt, qui te diligunt: Illi præconia tuæ laudis agnoſcunt, qui in tui amoris amplexibus fideliter requieſcunt. Cæterùm qui ſe ignorant, quomodo pręualent noſſe te? Me etiam tuæ laudi imparem fateor, ſed vnum pro certo ſcio (ò vita benedicta) quod & indubitanter affirmo, quia quiſquis in amoris tui deſiderio perſeuerare ſtuduerit, ipſe quidem habitator eſt

tui,

Digitized by Google

tui, ſed eius inhabitator eſt Deus. Victor dæmonum, ſocius efficitur Angelorum, exul Mundi hæres eſt Paradiſi, abnegator ſui ſectator eſt Chriſti, & qui nunc per eius veſtigia graditur, peracto curſu ſine dubio ad eius gloriam prouehetur, & de habitaculo cordis egreſſus ad habitationem perueniet domus non manufactæ, ſed æternæ in cælis. O beata ſolitudo, ſola beatitudo, in te pluit manna illud de cælo, quo populum ſuum Deus nutrit in huius vitæ peregrinatione, in te Chriſtus cibat turbas, quæ ipſum ſequuntur non ſolùm vſque ad ſatietatem, ſed etiam ſuperabundanter, quàm petunt, aut concupiſcunt; ſuper montem tuum excelſum ſeorſum oſtendit diſcipulis ſuis gloriam ſuam, & eos alloquitur de exceſſu diuinæ charitatis ſuæ; nec mirùm quandoquidem & ipſi eius diſcipuli in hoc quoque ſuam erga Deum charitatem potiſſimum oſtendunt, cum relictis omnibus ſemetipſos quoq; deſerentes, & abnegantes ſoli Deo vacare ſtudent, & eius faciē ſemper requirũt: Audi hoc ſoror mea, nō àme, ſed ab Angelico Eccleſiæ Sanctæ Doctore D. Thoma 2. 2. q. 182. art. 2. dicente, labor exterior operatur ad augmentum præmij accidentalis, ſed augmentum meriti reſpectu præmij eſſentialis conſiſtit principaliter in charitate, cuius quoddam ſignum eſt labor exterior toleratus propter Chriſtum, ſed multo expreſſius eius ſignum eſt, quod aliquis prætermiſſis omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent, ſoli diuinæ contemplationi vacare delectetur. Quam dilecta tabernacula ſolitudinis tuæ Domine, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini! Ibi cor meum, & caro mea exultant in Deum viuum. Et ibi paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi vbi reponat pullos ſuos. Beati qui habitant in ſolitudine tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Beatus vir, cuius eſt auxilium iſtud à te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon, Domine Deus virtutum exaudi orationem meam; auribus percipe Deus Iacob. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui, quia melior eſt dies vna in atrijs ſolitudinis tuæ ſuper millia: elegi abiectus eſſe in ſolitudine Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam, & gloriam dabit Dominus. Non priuabit bonis

eos,

eos,qui ambulant in ſolitudinis innocentia,beatus ſolitarius, qui ſperat in te. Sed ecce video te, ſoror mea, tam ignitis eloquijs totam incenſam, & flagrantem ſolitudinis amore, tumultus ciuitatis, & conturbationem hominum faſtidientem, ſyluas meditantem, montium, & vallium ſpatia diſcurrentem, arborum, fontium, & auium tantummodo comitatum ambientem, & cum iam tibi terra ſordeſcat, liberum cœli proſpectum concupiſcis. Gaudeo ſoror mea, ſic te oportet facere, & quantùm potes quantùm licet hoc eſt quod ſemper curare debes. Verùm ſi fortè diuinitùs impediaris, vt aliquando exteriorem corporis ſolitudinem adipiſci non poſſis, aliam tibi modò ſolitudinem interiorem, & deſertum locum oſtendam, quem tibi nullus prohibere poteſt, in quo ſemper permanere, & viuere, & mori fœliciſſime poſſis. Deſertus iſte locus, ſoror mea, non longè eſt à te quærendus, intra te ipſam inuenies, & quandocumque tuam ipſius in omnibus voluntatem deſeris, deſertum meliorem reperire non potes. O deſertus hortorum omnium multiplicitate tu vnus feracior, & abundantior, & amœnior, & ſalubrior! ò quibus delicijs affluens aſcendes de hoc deſerto, ſoror mea, innixa ſuper dilectum tuum. Vbi enim incipis non ampliùs inniti ſuper voluntatem tuam, inde incipis aſcendere innixa ſuper dilectum tuum. Hæc eſt perfectiſſima omnium ſolitudo, in qua viuit quis remotiſſimus non ſolùm ab omnibus alijs rebus, ſed etiam elongatus à ſemetipſo, abnegans ſcilicet propter Chriſtum non ſolùm omnia ſua, ſed etiam ſemetipſum. Nam fortaſſe (inquit Gregorius) laborioſum non eſt homini relinquere ſua, ſed valde laborioſum eſt relinquere ſemetipſum. Minus quippe eſt abnegare quod habet. Valde autem multum eſt abnegare quod eſt. Quod quidem tunc perfectiſſimè facimus cùm ſuper nos obedientiæ iugum ſuſcipimus, cuius virtutis, ſoror mea, non te pigeat etiam audire præconia. O fœlix obedientia, per quam homo ſibi ipſi penitus moritur, vt multo fœlicius viuat Ieſu Chriſto; per quam omnem noſtram propriam voluntatem, & iudicium, noſque ipſos penitus deſerimus, ad nihilum redigimus, & neſcimus; per quam vt iumenta efficimur apud te, ò bone Ieſu, & nos ſemper tecum ſumus, & tu tenes manum dexteram noſtram, & in voluntate tua deducis nos, & cum gloria ſuſcipis nos. O quam bonam ſolitudinem, ſoror mea, quam ſecura

otia

Digitized by Google

otia facit tibi obedientia ſancta, dum te à tui etiam cura ſoluit, & liberat, vt Deo liberiùs vacare poſſis. O iterum, atque iterum amabilis obedientiæ virtus! Tu vna mihi ſufficis electa ex millibus, quæ vna cum ſis, omnes alias virtutes animo inſeris, inſertaſque cuſtodis. Tu, vt ait Bonauentura es ſchola Saluatoris, nobile genus martyrij, palma triumphalis, ſcala Paradiſi, nauis ad cęlum tranſiens, clauis cœlum aperiens, ſumma in merito, vicina Deo, proxima cęlo. Fœlices Monachi (inquit Thaulcerus) ſi in obedientia perſeuerauerint, quodlibet namque etiam viliſſimum, & minimum opus ex vera peractum obedientia, ratione ipſius obedientiæ, multo nobilius, Deoque longè acceptiùs eſt, quàm alia omnia, quamlibet etiam magna opera ex propria voluntate peracta: Nec aliquod in hac vita humili, & obedienti corde chariùs, digniuſque Deo omnipotenti ſacrificium offerri poteſt. Nonne beatum mercatorem illum dicimus, qui paruis rebus magnas opes lucratur? ſed multo beatior obediens, qui minimis operibus ex obedientia factis merita magna conſequitur. Eſt obedientia ſicut ſignum monetæ, quæ apud omnes in prætio habetur, & ea quidquid neceſſarium eſt, etiamſi prætioſiſſimum ſit ſine vllo labore coemitur. Hinc magnus ille Doctor Gerſon, ait, propterea cenſeri debeat pro regula generali illud eſſe meliùs, illud pulchriùs, illud nobiliùs, illud vtiliùs, delectabiliùs, & honeſtiùs, quod eſt obedientiæ proximiùs, ſit illa res, in qua obeditur vilis, abiecta, turpis, inutilis, laborioſa, vana, ſtulta, quantùmlibet inhoneſta, ſolo peccato excluſo. Eſt, inquit Climacus, obedientia inexaminatus, atque indiſcuſſus motus, ſpontanea mors, vita curioſitate carens, ſecurum periculum, immediata ad Deum excuſatio, metus mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormitando iter. Sed concludat Auguſtinus & dicat: vna obedientia plus valet, quàm omnes virtutes: hæc in nobis ſumma, & ſola eſt virtus obedientiæ: Hæc ſiquidem voluntatem noſtram diuinę voluntati omninò ſubijcit, conformat, & vnit. Hæc mandata, conſilia, & inſpirationes diuinas fideliſſimè exequitur: Hęc æquanimiter ſuſcipit de manu Domini bona, & mala, proſpera, & aduerſa, & inclinat cor noſtrum ad faciendas iuſtificationes Dei in æternum, non tam propter retributionem, ſed quia ſic eſt voluntas Dei, quam ſuper omnia, & in omnibus diligit, concupiſcit, & toto corde, totiſq;

viribus

Digitized by Google

viribus conatur adimplere. Hæc eſt prætioſiſſima Margarita, ad quam comparandam vti debes, ſoror mea, omnibus theſauris, quos hactenus demonſtraui tibi, hanc meritis Chriſti emere, hanc meritis, & interceſſione Beatiſſimę Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum impetrare, hanc ſacroſanctis Miſſæ Sacrificijs obtinere, hanc tibi dari ex vi promiſſionis Chriſti iuratæ, & ex titulo donationis ab eo, & cum eo iam factæ, hanc petere, vt tibi neceſſariam, Deo autem ſuperabundantẽ; hanc tibi vt Chriſti membro, & propter ſuam infinitam miſericordiam à Deo Patre largiri, hanc tibi donari à Chriſto tuo, vti à Fratre, Amico, Sponſo, Domino, Præceptore, Iudice, vt ab eo, qui tibi venit in forma Serui miniſtrare, & propter te, & propter tuam ſalutem factus eſt homo Deus, hanc propter magnam gloriam ſuam, & ne cœtera omnia beneficia inania ſint, immò ne in damnum tuum conuertantur, & ne à communi hoſte irridearis, à Deo continuò poſtulare debes. Denique ad hanc obtinendam porrige ipſum Dominicum memoriale, in quo tibi repromiſſa eſt, confuge ad Patrem pauperum, & Datorem munerum Spiritum Sanctum, repręſenta mala tua; pro quibus tibi bonum hoc reddatur ab eo, qui docet reddendum eſſe bonum pro malo, & ſi quomodo ores, ſicut oportet, neſcis, clama ad exceſſum diuinæ pietatis, quæ merita ſupplicum excedit, & vota, pete etiam orando ipſam in orando perſeuerantiam, vt poſſis etiam perſeueranter ab omni multiplicitate iam libera in pace in idipſum dormire, & requieſcere. Vnum enim præcipuè, & ſuper omnia cauendum eſt in oratione (de cuius theſauro, et ſi multa diximus, pauciora tamen ſemper dicta videbuntur) ſcilicet etiamſi per multum temporis omnia tibi eueniant contra id, quod petis, & ſperas, ne propterea petere, orare, & ſperare deſiſtas, immò tunc magis te orare, & maiora petere, & ſperare, & inſtantius pulſare, te oportet: Hoc enim gratiſſimum Deo eſt, vt oſtendit in Cananæa, & alijs exemplis, quæ vidiſti, quibus nos docuit, nihil ſibi iucundiùs, quam ſi tunc præcipuè, cum veluti ſurdus obturaſſe Deus aures ſuas, & non audire ſe præces noſtras fingit, immò etiam nos reprehendit, exprobrat, repellit, & omninò contraria ijs, quæ deſideramus diſponit; nihilominùs ab ipſo nō recedimus, ſed vehementiùs inſtamus, clamamus, pulſamus, non deſiſtentes, nec deficientes in ſpe, & fiducia, quod dabit,

etiamſi

Digitized by Google

etiamſi audiremus ipſum dicentem nobis ore ſuo, quod non vult dare, & multoties quod petimus nobis negaſſet, ſicut oſtendit in exemplo amici illius, cui quod pluries negauerat, tandem perſeueranti pulſare conceſſit. Vnde exclamat S.Petrus Chryſologus ſer.39. ſuper iſtam parabolam. O quàm dare vult, qui ſe inquietari taliter, & taliter patitur ſuſcitari! O quàm neceſſitatis eſſe ſuæ, quod ſuæ eſt poteſtatis, vult videri! O quàm pulſanti geſtiuit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile, ipſam collocauit ad ianuam; ò quam negare noluit, qui ſibi etiam neganti qualiter extorqueretur oſtendit! Aduerſitas, inquit Gregorius, quæ bonis votis obijcitur probatio virtutis eſt, non iudicium reprobationis. Si igitur, inquit Chryſoſtomus; miſericordiam ſuam protraxerit Deus ad tempus, volens tentare conſtantiam fidei tuæ, à petitionibus tuis non recedas. Sicut enim qui verè eſurit, tandiu petit cibum, donec impleat neceſſitatem corporis ſui, nec poteſt ceſſare, neceſſitas enim vrget, quia ſine cibo viuere non poteſt: Ita & qui verè deſiderat gratiam Dei ceſſare non poteſt à petendo, ſciens, quia ſaluus fieri non poteſt, ſine gratia Dei. Immò plus etiam oportet, paratum eſſe hominem ad orandum, quamuis nihil impetraret, quàm ad impetrandum, non tamen orando, Deo enim vniri, quod fit orando, maius bonum eſt, quàm aliud quodcumque bonum, quod orando, vel non orando poſſit obtinere. Ideò ſoror mea, iterum & iterum repeto, ora, pete, pulſa, ipſa ſiquidem oratione, qua mens tua in Deum eleuatur, & transformatur, eadem & beatificatur: Hoc enim eſt diſcrimen inter petitionem eleemoſynæ ab homine aliquo, & orationem, qua homo accedit ad Deum petens miſericordiam ipſius, quod petitio eleemoſynæ nullo modo pauperem reficit, nec ſatiat, nec ditat, nec ſanat; ſed cibus, & potus petitione acquiſitus. At ipſa petitio, & oratio, qua Deum ſitimus, Deum petimus, Deum toto corde exquirimus, cibat nos, reficit nos, roborat, ſanat, ditat, & cœleſti gaudio perfundit, vnde dixit aliquando Chriſtus Ieſus Beati Mechildi. Quando poſt me ingemiſcis, tu me tibi intrahis: Ecce quantumcumque res aliqua ſit vilis, & abiecta, vt eſt feſtuca eam homo ſola voluntate non acquirit, me verò quilibet voluntate aut gemitu vnico, habere poteſt. Quod ſi fortè ipſummet orare, aliquando tibi ſit difficillimum, & difficultatem iſtam per multum tem-

Digitized by Google

pus experta fueris, non propter hoc, animo deijciaris, nec ab orando deſiſtas, ſed quomodo potueris, ita ora. Vtere tu circa orationem conſilio S. Tobiæ circa eleemoſynam. Quomodo potueris, inquit, ita eſto miſericors: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Et dicas Deo tuo, vt etiam ipſe quomodo potuerit ita miſericors ſit, quia cum multum illi ſit, abundanter tribuet. Permittit autem Deus aliquando quandã impoſſibilitatem multo tẽpore dominari in homine (vt ait S. Vincentius Ferrerius de vita ſpiri.) vt homo diſcat humiliari, & non ex conſuetudine quadam, ſed ex toto corde Domino confiteatur, & dicat, omnia opera noſtra operatus es nobis, & cum Pſalmiſta, non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam: Quomodo enim poterit extolli de quocumque bono opere, qui non dicam centies, ſed millies eſt expertus ſuam impoſſibilitatem tam in magnis, quàm in paucis, & ſe nihil omnino poſſe, niſi ille dederit, qui dixit ſine me nihil poteſtis facere? Propterea ſoror mea, dum erudiris à Deo de infirmitate, & nihilitate tua, non deſperes, neque diffidas de virtute, & bonitate ſua, Bonum enim mihi dicit Dauid, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas: Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta, & occulta ſapientię tuæ manifeſtaſti mihi. Diligit enim Deus veritatem, qui eſt ipſa veritas, & vult vt nos etiam illam agnoſcamus, & diligamus. Non enim veritas Domini odium parit, ſed amorem, ideò beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Quid enim eſt, ſoror mea, quod magis te ad amorem inflammare poſſit, quàm dum ſeriò cogitas diuinam illam, & infallibilem veritatem adeò promptam, liberalem, & benignam ad largiendum tibi gratis innumerabilia, & ineffabilia dona, quæ vnquam potes ab ipſo petere, aut deſiderare? Hoc enim ipſo, quod ſic eum cogitas erga te benignum, & liberalem, nimio amoris feruore, te etiam ab ipſo diligi recognoſces. Ecquid enim hodie magis excitat ad amorem, quàm veraciter, & perfectè diligi, & amari? Hoc enim faciunt homines, quantumcumque crudeles, qui videlicet diligunt ſe amantes, quamquam erga ſuum Creatorem, inſtigante ſerpente antiquo, hoc negligunt adimplere. Cogita ergo, ſoror mea, quidquid velis, & inde Creatorem tuum, inuenies non modicam materiam dili-

diligendi: Accede ergo ad ipſum, & non fictè, ſed veraciter cogita de Deo tuo, quod ita ſimpliciter ipſe eſt vbi tu es, ſicut ipſe eſt in Cœlo Empyreo, & recogita te non tuum, ſed ſuum eſſe, nec dubites, quod quidquid non ad damnum, ſed ad ſalutem animæ tuæ ab eo petieris, ſimpliciter impetrabis. Hæc omnia ſunt certè maxima incentiua amoris. Quomodo enim non ſummè diliges illum, cuius es, & qui paratus eſt omnia tibi dare? Nonne amas multum illum, qui aliquid præſtat tibi? Nonne ergo ſuper omnia diligere debes eum, qui omnia, quæ poſſides dedit tibi? Qui tot, & tantis beneficijs te ditauit? Qui non ſolùm alia à ſe vel à te, ſed ſe, & te tribuit tibi ipſi? Si ergo te diligis, quomodo ergo ipſum, qui te fecit, non diligis? Tu te deſtruxiſti, & adhuc non deſinis deſtruere, & te amas; illum verò, qui te fecit, & refecit, conſtruxit, & reſtruxit, regulat, & conſeruat, non amas? Dic ergo Domino Deo tuo, Domine creatura tua ſum, & opus manuum tuarum, & mihi temetipſum negare non potes. Sed antequam procedas, hæc, quæ dixiſti, ſeriò meditare, & accenderis præ nimio ardore amoris. Quis enim amplius ſe valeat continere, quin omnibus oblitis in Deum ſuum ſe totum proijciat, & non per partes, cum ipſe Deus, qui eſt ſummum bonum gloria, & diuitiæ Angelorum, vita, & præmium Beatorum, ipſi homini peccatori miſero, infirmo, & corruptibili in tantùm, vt eius miſeriam nemo poſſit exprimere ſemetipſum præ nimia charitate non valeat denegare? Et quantumcunque homo ſit infirmus, & peccator, ſi tamen toto poſſe ad ipſum hoc modo ſe conuertit, & ipum conſtanter petierit, ipſum proculdubio poſſidebit? Hoc nos ipſe deſiderat petere, & largiri; dum inquit: Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Neſcio igitur quid amplius laboremus, cur nos quotidie affligamus, cum ipſum Creatorem omnium poſſidere tam fæliciter valeamus? Quid ergo amplius quærimus? ſi enim omne bonum poſſumus ſic de leui habere, cur nitimur vitam iſtam plenam cunctis miſerijs tam ſollicitè, & auidè poſſidere? O Domine Deus meus quid tibi boni fecimus, qui nobis indignis te ſummum bonum tribuis tam libenter? Nihil tibi confert ſi te habeamus, & tamen ſic nos intensè diligis, quod te eſſe nobiſcum delitias tuas eſſe dicis? Quare amantiſſime Domine, nos peccatores in tantùm diligis, vt libentiùs te ipſum

nobis tribuas, quàm aliquid aliud, quod petatur: certè nec ego volo de cætero aliud poſſidere ex quo debita petitione habere valeo te Deum meum. Ornabo me monilibus, & introducam te in thalamum cordis mei, & de cœtero ibi tecum dulciter requieſcam. Benè ſcio, quod nihil aliud ipſe petis, niſi intrare ad cor meum, & iam diutiùs eſt, quod pulſas; doleo valde quod tanto carui bono, dicam igitur; O dulciſſime Deus meus, ſcio pro certo & video manifeſtè, quod tu plus me diligis, quàm ego diligam memetipſum, quapropter de me amplius non curabo, ſed ſolùm tuis delitijs perenniter inhærebo, & tu mei curam habeto, non enim tibi, & mihi intendere ſimul poſſum; & ideò permittam te intendere infirmitati meæ maximæ, vt ipſam ſubleues manu forti; & ego intendam tuę ineffabili bonitati, vt fœliciter ſic delecter: Et quamuis ego tecum multum lucrer, & tu breuiter, nihil mecum, ſcio tamen, quod libentiùs mecum es, vt me promoueas, & conſerues, quàm ego tecum ſim, vt tua perfruar bonitate. Et vnde hoc, bone Domine? certè hoc eſt vt clerè video, quia ego meipſum ſummè odio habeo, ſed tu me diligis ſupra modum. Si enim vellem, amantiſſime Domine, diſcurrere per ſingula ſigna tuæ ardentiſſimæ charitatis, ſine dubio deficerem in narrando. Certè Domine Deus, etiamſi tu me ſimpliciter odiſſes, ego tamen ex quo tu es Deus meus & ſolus protector, & gubernator meus, & totum refugium meum ſupra omnes diligere te deberem: Quanto ergo magis hoc debeo, cum tu me ſummè diligas, & tuis beneficijs ſequaris me per deuia fugientem? Nam in tantum me diligis, vt te ipſum pro me videaris odiſſe, pati enim, & mori voluiſti Creator pro creatura, Deus pro homine, Pater pro filio, Dominus pro ſeruo, Magiſter pro diſcipulo; innocens pro reo, & Sanctus pro peccatore, iuſtus pro iniuſto, denique pius pro impio, & indigno. O Deus meus quid mihi amplius facere potuiſti? Certè ſi tot, & tanta mihi feciſſet vnus viliſſimus Ruſticus, ipſum toto affectu deberem diligere in æternum, & ego te non diligam Deus meus? Abſit, certè enim non dico ſanguinis effuſio, quæ tota plena eſt charitate, ſed ſolus tuus aſpectus deberet me in tuo amore totaliter inebriare, quantò ergo magis tua grauiſſima paſſio, ſic pænoſa? Certè, & clarè video, quod me totum voluiſti, dum mihi te totum ſic amorosè, & dulcorosè totaliter tribuiſti; & quis

requi-

Digitized by Google

requirebat hoc de manu tua, Domine mi? Cur tibi tanta cura fuit de tam viliſſima creatura? Certè nihil aliud, niſi tua nimia bonitas, & immenſa dilectio hoc egit: Nam ſi omninò redimere me volebas, aliter certè, quàm per mortem tuã me poteras redemiſſe, ſed ideò ſic me indignum redimere voluiſti, vt me in tuo amore amplius inflammares. O amor,& deſiderium cordis, ò dulcedo, & ſuauitas mentis, ò ardor, & inflammatio pectoris, ò lux, & claritas oculorum, ò aurium delectabilis ſymphonia, ò hoſtia odorifera Deo Patri, ò melliflua guſtatio fluxus ſanguinis, ò amabiliſſima palpatio lateris, ò dulciſſima oſculatio pedum, ò ſuauiſſima amplexatio brachiorum, ò ſalutifera contrectatio corporis, ò reuerenda inclinatio capitis, ò anima mea, ò vita mea, ò viſcera cordis mei, ò medulla oſſium, vegetatio carnium, organorum ſignificatio, intellectus inſpiratio, ò tota, & totalis delectatio, & exultatio mea, ſuauitas, & iucunditas mea, ſolatium, & tripudium meum, iubilus, & riſus meus, gaudium, & lætitia cordis mei, ò cur non ſum totus in tuo amore conuerſus, quare aliquid eſt in me, præter amorem? quomodo poſſum aliud loqui, poſſidere, appetere, vel meditari! Cur non ſum totus illaqueatus, & captus amore? Quid iucundiùs, quid ſtrictiùs vincit, & capit, quàm amor? O Deus meus vndique me tuus amor circumdat, & tamen neſcio quid ſit amor. Heu heu mihi, cur ſic inſenſibilis maneo ſine cauſa, cur vanitas, pluſquam veritas me abſtraxit, cur creaturæ iniquitas pluſquam Saluatoris, & Creatoris mei benignitas me allicuit? O cor durius lapide, ſiue ferro, ò cor iam non cor, cur non accenderis ex amore? Nonne hoc dixit Deus, quod auferet à nobis cor lapideum, & dabit cor carneum, ſed vtinam è conuerſo auferat carneum & tribuat lapideum, ex quo lapideum citius, quàm carneum immutatur: O cor duriſſimum cur ſic fortiter te diligentem non diligis toto poſſe? O crudeliſsimum cor, cur mortem diligis, pluſquam vitam? O cor, non cor, cur non te offers tam ſollicitè te quærenti? Cur non aperis ad te die noctuque lamentabiliter pulſanti? Cur in te non recipis tam dulciter te petentem? ò lapides, & ſaxa, & cæteræ creaturæ inſenſibiles flete vberius veſaniam cordis mei. Quare negligimus tantùm bonum ſic de facili obtinere? Nunquid hoc donum excellentiſsimum nobis largitor omnium bonorum poterit denegare, ſi hoc ab eo voluerimus

toto

Digitized by Google

toto corde cum inſtantia poſtulare? Certè non; de hoc enim te certificauit, ſicut potuit, quia non denegabit, ſed libentiſsimè tibi dabit. Si igitur obtinere ab eo volueris ſine repulſa hoc excellens, vel etiam aliud quodcumque donum, ad ipſum reuerenter accedas, nec inde recedas, ſed perenniter ibi quieſcas rogando eum inſtantiùs, & deuotè, vt ad vomitum non permittat amplius te redire; ſi ſic feceris ſoror mea, non dubito, quin ab eo lumine illuſtrata tuas miſerias recognoſces, & ſuper omnia te odio habebis, diuinam experieris bonitatem, & omnia mundi velut ſtercora abhorrebis, Et ſic tandem dignè,& me iſto immenſo amoris vinculo coniungeris inſeparabiliter ſoli Deo, Eia igitur benigniſsime Domine, qui mihi pauperculo dum nihil haberem quod tibi offerrem ex meo pręter peccata, gratis, & ſponte tua obtuliſti, & dediſti tot, tantoſque theſauros quorum memoriam feci, & conſcripſi, vt in theſauro cordis mei reponerem, nunc ex quo habeo tot theſauros meritorum, interceſsionum, promiſsionum, donationum, micarum prætioſiſsimarum, miſericordiarum, filiationis, fraternitatis, amicitiæ, coniugij, cum reliquis omnibus, quæ tu mihi largitus es, & ego nunc tibi offero,vt pro his omnibus retribuas mihi amorem tui, tu, qui me nec petentem, nec eſurientem, nec merentem, impleniſti tot bonis, ne me dimittas inanem, & vacuum amore tuo, charitate tua, dum illam nunc eſurio, ſitio peto, & pro emendo auro iſto ignito (quod à te emerem, tu ipſe me ſuaſiſti) offero tibi prætium ſummum, & excedens, iura optima, quę tu ipſe mihi dediſti. Ad quid enim valebunt mihi omnes iſti theſauri, ſi ex eorum omnium valore theſaurum hunc amoris tui mihi non poſſum comparare? Sed, ò Domine Deus, quando hoc erit? Nam tantùm differre mors mihi intollerabilis eſt; ſed etſi plus expectaueris, fortè deficiet cor meum. Nam anima mea Domine incipit iam langueſcere, & etiam quaſi ad nihilum redigor, deſiderans toto corde tuæ charitatis iaculo vulnerari. O Domine Deus meus, vbi quæſo eſt ſapientia tua? an fortè ignoras, quod melius eſt te habere creaturam vulneratam, quàm ad nihilum redactam? Ne ergo dulciſsime Ieſu tantùm differas me vulnerare, ne fortè multa dilatione amittas, quem tuo prætioſo ſanguine redemiſti. Curre Domine, curre velociter, & cor meum vulnera feſtinanter, ne fortè de me nihil

inuenias,

inuenias, ſi expectas. Heu heu Domine mi, quare me feciſti; ſi tibi capiti meo non ſum coniunctus? aut ſi ſum tecum coniunctus, cur non etiam ſum tecum vulneratus? Pro me enim tu Domine vulneratus es, non pro te, & tu vulnera portas, & non ego. Hoc verò non eſt æquum, vel iuſtum. Abſorbeat igitur, dulciſsime Ieſu mentem meam ignita, & melliflua vis amoris tui ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, & amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in Cruce mori. Amen.

***

Digitized by Google



Digitized by Google

EIVSDEM V. PATRIS FRATRIS
ALEXANDRI
A S. FRANCISCO.

SOLILOQVIA ANIMAE FIDELIS

AD IESVM CHRISTVM DVLCISSIMVM Redemptorem, & Agnum mitiſſimum, qui tollit peccata mundi, in quibus conqueritur quod tandiù differtur eius omnimoda, & perfecta ab omni culpa, & imperfectione ſanatio, quam ardentiſsimè deſiderat, & poſtulat.

HAEC Soliloquia, quæ continent quamdam paraphraſim Pſalmi 12. *ſcripſit, & compoſuit V. Pater Karanthoni vbi Magiſtrum Nouitiorum agebat anno* 1619. *antequam è Gallia Romam reuocaretur, occaſione longe, & moleſtæ infirmitatis, qua plurimis menſibus laborauit; ſummis deſiderijs, lachrymis, & ſuſpirijs per decem, & octo Soliloquia petit ab omni vel minima, & leuiſſima culpa liberari, ac dulciter cum amabiliſſimo Redemptore, ac Deo ſuo conqueritur, cur adeo differat percupitam, & tam continuè, & perardenter expetitam Gratiam concedere; ſibique per ſeptem alia Soliloquia ex ore Chriſti Ieſu reſpondet verba dulcedinis, & conſolationis plena. Satis ſuauia ſunt hæc Soliloquia, plurimumque ad deuotionem mouent, vt experientia ipſa probatum eſt, continentque præcipuam petitionem, qua ſumma Charitas Deo eximiè placere ſtudens, ac proinde magis quam ab inferno abhorrens à culpa, Deum amatum ſuum exorat, vt cæleſtem innocentiam elargiatur.*

SOLILOQVIVM PRIMVM.

VSquequo Domine Ieſu Chriſte dulciſſime Redemptor noſter, qui veniſti in hunc Mundum peccatores ſaluos facere, vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? Vſquequo auertis faciem tuam à me? Quam diù ponam conſilia in anima mea, te non amplius offendendi conſilia, quæ non poſſum ſtabilire, & ideo dolorem renouant in corde meo? Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſcilicet peccatum ſuper me? Reſpice, & exaudi me Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne amplius diſſimulem perſeuerans in culpis, & imperfectionibus meis vſque ad mortem, & tunc dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum, quem prius vita quàm culpa deſeruit. Ne des Domine hanc lætitiam inimicis meis. Ecce enim qui tribulant me exultabunt, ſi aliqua peccati illecebra motus fuero. Ego autem ſperaui in infinita miſericordia tua, & ſi nulla poſt hac amplius peccandi tentatione motum fuerit, exultabit cor meum, non in ſe ipſo ſibi attribuens victoriam, ſed in te ſalutari ſuo, cui cantabo quoniam bona tribuiſti mihi, & pſallam nomini tuo Altiſſime. Eia igitur benigniſſime Domine, Accellera, ſpolia detrahere, feſtina prædari, ecce enim donec omnino tibi ſubiecta fiat, turbata eſt valdè anima mea, ſed tu Domine vſquequò differs ſubiugare, vſquequò differs ſanare? Ecce in conſpectu boni Medici, & curare valentis aſſiſto, vulnera detego, præces emitto, dolores augeo, lachrymas effundo, Cur ergo diſſimulas, cum non minor ſit tibi potentia quàm voluntas? Scio quidem quod ab oculis tuis meis excludor meritis, ſed tamen minor ſum cunctis miſerationibus tuis. Si mihi indigno promiſiſti daturum te omne quod peterem, Cur mihi quamuis indigno negas, quod peto, ne te ſcilicet amplius offendam? Cur inquam indigno negas; quod indigno promiſiſti? At non negas, ſed differs; ſed hoc eſt quod peto Domine, ne differas me perfectè ſanare ab omni culpa, & ne amplius te offendam, Tu autem te daturum omnia quæ peterem, promiſiſti. Si in nullo erga me vis eſſe miſericors, cur omnia promittis? Si in aliquo, cur non in hoc, quod ſuper omnia à te peto, & tu ſuper omnia

à me

à me deſideras? Si nunquam es conceſſurus hoc mihi, vt in nullo quamuis minimo, te offendam, cur non excepiſti? Si aliquando, quare non modo?

SOLILOQVIVM II.

CErte Domine ſcio, & fateor, quia non es minus potens, & miſericors ad præſeruandum à peccatis futuris, quã ad ignoſcendum præterita. Si igitur in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ſuarum præteritarum, quantumuis maximarum, ac plurimarum non recordaris, cur in quacumque hora ingemiſcit peccator, & ad te clamat pro vitandis futuris peccatis, non ſtatim etiam exauditur? Video tamen, & ſcio, quia multa mea durities eſt ad tibi reſiſtendum, fortior tamen tu es ad vincendum, & tua voluntas fortior mea; ſiquidem audiui Domine, & credo quia in voluntate tua vniuerſa ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ. & ſicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu tua, ad quodcumque volueris, vertes illud; ſcio quod facilè eſt in oculis tuis honeſtare pauperem; ſcio Domine quia quando vis, in vno momento ex Saulo Paulum facis, ex Perſecutore Prædicatorem; ſi vis permittere me peccare, vt oſtendas deinde in me miſericordiam tuam à peccatis me extrahendo, & peccata ignoſcendo, maiorem certè bonitatem oſtendes me à peccatis præſeruando. Non ne Domine exiſtimabitur totum id mihi dimiſſum, quod non erit ex tua miſericordia commiſſum? Si Domine vis permittere me peccare, vt cognoſcam meam imbecillitatem, & miſeriam, & mihi me manifeſtes, an non reſtat omnipotentiæ, & ſapientiæ tuæ alia via, quâ mihi memet ipſum oſtendere poſsis, niſi peccare permittas? Non ne ſufficit Domine, vt cognoſcam me talis eſſe naturæ, vt ſine miſericordia tua à peccato immunis eſſe non valeo? Si hoc ſufficit, iam hoc cognoſco. Fateor enim Domine, quod ſine te nihil poſſum; Ne permittas me amplius peccare, vt hoc cognoſcam, & ſi hoc ſatis adhuc non intellexi, ad huc tibi Domine aliæ reſtant viæ, quibus me humiliare vſquequaque potes. Humillimam omnium feciſti matrem tuam, & tamen peccare non permiſiſti; Humillimum Præcurſorem tuum, & tamen ex vtero ſanctum, & innocentẽ tu feciſti: Humiles ſunt quos in gratia confirmas, & tamen peccare non ſinis.

SOLILOQVIVM III.

AT non mæreor, nec mæreri poſſum tantam gratiam, at Domine non peto illam, vt mihi debitam, ſed vt aliquid quod mihi ſupra omne meritum meum ex tua infinita miſericordia cōcedere potes, ſuperexaltat enim miſericordia iudicium. Non mærebar Domine, vt me creares, & tamen creaſti; non mærui vt me conſeruares, & tamen conſeruas; non mærui Domine, vt pro me de Cælis in terram deſcenderes; et tamen deſcendiſti; Non mærui Domine, vt pro me tot labores, tot iniurias, mortem denique crudeliſsimam ſuſtineres, & tamen ſuſtinuiſti. Qui igitur inimico tuo, qui non mærebatur, niſi infernum, tot tantaque beneficia, non ſolum ſupra omne meritum ipſius, ſed contra id, quod meritus erat ex tua benignitate contuliſti, cur hoc vnum illi negas, vt ſcilicet perfectum amicum facias, etiamſi hoc non mæreatur? Heu Domine ſi vis, non eſt quod te impediat, Dominus es, licet tibi facere quod vis. Velis Domine velis & fiat. Et quis eſt Domine, qui poſsit tibi dicere cur ita facis?

SOLILOQVIVM IV.

DOmine ſi vis potes me mundare. Tu dixiſti Domine, & facta ſunt, mandaſti, & creata ſunt: Et quis accuſabit aduerſus electos tuos? Si tu iuſtificas, & quis eſt qui condemnet? Si tu pro nobis, quis contra nos? At pertinet ad ſuauem diſpoſitionem vniuerſi, vt aliquas ex ijs creaturis, quæ peccare poſſunt, peccare ſinas, at præcor ne ſim ego ex illis, ſunt aliæ infinitæ in tua potentia; Neque tu vis vt petam à te adſcribi in numerum earum quæ te offendunt, vel ſunt offenſuræ; ſed potius tu docuiſti me petere à te, ne me inducas in tentationem; Et Sponſa tua Eccleſia Sancta, quæ regitur Spiritu tuo, orare nos inſtruit, vt dies noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari, non autem in grege reproborum. Quod ſi quamuis hanc gratiam mærere non poſſum, tamen vt illam mihi tribuas, aliquid ſaltem à me vis

exigere.

Digitized by Google

exigere. Et quid Domine pau pertas mea habet, vel habere poteſt, quod tibi tribuat, niſi prius illud à te accipiat? Quis prior Domine dedit tibi, & retribuetur ei? Si vis à me aliquid exigere, da mihi Domine illud, & tibi reddam. Si quid ad impetrandam tantam gratiam mihi patiendum eſt, ſi cruces, ſi labores, ſi tormenta, ſi ignominiæ, ſi perſecutiones, ſi mortes, ſi omnes inferni pęnæ ſuſtinendæ ſunt, veniant Domine, veniant obſecro ex tunc omnia iſta ſuper me ad tempus, vel in ſempiternum, ſi tibi placuerit, dummodò Domine te non offendam; Quidquid Domine omnipotentia tua facere poteſt, vt patiar, pati volo, & acquieſco, & eligo, & rogo, dummodo non permittas vt te offendam. Fac Domine de me quidquid tibi placuerit nunc & in æternum dummodo à tua ſanctiſsima voluntate me nunquam ſeparari permittas, quod non poſſum à mea obtinere, niſi prius illi donetur à tua.

SOLILOQVIVM V.

DEnique Domine ſi omnino ſtatuiſti non mihi hanc gratiam concedere niſi pro meritis, etiam Domine audacter offeram merita, offeram prętium, quod recuſare non potes. Et ſi enim ego illam non mæreor, labores tui, & tormenta, quæ pro me ſuſtinuiſti, pro me etiam illam mæruerunt. Et ſi ego non mærui, mæruit pro me ſanguis tuus, en clamat ad te de terra. Vide Domine ſi prætium, quod offero, æquiualet gratiæ, quam peto, vtinam Domine appenderetur vtrumque in ſtatera, longè enim excederet prætium, quod offero, gratiam quam peto. Si igitur tu dixiſti quod eadem menſura, qua menſi fuerimus remetietur nobis. En Domine offero tibi menſuram bonam confertam, coagitatam, ſupereffluentem, vitam ſcilicet tuam ſanctiſsimam, Paſsionem amariſsimam, Mortem crudeliſsimam, quam pro me ſuſtinuiſti. Retribue igitur ſeruo tuo, viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos. Certè Domine benignitas tua, & bonitas tua in infinitum excedit bonitatem, & benignitatem, quam vlli vnquā creaturæ contuliſti, Et profectò vt ego malus ſim, ſi tamen ita eſſet in mea poteſtate ſicut eſt in tua ſanctos facere peccatores, & in ſanctitate eos confirmare, & ſtabilire, certè nulli peccatori talem gratiam à me petenti denegarem; ſi ergo nos

cum

cum ſimus mali, nouimus bona data dare proximis noſtris cur non multo magis tu Pater noſter Cœleſtis dabis ſpiritum bonum petentibus te? Non ne tu Domine præcepiſti nobis in Scriptura ſacra, quod ſi eſurierit inimicus noſter, cibemus illum, ſi ſitierit, potum demus illi? En Domine ante te inimicus tuus, qui toties te offendit, & reſtitit voluntati tuæ, Ecce Domine coram te ſtat eſuriens ex gratia tua facere poſt hac in æternum voluntatem tuam, ciba illum; ſitit perfectiſſimè adimplere omnia mandata tua, potum da illi. Exuriens accedo, ne recedam impaſtus, cucurri in ſiti, prætium obtuli ſanguinem tuum prætioſiſſimum, quem pro me effudiſti, vt pro ſanguine detur mihi aqua viua ſaliens in vitam æternam. Ne cogites igitur prætium meum repellere, & ne deneges aquam pro ſanguine tu, qui ipſum ſanguinem dediſti noſtræ ſalutis prætium.

SOLILOQVIVM VI.

NE ſis Domine minus miſericors nunc rediuiuus, quam fuiſti mortuus, ſi quidem mortuus percutienti lancea latus tuum inimico tuo ſanguinem, & aquam fudiſti, quibus illi ſanitatem quam non petebat reſtituiſti; Quomodo Domine fons iſte ſaluberrimus detinet modo apertus aquas, quas clauſus cohibere non potuit? At nemini tu quidem denegas aquas, qui das omnibus affluenter, & non improperas, & pluis ſuper bonos, & malos, ſed qui vult eas perſeueranter recipere, debet & perſeueranter petere; Qui vult iugiter ſpiritum attrahere, debet & iugiter os aperire, oportet namque ſemper orare, & numquam deficere. Benè Domine, ſed nos quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſpiritus autem tuus poſtulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus faciat Domine quæſo, me ſemper poſtulare, quod à te accipere ſemper indigeo. Si ad hoc vt à te continuè recipiam optatiſſimam hanc gratiam, qua te non offendam, continuè petendum mihi eſt, fac me Domine ſemper petere, fac me ſemper, ſicut oportet, orare. Ego enim nec inuocare dulciſſimum, & ſalutiferum nomen tuum Ieſu, niſi in Spiritu Sancto poſſum; Tibi autem facillimum eſt, ſicut & omne aliud donum, ita & hoc mihi præſtare. Ne igitur mihi Domine ita facilè deneges,

ges, quod mihi tam facilè concedere potes, tu quì etiam tam difficilia, & intollerabilia pro me ſuſtinuiſti. Et quid enim Domine tibi minus erit, poſtquam totum, quod à te peto, mihi conceſſeris? Vide Domine quod nihil de tuis diuitijs minuendo, paupertatem meam ſubleuare potes. Quamuis etiam ſi vt ego ditarer, te pauperem fieri oporteret, neq; ſic diffiderem à te impetrare diuitias, quas peto, quì iam ſemel pro me, cum eſſes diues, egenus factus es, vt inopia tua ego diteſcerem. Eja igitur ſuauiſſime Domine, ne mihi diuitias deneges, quas mihi inopia tua, & ſudore iam comparaſti. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum illas recipere, deſiderat illas, exquirit illas, nec enim alias à te diuitias peto niſi vt cuſtodiam mandata tua, quæ dilexi ſuper aurum, & topazion: Dentur Domine alijs, quibus malueris conſolationes, honores, & alia quæcumque bona, detur alij ſermo ſapientiæ alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpetratio ſermonum. Portio mea Domine dixi cuſtodire legem tuam. Quid enim ſi alia mihi dona concedas, & hoc mihi deneges? Quid mihi alia prodeſſe poſſunt, Vnum hoc ſi negatur?

SOLILOQVIVM VII.

Vide Domine, & conſidera, quod omnia alia beneficia, quæ à te accepi, vel à te ſum accepturus, in malum meum conuertentur, niſi cum alijs ſimul etiam hoc mihi præſtes, quod eſt cuſtodire legem tuam. Quid enim mihi proderit Domine, quod natus ſum, quod me conſeruas, quod pro me de Cœlis in terram deſcendiſti, & ſanguinem tuum prætioſum pro mea redemptione fudiſti, quod Eccleſiæ filium feciſti, quod è Mundo, è medio Babilonis euocaſti, & in domum ſanctam ſcilicet Religionem introduxiſti, quod tot inſpirationibus, tot exemplis, tot monitionibus me ad perfectionem excitaſti? Quid inquam hæc omnia mihi proderunt, ſi nunquam ceſſem te offendere? fac igitur Domine ne te offendam, adde hoc vnum beneficium innumeris alijs, quæ mihi contuliſti. Vnum adde, ne tam multa pereant, cui contuliſti innumera, ne pigeat adhuc vnum conferre: Innumera contu-

cum ſimus mali, nouimus bona data dare proximis noſtris cur non multo magis tu Pater noſter Cœleſtis dabis ſpiritum bonum petentibus te? Non ne tu Domine præcepiſti nobis in Scriptura ſacra, quod ſi eſurierit inimicus noſter, cibemus illum, ſi ſitierit, potum demus illi? En Domine ante te inimicus tuus, qui toties te offendit, & reſtitit voluntati tuæ, Ecce Domine coram te ſtat eſuriens ex gratia tua facere poſt hac in æternum voluntatem tuam, ciba illum; ſitit perfectiſſimè adimplere omnia mandata tua, potum da illi. Exuriens accedo, ne recedam impaſtus, cucurri in ſiti, prætium obtuli ſanguinem tuum prætioſiſſimum, quem pro me effudiſti, vt pro ſanguine detur mihi aqua viua ſaliens in vitam æternam. Ne cogites igitur prætium meum repellere, & ne deneges aquam pro ſanguine tu, qui ipſum ſanguinem dediſti noſtræ ſalutis prætium.

SOLILOQVIVM VI.

NE ſis Domine minus miſericors nunc rediuiuus, quam fuiſti mortuus, ſi quidem mortuus percutienti lancea latus tuum inimico tuo ſanguinem, & aquam fudiſti, quibus illi ſanitatem quam non petebat reſtituiſti; Quomodo Domine fons iſte ſaluberrimus detinet modo apertus aquas, quas clauſus cohibere non potuit? At nemini tu quidem denegas aquas, qui das omnibus affluenter, & non improperas, & pluis ſuper bonos, & malos, ſed qui vult eas perſeueranter recipere, debet & perſeueranter petere; Qui vult iugiter ſpiritum attrahere, debet & iugiter os aperire, oportet namque ſemper orare, & numquam deficere. Benè Domine, ſed nos quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſpiritus autem tuus poſtulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus faciat Domine quæſo, me ſemper poſtulare, quod à te accipere ſemper indigeo. Si ad hoc vt à te continuè recipiam optatiſſimam hanc gratiam, qua te non offendam, continuè petendum mihi eſt, fac me Domine ſemper petere, fac me ſemper, ſicut oportet, orare. Ego enim nec inuocare dulciſſimum, & ſaluiferum nomen tuum Ieſu, niſi in Spiritu Sancto poſſum; Tibi autem facillimum eſt, ſicut & omne aliud donum, ita & hoc mihi præſtare. Ne igitur mihi Domine ita facilè deneges,

Digitized by Google

ges, quod mihi tam facilè concedere potes, tu quì etiam tam difficilia, & intollerabilia pro me ſuſtinuiſti. Et quid enim Domine tibi minus erit, poſtquam totum, quod à te peto, mihi conceſſeris? Vide Domine quod nihil de tuis diuitijs minuendo, paupertatem meam ſubleuare potes. Quamuis etiam ſi vt ego ditarer, te pauperem fieri oporteret, neq; ſic diffiderem à te impetrare diuitias, quas peto, qui iam ſemel pro me, cum eſſes diues, egenus factus es, vt inopia tua ego diteſcerem. *Eja igitur* ſuauiſſime Domine, ne mihi diuitias deneges, quas mihi inopia tua, & ſudore iam comparaſti. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum illas recipere, deſiderat illas, exquirit illas, nec enim alias à te diuitias peto niſi vt cuſtodiam mandata tua, quæ dilexi ſuper aurum, & topazion: Dentur Domine alijs, quibus malueris conſolationes, honores, & alia quæcumque bona, detur alij ſermo ſapientiæ alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Portio mea Domine dixi cuſtodire legem tuam. Quid enim ſi alia mihi dona concedas, & hoc mihi deneges? Quid mihi alia prodeſſe poſſunt, Vnum hoc ſi negatur?

SOLILOQVIVM VII.

Vide Domine, & conſidera, quod omnia alia beneficia, quæ à te accepi, vel à te ſum accepturus, in malum meum conuertentur, niſi cum alijs ſimul etiam hoc mihi præſtes, quod eſt cuſtodire legem tuam. Quid enim mihi proderit Domine, quod natus ſum, quod me conſeruas, quod pro me de Cœlis in terram deſcendiſti, & ſanguinem tuum prætioſum pro mea redemptione fudiſti, quod Eccleſiæ filium feciſti, quod è Mundo, è medio Babilonis euocaſti, & in domum ſanctam ſcilicet Religionem introduxiſti, quod tot inſpirationibus, tot exemplis, tot monitionibus me ad perfectionem excitaſti? Quid inquam hæc omnia mihi proderunt, ſi nunquam ceſſem te offendere? fac igitur Domine ne te offendam, adde hoc vnum beneficium innumeris alijs, quæ mihi contuliſti. Vnum adde, ne tam multa pereant, cui contuliſti innumera, ne pigeat adhuc vnum conferre: Innumera contu-

contuliſti non petenti, ne deneges vnum obſecranti: expediens fuit Domine, vt tu vnus moreceris pro populo, ne tota gens periret, cur non expediens erit, vt ei adhuc vnum beneficium addas, ne tota multitudo beneficiorum pereat? Certè melius illi erat, ſi natus non fuiſſet homo ille, qui te tradidit. Et Eccleſia Sancta tua nos docet, quod nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet. Et quæ vtilitas Domine in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis aut annunciabit veritatem tuam? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis? Et quid vtilitatis tibi proueniet permittendo me pro mea libertate in peccata labi? fortè quia me puniendo oſtendes in me iuſtitiam tuam? ſed quid tibi Domine vtilitatis affert iſta oſtenſio? nullam tu de manu noſtra accipere vtilitatem, vel detrimentum potes; At vtilis erit electis tuis; ſuſtines enim in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtendas diuitias gloriæ tuæ in vaſa miſericordiæ, quæ oſtenſio, & in electorum tuorum lætitiam & in tuam cedit honorem ac gloriam. Lætabitur enim iuſtus cum viderit vindictam, & Sancti tui benedicent te, gloriam Regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.

SOLILOQVIVM VIII.

IVſtus es tu Domine verumtamen iuſta loquar ad te: Nunquid illum patietur bonitas tua eſſe vas iræ,qui perſeuerãter pièque confugiet ad benignitatem tuam? Non ne tu Domine ſuauis es, mitis, & multæ miſæricordię omnibus inuocantibus te? Non ne omnis quicumque inuocauerit nomen tuum ſaluus erit? Verum eſt Domine quod ſicut figulus potes facere de luto tuo vas in honorem, potes & in contumeliam, nec poſſum tibi dicere cur ita facis? Sed non poteſt ſuſtinere bonitas tua vas eſſe contumeliæ,& iræ, quem facit perſeueranter poſtulare miſericordiam tuam. Propè enim es tu Domine omnibus inuocantibus te, omnibus inuocantibus te in veritate. Veniat igitur quæſo Domine,veniat petitio mea, veniat ne amplius ſi placet differas implere deſiderium meũ, iam nimis multum eſt Domine, ex quo te offendo, ſufficiat tandiù meam impleuiſſe voluntatem, fac me iam tibi ſoli adhærere

Digitized by Google

hærere, tibi ſemper obſequi. Vt quid enim viuo Domine ſi tibi non ſeruio? Perdit quod viuit, qui te Deum non diligit dicebat ſeruus tuus Auguſtinus. Heu mihi Domine quandiu perdidi quod vixi? Tædet iam animam meam vitæ meæ nec cupit amplius viuere, ſi adhuc amplius te eſt offenſura, ſed tu ſuauiſſime Ieſu dans tempus acceptabile, & pœnitens cor tribue, conuertat vt benignitas, quem longa ſuffert pietas: ſi non tandiù petij gratiam iſtam, quandiu poſtulari mæretur, ſuppleat Domine infinita miſericordia tua, quod non ſatis adhuc promæretur petitio mea.

SOLILOQVIVM IX.

EN igitur benigniſſime Domine reſigno in manus tuas quidquid à te habeo, corpus meum, ſingula membra, ſenſus internos, & externos, memoriam, intellectum, & omnes facultates meas; Vtere illis nunc, & ſemper ad tuum beneplacitum, in manu tua ſunt de illis diſponere, ſicut tibi placuerit, totum ius, quod mihi ſuper eas conceſſiſti, tibi ipſi renuntio: ſi requiris Domine conſenſum meum, ſum planè contentus, vt nulla ex facultatibus corporis, vel animæ meæ obediat amplius voluntati meæ, ſed tuæ, & ita ſi quando vides Domine, quod voluntas mea vult illas applicare ad ea, quæ non ſunt ſecundum cor tuum, vel renuit applicare ad ea, quæ ſunt voluntatis tuæ, non ſolùm acquieſco, & conſentio; ſed etiam rogo, vt non reſpicias quid placeat, vel non placeat voluntati meæ, ſed applica tu eas omnes ad omnia, quæ vis, & retrahe à quibuſcumque vis ſicut potes infinita virtute tua, vt in nullo omninò ſeruiant voluntati meæ, quod poſſit diſplicere voluntati tuæ. Sit igitur hoc Domine iam ſtabilitum inter nos in æternum. Suſcipe quæſo ſub directione, & dominio tuo, omnia hæc, quæ prius mihi largita eſt bonitas tua, & in quibus nullam reperies contradictionẽ, quidquid de illis egeris, non enim habeant velle vel nolle; ſed vt bene noui, non eſt hoc tibi ſatis, vis enim vna cum alijs potentijs, & facultatibus corporis, & animæ meæ, etiam ipſa tibi ſubdatur voluntas mea; Non ſufficit enim, vt cætera omnia tibi ſubijciat, & tradat, quæ tu prius illi tradidiſti, & ſubiecisti, ſed quod præſertim requiris eſt, vt & ipſamet tibi pœnitus ſubdatur, & ſubijciatur.

SOLILOQVIVM X.

EN igitur Domine offero tibi & ipſam voluntatem meam, & in manus omnipotentiæ tuæ, voluntatis tuæ illam penitus trado & reſigno. Fac Domine ex illa, & in illa, & per illam, & circa illam quidquid facere potes & vis, nunc & in æternum, ſit iucundum, vel moleſtum, dulce, vel amarum, dummodo gratia tua ſubditam illam teneas voluntati tuæ, & nullo vnquam momento ab ea ſeparari permittas. Quamuis enim niſi efficacis gratiæ tuæ auxilio roboretur, iugum tuum, & ſi ſuaue à ſe excutiet, eo tamen roboratam, ſcio Domine & certus ſum penitus ſe tibi dedituram, & ſubdituram. Huiuſmodi auxilium à te humiliter Domine toto cordis mei deſiderio peto, & exquiro à te, qui nihil te negaturum promiſiſti ex his, quæ nobis non ſolùm neceſſaria, ſed etiam vtilia fore nt ad ſalutem, à te qui excedis abundantia pietatis tuæ & merita ſupplicum & vota ſicut nos docet Eccleſia Sancta Sponſa tua. En ſupplex deſidero, & ſi non mœreor à te impetrare tantam gratiam, qua nunquam in poſterum te offendam. Excedat igitur Domine Ieſu abundantia pietatis tuę deſiderium meum, ſicut excedit meritum. Corripe me Domine & caſtiga nunc, & per totam æternitatem, quam grauiter tibi placuerit pro peccatis meis præteritis, quibus irritaui iram tuam, in hoc vno tantùm præcor, vt ſis erga me miſericors, vt ita peccata mea, quæ iam feci punias, vt amplius peccare non ſinas; quod factum eſt, infectum fieri non poteſt, diſplicet mihi quod peccaui, peto veniam de culpa, pœnam quantumuis grauem non recuſo, vnum tantùm peto ne ſcilicet peccatum ſit pœna peccati. Certè Domine tu qui numeras multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocas, admirabili ſcientia tua cognoſcis, & numerum, & grauitatem omnium peccatorum quæ vnquam eſſem facturus. Præcor Domine caſtiga me quantum pro illis omnibus caſtigare mœrerer, ſi iam actu illam commiſiſſem, ſed ne quæſo in ea me prolabi permittas.

SOLILO-

Digitized by Google

SOLILOQVIVM XI.

SEd video Domine, & fateor, quod adhuc hoc totum, quod tibi proponit ex tua inſpiratione fragilitas mea, non eſt tale, quod poſſit à te promæreri, quod peto, vel cogere te valeat ad dandum quod exquiro. Quid faciam igitur dulciſſime Domine? video puteum altiſſimum gratiarum tuarum; Video abyſſum miſericordiarum tuarum, & in ea video contineri gratiam, & miſericordiam, quam ſitit, & anhelat anima mea. Puteus quidem altus eſt, ſed in quo hauriam non habeo, nec eſt vlla ſpes hauriendi, niſi tu miſericorditer velis illam mihi donare. Non eſt Domine, non eſt, qui poſſit complere deſiderium meum niſi tu Deus meus. Tu ſolus Domine, ſi vis, potes me mundare & quare non mundabis, qui pro me mundabo balneum mihi ex ſanguine tuo iam præparaſti? Vt quid enim effundere te ipſum, ſicut aquam pro me ſanando, & nolle mihi ſanitatem tribuere volenti accipere, imo petenti, & obſecranti ex gratia tua? Certè non poteſt hoc ſentire de bonitate tua anima mea: Voluiſti Domine aliquando ſanitatem reddere homini triginta & octo annos habenti in infirmitate ſua; Petijſti tantum, an vellet ſanus fieri, & ſtatim ſanus factus eſt homo ille acceptās beneficium, quod offerebas: ſi ſolùm acceptans ſanitatem, ſanus factus eſt, cur non erit petens & exquirens? Certè audire mihi videor dulciſſimam vocem tuam de cœlo dicentem etiam mihi ſimilia verba. Vis ſanus fieri? Vis vt tibi dem tantam gratiam, qua non amplius in poſterum me offendas? Vis vt te præſeruem ab omni peccato? Cui ſuauiſſimæ voci reſpondens dico, Domine tu ſcis, quod verè volo, velis & tu concedere, & ſtatim ſanus fiet ſeruus tuus, iam nimium multos annos habens in infirmitate ſua, & in accepta ſanitate ex tua miſericordia ſemper perſeuerabit. Et ſi ego Domine volo, & conſentio accipere à te hoc beneficium, vt ſcilicet facias, vt in poſterum amplius te non offendam, quomodo poteſt eſſe, vt tu nolis hoc mihi dare? Non ne Domine tu diligis plus me, quam ego diligo me ipſum? Si igitur vt parum me diligam, ſaltem tantùm me diligo, vt velim à te hoc donum recipere, tu non me tantùm diliges, vt illud mihi velis donare?

SOLILOQVIVM XII.

CErtè plus amoris requiritur ad patiendum quam ad agẽdum aliquid pro Amico. Qui igitur tantum amaſti ſeruum tuum, vt pro eo non dubitaueris manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum, cur eundem non tantum amabis, vt pro eo vnum quod petit, & tibi placet facere nolis? Immo quem etiam nunc ita amas, vt ſi pro eo à peccatis liberando neceſſe foret iterum te crucifigi, iterum paratus eſſes Crucem ſubire, cur igitur non facies ſine labore, quod paratus es facere cum tanto dolore? Nec enim eſt quod te impediat, ſi velis Domine me liberare, non dæmones, non Mundus, non caro, non vita, & malæ habitudines, ſed nec ipſa libertas, quam conceſſiſti voluntati meæ, quæ tam abundanti auxilio gratiæ tuæ adiuuari poteſt, vt nunquam peccato conſentiat, quamuis culpa ſua dum ſufficienter à te adiuuatur, corruat, & pereat; Perditio enim mea ex me, in te tantummodo ſalus mea, & ſi habes in me vnde damnare potes, habes in te vnde ſaluare ſoles, quia apud te propitiatio eſt, & copioſa apud te redemptio. Non enim ſolùm veniſti in hunc Mundũ vocare, ſed & ſaluos facere peccatores, peccatores inquam, ſcilicet, quibus iam dederas poſſe, & tamen nolebant facere voluntatem tuam, ad hos inquam veniſti, vt quibus dederas poſſe, dares & velle. Poterant Apoſtoli te non relicto non fugere, ſi non defuiſſent gratiæ tuæ, Poterat & Petrus te non negare, quod non fecerunt; Iidem tamen repleti Spiritu Sancto loquebantur cum fiducia verbum tuum, & ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine tuo contumeliam pati. Emitte Domine ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Scio enim quod quãuis cor meum lapideum ſit, tu potens es de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Nec rem peto, quæ non ſit conformis appetitui tuo, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, & qui quæris in omnibus rebus gloriam tuam. Non enim mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum, ſed nos, qui viuimus benedicimus Domino ex hoc nunc, & vſq; in ſæculum. Ergo Domine ſaluũ me fac, & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Dñi.

SOLILO-

SOLILOQVIVM XIII.

CAeterum ſuauiſſime, benigniſſime, iuſtiſsime, & ſapientiſsime Domine hæc omnia coram te,& ad te loqui auſa eſt afflicta nimis anima mea, non proprio amore ducta, nec aliquid habens, quod de te conquæratur, à quo maximum beneficium etiam reputat omni momento accipere,quod in infernum non detruditur, ſed præceptis ſalutaribus monita, & diuina inſtitutione formata. Scit enim, quod quamuis te offendat, adeo tamen bonus es, vt gratiſsimum tibi ſit, quod etiam inimici tui poſtulent à te miſericordiam tuam,& amicitiam tuam, imò & tu ipſe eos ad hoc inuitas, & docuiſti nos peccatores miſerrimos petere à te, vt dimittas nobis debita noſtra & ne ſinas amplius cadere in tentationem, ſed liberes ab omni malo. Quamuis igitur in alijs rebus tibi obediens non ſum, ſaltem in hoc tibi obtemperare volo, ſcilicet in continua quadam petitione, vt me obedientem tibi per omnia facias, & doceas me facere voluntatem tuam, vt ſi in cæteris tibi diſpliceo, ſaltem in hoc aliquatenus placeam, & per hoc quod tibi placet, & gratum eſt obtineam liberari ab eo quod tibi diſplicet, & ingratum eſt: Neque enim aliud promittere poſſum de infirma valde voluntate mea; niſi quod illud perficiet & præſtabit infinita potentia, & miſericordia tua; ſed quæſo pijſsime Domine, vide ſi nullum ſit inconueniens in hoc, quod non amplius differas mihi tam deſideratam gratiam concedere. Quam fœlix enim eſſem ſi ex nunc audire mererer, fiat tibi ſicut vis, non amplius peccabis; Certè auditui meo dares gaudium, & lætitiam, & exultarent oſſa humiliata. Sed ſi adhuc expectandum mihi eſt, vt à te recipiã quod peto,& adhuc culpa mea te ſum offenſurus,ò quam infelix erit pro me hora illa, momentum illud in quo id fiet! Vtinam placeret diuinæ pietati tuę in æternum omnium tormentorum potius, quàm in illud momentum me deuenire. Certè ſi tibi placet hoc mihi concedere, ex nunc Domine acquieſco & aſſentior. Præopto enim magis ſubijci per totã æternitatem omnibus tormentis, quàm vno momento ſeruũ eſſe peccati: ſed ſi hoc mihi acciderit, neq. ſic deſperabo, ſicut Apoſtolus tuus dilectus nos docuit;& ſi peccauerimus aduocatũ habemus apud Patrẽ te iuſte, & mitiſsime Ieſu Chriſte.

SOLILO-

SOLILOQVIVM XIV.

ET quamuis ſit mihi grauiſsimum, & acerbiſsimum te vel leuiter offendere, conſolabor tamen de bonis, quæ infinita ſapientia, & prouidentia tua etiam ex peccatis noſtris deducere nouit. Tu enim adeo bonus es, vt nullum malum permittas, niſi vt indè elicias aliquod maius bonum, & mauis de malis bona facere, quæ mala nulla eſſe permittere. Tu enim Deus noſter ſuauis, & verus es, patiens, & in miſericordia diſponens omnia. Etiam ſi peccauerimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam, & ſi non peccauerimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati. Noſse enim te conſumata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam, & virtutem tuam radix eſt immortalitatis. Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur, ſiue enim viuimus, tibi Domine viuimus, ſiue morimur, tibi morimur, ſiue ergo morimur, ſiue viuimus, tui ſumus, omnia propter te metipſum operatus, impium quoq; in diem malum. Ecce igitur ſubmitto me Domine ordinationi tuæ, da mihi quidquid volueris, & fac mecum ſecundũ gratiſsimam voluntatem tuam; da quod iubes, & iube quod vis, aut potius da quod vis, & iube quod vis, fiatq; in omnibus voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra: Neq. peterem gratiam, quam peto, niſi certus eſſem te velle vt peterem, neque intẽdo in hoc vllo pacto ſatisfacere voluntati meę, ſed voluntati tuæ. Ità & te deprecor Domine ne exaudias in hoc volũtatem meam poſtulantem, ſed voluntatem tuam facientem me poſtulare non propter me, ſed propter te metipſum fac Domine; Vt quid enim facis poſtulare, quod non vis donare? oportet igitur vt dones, quod facis vt poſtuletur, fidelis es enim, qui non dicam aliquid minus te, ſed te ipſum negare non potes, & ſic credere oportet accedentem ad te, quia es, & inquirentibus te remunerator ſis; Quod ſi Pater tuus tibi ipſi filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit te, quomodo non & tecum omnia nobis donauit? Tu enim dulciſsime Ieſu, tu es Puer, qui natus es nobis, & filius, qui datus es nobis, tu es Deus Deus noſter. [illegible]

SOLILOQVIVM XV.

SI igitur ſuauiſsime Domine tu te feciſti meum,conſequenter etiam & voluntatem tuã feciſti meam, voluntas enim tua eſt tua eſſentia, ſi autem voluntas tua mea eſt, ergo oportet, vt quod ego volo,& tu velis; ſed ego volo, vt me ab omni peccato liberum conſerues, ergo & tu idem velis oportet, qui ex miſericordia tua te metipſum mihi donando factus es meus. Faciam igitur vt ſpero in poſterum ò Domine ex gratia tua voluntatem tuam in æternum. Nec enim credere omnino poſſum, quod velis eſſe meus, & quod velis hoc mihi negare. Confitebor igitur tibi in ſæculum, quia feciſti te meũ, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum. Cur iterum non credam, quod tu ipſe vis, vt ego credam? Et quæ nam maior ratio reperiri poteſt ad credendum aliquid quam velle te vt id credamus? At tu vis, vt credamus nos accepturos omnia, quę orantes petierimus; Tu enim *dixiſti*, omnia quæcumque orantes petitis,credite quia accipietis, & euenient nobis: Quare igitur non credam? Si enim credo, quod es Deus cum Patre,& Spiritu Sancto, quod factus es homo propter noſtram ſalutem, quod es, poſt verba conſecrationis, ſub ſpeciebus panis, & vini, quia tu præcepiſti vt id crederemus: Cur cum iubes etiam, vt credamus nos accepturos, quæ petimus orantes ad hoc, vt quæ petimus eueniant nobis, cur inquam non etiam & hoc credã, redigens in captiuitatem intellectum meum in obſequium tuum? Tu enim vis, vt ſi quis noſtrum indiget ſapientia, poſtulet à te, qui das omnibus affluenter, & non improperas,& dabitur ei; Vis autem vt poſtulet in fide nihil hæſitans. Cum igitur velis, vt nihil hæſitem,cur dubitabo? Cur tibi non obtemperabo in re tibi gratiſsima, mihique vtiliſsima? ſi vis vt petam à te ſapientiam, & vis vt petens credam me accepturum, cur non petam, & petens non credam me conſecuturum? Certè ego ſum miſerrimus peccator, & tamen credo, quod pro me à peccatis liberando ſanguinem fudiſti,& Crucem ſubijſti, cur igitur quamuis ſim miſerrimus peccator, non etiam credam quod mihi petenti concedes, vt à peccato ſim ſemper liber, & ab omni perturbatione ſecurus temetipſo

præci-

Digitized by Google

præcipiente, vt hoc petam, & vt petens credam me accepturum? Certè quantum conſequi valet humana ratio, quamuis omnia tibi facillima ſint, tamen ex natura rei difficilius videbatur, quod pro ſalute peccatoris te Deum verum, Aeternique Patris Filium Cruci affigi fineres, quam quod pro ſalute peccatoris iam Cruci affixus eidem ſalutem poſtulanti eſſes conceſſurus. Qui igitur primum factum iam certo ſcio futurum & aliud quomodo dubitabo?

SOLILOQVIVM XVI.

PRofectò ſi certò ſcirem, quod tu, qui es ad dexteram Patris, qui etiam interpellas pro nobis peteres aliquid pro mea ſalute à Patre tuo, non ne etiam certus omnino eſſem me illud obtenturum, ſicut certum etiam eſt, quod Pater tuus nihil tibi negabit? ergo confidere etiam debeo me conſecuturum, pro ſalute mea à Patre tuo in nomine tuo, quod peto; Dum enim peto in nomine tuo, non ſum ego principaliter, qui peto, ſed tu, qui per me petis, & pro me petis. Tu enim benigniſsime Domine hanc mihi poteſtatem inter alia immenſa, & innumera beneficia conceſsiſti, vt nomine tuo poſſem petere, quæ ad ſalutem meam ſpectant, à Patre tuo, dixiſti enim. Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis: Quis igitur reſtat amplius dubitandi locus; an ſim accepturus id, quod vis, vt petam à Patre tuo nomine tuo? O Ieſu nomen dulce, nomen ſuper omne nomen amandum, & venerandum! Beatus vir, cuius eſt nomen tuum Domine ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. Hoc eſt, credo, nomen illud, de quo Propheta tuus dicebat, Domine nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Hoc eſt nomen, in quo omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hoc eſt nomen de quo tu ipſe dixiſti In nomine meo dęmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, et ſi mortiferum quid bibent, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent & bene habebunt. Dum igitur ex liberalitate, & benignitate tua, vti mihi licet nomine iſto in petitionibus meis, num tanto nomine munitum, & ſubſcriptum memoriale vacuum remittetur? Et ſi Pater tuus dabit nobis ſi quid illum petierimus

nomine

Digitized by Google

nomine tuo, num ſi quid à te ipſo poſtulemus in eodem nomine tuo fortè negabis? non ne tu et Pater tuus vnum eſtis? Adiuua igitur nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos,& propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

SOLILOQVIVM XVII,

O Ieſu eſto mihi Ieſus propter nomen tuum Ieſu; ſic enim vocatum eſt nomen tuum, quia ſaluum facis populum tuum à peccatis eorum. Igitur propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim. Cur enim Domine non tollis à me, quod adeo tibi diſplicet in me? Si tanto odio proſequeris peccatum, vt propter illud deſtruendum tam dira tormenta pati volueris, Ecce Domine in tua poteſtate eſt facere, ne amplius peccem. Fac igitur Domine cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam tuam,& iuſtificationes tuas doce me. Conſidera Domine quantum iam impendiſti, quam magnum prætium iam ſoluiſti, vt à peccato me redimeres. Reſpice labores, reſpice opprobria,reſpice flagella, reſpice Crucem, quam pati iam voluiſti; non reſtat niſi vt vnicum adhuc verbum dicas; Tantùm enim dic verbo; & ſanabitur anima mea. Num vnicum adhuc verbum pro amore meo non dices, qui amore mei tàm multa iam feciſti, & ſuſtinuiſti? An fortè pœnitet te Domine, quod pro me factus ſis homo, quod triginta tres annos pro mea ſalute laboraueris, quod denique te ipſum pro mea reconciliatione in ara Crucis hoſtiam obtuleris Deo Patri? Profectò iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Exerce igitur Domine munus tuum, fac id, propter quod in hunc Mundum veniſti. Si te in Crucē adegit deſiderium me tibi reconciliandi; Fiat Domine pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Ne quæſo ſit amplius iurgium inter te, & me; Fratres enim ſumus, ecce in manibus tuis eſt impedire iniurias omnes, quas tibi facere poſſum: Cur non tueris Domine honorem tuum?Cur non impedit infinita virtus tua, quod fit contra voluntatem tuam? ſi me inuito præſtare hoc tibi nō placet, non ſum ego iā inuitus ex gratia tua,imò propter hoc ad te clamo, ad te ſuſpiro, hoc eſt totum deſiderium meū,vt impedias me, ne offendā te.

SOLILOQVIVM XVIII.

Certè Domine qui te offendit, offendit & Patrem tuum; negabis igitur mihi auxilium tuum efficaciſſimū, quod peto ad euitandas iniurias Patris tui? Totum enim auxilium, quod mihi ad hoc præſtare potes, totum Domine à te peto: non enim precor adiuuari à te ad faciendam voluntatem meã, ſed ſolùm ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas, & vt inclines cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam, ecce enim concupiui, & ſi non adimpleui mandata tua, ideo & tu in æquitate tua, & ſi non ex iuſtitia viuifica me; Pronior enim es tu Domine ad miſerendum, quam ad puniendum; ſi ergo in pœnam prauorum deſideriorum dimittis deſiderantes mala ſecundùm deſideria cordis eorum, vt eant in adinuentionibus ſuis, ſicut accidit ijs, qui concupierunt concupiſcentiã in deſerto, & tentauerunt te in inaquoſo, deſiderium enim eorum attuliſti eis, nec ſunt fraudati à deſiderio ſuo: Num credibile eſt eos à te deſiderio ſuo fraudandos, quorum anima concupiſcit, non quidem concupiſcentiam in deſerto, ſed cõcupiſcit deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore? Non ne Domine in ſcripturis tuis docuiſti nos, quod concupiſcẽtia ſapientiæ deducit ad Regnum perpetuum, & quod præoccupat ſapientia eos, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtẽdat, propter quod optauit Rex ille, & datus eſt illi ſenſus, & inuocauit & venit in eum ſpiritus ſapientiæ? Certè de te loquebatur Propheta ille, quem inueniſti ſecundum cor tuum, cum dicebat, deſiderium Pauperum exaudiuit Dominus præparationes cordis eorum audiuit auris tua. Et tu ipſe Beatos appellaſti, qui exuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Quamuis igitur Domine non facio iuſtitiam exurio tamen & concupiſco illam, ſcio enim eam eſſe cibum illum, de quo tu dixiſti, cibus meus eſt, vt faciam voluntatẽ Patris mei, qui in Cœlis eſt: Hunc ergo panem peto à te Domine, tu autem nunquid pro pane lapidem dabis mihi filio tuo? Non ne promiſiſti ablaturum te à nobis cor lapideum, & daturum cor carneum? Ecce Domine offero ad te cor meũ, & offero illud in manibus tuis, conuerte illud, immuta illud, & fac omnino ſecundum cor tuum, quandoquidem tu ipſe petij-

Digitized by Google

petijſti à me filio tuo, vt præberem cor meum tibi, quamuis igitur prauum ſit ne recuſes accipere,quod non dubitaſti petere, ſed eadem benignitate, qua illud petijſti, eadem quæſo accipias, & retineas, ne ſinas vnquam precor pijſſime Domine cadere illud de manibus tuis.Cadere enim è manibus tuis, quo poteſt,niſi in infernum? Quod ſi perforatæ ſunt clauibus manus tuæ, non ſunt foramina iſta, per quæ cadat, & pereat, ſed in quibus requieſcat, & viuat anima mea. Nunquid enim, quæ paſſus es pro me eſſe poſſunt contra me? Fateor equidem quod vulnera tua clamant contra me, quatenus inflicta à me, ſed clamant pro me quatenus perpeſſa à te. Tu enim ſuauiſſime Domine etiam quod contra te factum eſt à nobis,ſuſtinuiſti pro nobis, ideò ne reſpicias à quibus plagatus es, ſed pro quibus vulneratus es. Et ſi primum illud vindictam exigit, hoc tamen alterum multo magis miſericordiam expoſcit; Quod ſi foramina petræ nolunt omnino recipere cor meum, confugiam tandem ad cauernam maceriæ, in qua reſidet mitiſſimum,& amabiliſſimum cor tuum,vbi abſorbebitur omnis malitia eius, & liquefiet omnis durities eius. Voluiſti enim aperiri lancea latus tuum, vt per illud acceſſum haberet cor meum ad cor tuum; ecce igitur intra cor tuum Domine repono cor meum. Feciſti enim illud Domine propter te, & inquietum eſt omnino, donec requieſcat in te.

Digitized by Google

RESPONSIO.

I.

VSQVEQVO obliuiſcar te, petis à me filia cariſſima. Nunquid obliuiſci poteſt mulier Infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te ſtilo ferreo clauorum, & atramento ſanguinis mei; Verùm quid eſt, quod adeò differtur deſiderium tuum, & petitio tua non dum exauditur? Hoc eſt, quod te anxiam facit, hoc eſt, quod affligit cor tuum. Et quamuis non dubites de mea fidelitate, & bonitate, miraris tamen, quod cum promiſſerim omnia me tibi daturum, quæ poſtulares, cur non te ſtatim ab omni imperfectione, & culpa omnino liberam reddam, atque conſeruem, cum toties à me ſtatim id tibi concedi poſtulaueris: Præſertim cum audieris promiſſionem meam intelligi (ſicut verè intelligitur) non ſolū de omnibus neceſſarijs, ſed etiam vtilibus ad ſalutem, & de talibus ſit petitio tua. Vtile quidem eſt, filia, ad ſalutem non peccare, neceſſarium non mori in peccato: Hoc ſecundùm non potes conqueri, quod non conceſſerim; Præſeruaui enim te vſque nunc à morte peccatorum peſſima, & ſperare debes, quod præſeruabo. Sed petis etiam viuere abſque omni vel leuiſſima culpa, & hoc vtile eſt ad ſalutem, cur igitur non concedo etiam hoc?

II.

PRomiſi equidem etiam vtilia ad ſalutem, verùm an ignoras, quod ſcio infinita ſapientia mea etiam ex peccatis tuis, quæ tibi ſunt vtilia ad ſalutem deducere? An ignoras, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti, omnia inquam etiam ipſa peccata? Non ne peccatum Adæ ceſſit in bonum generis humani, dum ex eo occaſionem ſumpſi aſſumendi veſtram naturam, & vniendi illam ad meam perſonam diuinam,

uinam, vt vos à peccato redimerem atque ſaluarem? Vnde Sponſa mea Eccleſia Sancto meo Spiritu edocta fælicem culpam vocat, quæ me talem ac tantum habere mœruit Redemptorem, & neceſſarium Adæ peccatum, quod mea morte delendum fuit.

III.

MAlum quidem cogitauerunt de Ioſepho fratres illius vendentes eum, ego autem verti illud in bonum etiam ipſorum fratrum; Malum intendebant latrones illi, qui ad Monaſterium acceſſerunt, vt furarentur, ego verò in bonum verti, arripiens inde occaſionem conuerſionis ipſorum. Quod tamen negligentiorem neminem reddere debet ad euitanda peccata, omni conatu & diligentia. Non enim ſunt facienda mala vt veniant bona: Quamuis adeò bonus ſim, vt non permittam illa, niſi propter maius bonum, & plerumque accidit ex culpa ipſiuſmet peccatoris, vt non ſemper cedat hoc in bonũ ipſius, ſed conuertatur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendit: Neque tunc fruſtratur intentio mea, qua nullum malum permitto niſi propter maius bonum, ſiquidem tunc verto peccatum illud in bonum aliorum. Peccatores autem quorum iniquitas non conuertitur in bonum ipſorum ij ſunt, qui non confugiunt ad me, qui non orant me, vt à peccatis illos liberem, ac præſertim, qui volunt in ſuis pecatis perſeuerare, nec ſtudent gratiam meã, qua tentationes ſuperare poſſunt, inſtantibus præcibus impetrare. Tu autem filia, quamuis aliquando ex fragilitate cadas, ne ceſſes tamen, vt facis, me perſeueranter orare, ne cadas. Quamuis enim nunquam peccare debeas, tamen etſi peccaueris Aduocatum habes apud Patrem tuum, & Patrem meum, me ipſum fratrem tuum, & Sponſum dulciſſimum, & ideò ne deſiſtas petere, ne deſiſtas pulſare, ne deſiſtas clamare. Si enim perſeuaraueris in oratione, videbis quomodo omnia cooperabuntur in bonum tuum, & quomodo veriſſimum eſt, quod orantibus me omnia, quæ ſunt illis vtilia ad ſalutem, concedo cum ſciam facere, vt etiam eorum peccata cooperentur ad vtilitatem ipſorum &c.

IV. Ve-

IV.

VErum times tu quidem ne fortè ſi diù protraham adimp'ère petitionem tuam, à petendo deficias, priuſquam quod petis adueniat. Habes tu quidem, filia, vnde timere potes, quia habes vnde deficere ſoles. At non ne qui feci, vt poſtulares, facere potero, vt perſeueranter poſtules? Quod ſi poſſum hoc facere, & tu vt id faciam rogas, ſperare firmiſſimè debes, me hoc tibi non negaturum, qui omnia promiſi petẽtibus me daturum. Non ne quidquid expedit pro ſalute tua ſperare debes ab infinita bonitate mea? Confide igitur filia, quod vel ſtatim concedam, quod poſtulas, vel quod faciam te perſeueranter poſtulare donec ſatis diſpoſita ſis ad recipiendam gloriam, ad quam te miſericorditer prædinaui. Ideò enim non impleo ſtatim os tuum, quia velim te fame perire, ſed quia non ſatis adhuc dilatatum eſt ad capiendum manna abſconditum, quod præparaui tibi; Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, dilata os tuum, & implebo illud, anguſtum nimis adhuc eſt cor tuum præ magnitudine gloriæ, qua illud replere vult miſericordia mea; Cor enim, quod maiori gaudio implendum eſt maiori charitate dilatandûm eſt: Maiora præmia maiores etiam labores exigunt. Qui enim parce ſeminat, parce & metet. Sed cur non vnico momento diſpono cor tuum, vt fiat capax gaudij Domini ſui? Omnia mihi quidem (ò filia) poſſibilia ſunt; At non ego facio omne quod fieri poteſt, ſed quod fieri decet, ſecundûm quod videtur altitudini diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ meæ, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, ſuauiterque diſponens omnia. Poſſem equidem vnico momento ad eum charitatis gradum te eleuare, quem præmij magnitudo requirit, ad quod te elegi, & ita ſtatim te beatam reddere. Verùm oportet, vt electi mei non ſolùm ament me, ſed etiam pro amore meo, & plura bona operentur, & multa mala patiantur.

V.

ET ſi enim charitas omnium virtutum ſit præſtantiſſima, & in qua mihi præ cæteris bene complaceo ceteras tamẽ virtutes

virtutes non negligo, ſcilicet Fidem, Spem, Manſuetudinem, Patientiam, quibus omnibus decet me à vobis coli, & honorari, voſque à me pro ipſarum cultu cœleſtibus præmijs remunerari. Et ſi enim eſſentialis gaudij magnitudo, quod in mea viſione conſiſtit, ad menſuram charitatis, qua diligunt me Electi mei reddenda ſit, ſunt tamen alia etiam plura accidentalia gaudia in Paradiſo, quæ ſuperant omnia huius Mundi delectamentum, quibus ij ſpecialiter exultabunt, qui ſpeciales quaſdam virtutes dum viuerent pro mei amore exercuerunt, quomodo autem eas exercere quis poſſet, niſi aliquandiù in Mundo, vbi earum materia, & occaſiones adſunt detineretur? Quomodo exerceri fides poteſt niſi vbi res non apparent? Quomodo ſpes, niſi vbi non adhuc habetur, quod deſideratur? Quomodo Patientia, niſi inter aduerſa? Quomodo Manſuetudo niſi inter iniurias? Quæ omnia è Paradiſo procul omnino abſunt, ideò amicos meos in Mundo detineo vſque ad præfinitum tempus, vt poſſint me, ſicut debent multiplici virtutum exercitio colere, & glorificare, ſibique multiplices coronas comparare. Suſtine igitur filia cariſſima ſuſtentationes Dei, coniungere Deo, & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua, omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patiētiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum, Homines verò receptibiles in cammino humiliationis.

VI.

MOdicum pro me laborabis, & inuenies tibi multam requiem, nec graue tibi videri debet, quod breuiſſimā feci vitam, in qua patieris pro me, & æternam illam, in qua delectaberis in me. Mea enim ineffabilis, & immenſa bonitas etiam hoc prouidit, vt laborum quidem tempus, & agonis non extenderem, nec longum facerem, ſed breue, & momentaneum, vt in iſta breui, & exigua vita agones eſſent, & labores; in illa verò, quæ æterna eſt, coronæ, & præmia meritorum, vt labores quidem citò finirentur, meritorum verò præmia ſine fine durarent; Certè ſi è contrario ſtatuiſſem, vt per aliquod tempus gauderetis, & poſtea per æternitatem pro amore meo labores ſuſtineretis, adhuc vobiſcum miſericorditer egiſſem aliquod tempus concedens, in quo non exigerem

vt pro

Digitized by Google

vt pro me aliquid pateremini? Quam magna igitur fuit dulcedo cordis mei, dum ſtatui, vt ſolùm per paucos annos pro meo honore aduerſa ſuſtineatis, & in æternum vita beatiſſima in meo mecum Regno viuatis? habebis tu quidem filia, ſatis longam vitam, in qua gaudeas de me, & requieſcas in me; Pati autem pro me nec ſemper poteris, nec diù poteris: habebis annos æternos, quibus cœleſti gloria perfruaris, annos autem, quibus maiorem gloriam mereri poſſis, non ſemper habebis.

VII.

PRofectò ſi electis meis conquæri de me aliqua cauſa liceret, potius accuſare me deberent, eo quod tam breue fecerim tempus pro me patiendi. Verùm quam rari ſunt, qui me tam feruenter diligunt, vt nimis breue tempus omne putent, quo patiuntur propter me? Ex his quidem paucis fuit dilectus meus Bernardus, cui omnis labor quem pro me diù patienter ſuſtinuit, labor videbatur vnius horæ, vel ſi quid amplius præ amore neſciebat. Signũ profectò eſt parui amoris, parum pro me poſſe pati. Nonne Iacob ſeruiuit pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine? Crede, filia, tantùm me amas, quantùm pro me pati potes. At non recuſas tu quidem multum pati, nec diù pati, ſed ſolùm amorem petis, quo pro me patiaris. Rem certè meliorem poſtulare non potes, nec à te met ipſa talem petitionem feciſti, ſed ſpiritus meus hoc te poſtulare fecit; ideò confide, quod & accipies. Patieris igitur, & pro amore meo patieris, non quidem quantum deſideras, neque quandiù deſideras, quæ petiſti à me etiam in æternum pati pro me, dummodo faciam ne me offendas, ſed quantum placuerit, & quandiù placuerit bonitati meæ, quæ non ſinit electos meos diù pro me affligi, & tribulari, ſed ad punctum in modico derelinquo eos, & in miſerationibus magnis congrego eos, in momento indignationis abſcondo faciem meam parumper ab eis, & in miſericordia ſempiterna miſereor eorum Ego Dominus Redemptor ipſorum.

Digitized by Google

SEquentia Soliloquia compoſuit Romæ V. Pater anno 1629. paulo ante mortem, cum vndique interius, & exterius, morbis, tentationibus ariditatibus, ac ſingulariter intenſiſſimis deſiderijs Deum videndi, ac proinde longa eius expectatione fractus, angeretur, & vrgeretur, & Sanctorum Patrũ more aliquam amori ſuo parans medicinam interiores pœnas, & Cruces cum Deo ſuo colloquens exprimit. Non minus, ac præcedentia eximium Ven. Serui Dei Spiritum, baroicas virtutes, & ſummam ſanctitatem hac indicant Soliloquia, cum in eis ſuam vitam affectuſque depinxerit; Lectio & pia meditatio omnibus prodeſſe poteſt, ſed præcipuè eis, qui in aduerſitatibus, & ariditatibus verſantur, vt contra eas ſumant robur, nec earum moleſtijs cadant, ſed inde fideliores Deo, fortiores ad bellum, vnde & glorioſiores ad multiplices triumphos euadant.

Amabiliſſimo, & vnico bono meo Altiſſimæ Maieſtatis Deo gloriam, & ſalutem.

AFflicta, & anguſtiata eſt anima mea vehementer ob frequentes paſſiones, & tentationes; quis medebitur mei? nunquid ferreus, aut æneus factus ſum? dolores ingeminauerunt, & animam meam incuruauerunt, omnes meas potentias debilitantes; timor, & tremor venerunt ſuper me, & vndique mortis metus circumdedit me, clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, & præ triſtitia tabeſcit anima mea, plorans plorabo per noctem, & oculi mei fontem lachrymarum dabunt: ingeminati ſunt dolores mei ſuper afflictiones multas animæ meæ. Quomodo pertranſit iuuentus mea, quam in peccatis, & ſceleribus conſumpſi, ecce nũc dies mortis, quibus tanquam ab inimico anguſtior, requiem non habet anima mea pre multitudine irruentium afflictionum. Quomodo non diſrumpuntur præcordia mea, & viſcera mea tam diù perdurant? Ad te conuertor vita vitæ meæ: ò pulchritudo, & mens incommutabilis, quamdiù patieris animã meam ſitibundam à te vagari, & longè à facie tua alienã

Digitized by Google

obiecta contemplari? Nulli cedo, nihil volo niſi te, tu ſis mea pax, meum refugium, mea tranquillitas, & vltimus meus finis & beatitudo. Anguſtię cedant, & ſi cedere nolunt, illis non cedo, ſed inuictus permaneo, expectans aduentum Dei mei, quem diligo, quem volo; Pars inferior non tentet perturbare meam intentionem, quia etiamſi non ſentio ſenſibilē affectum erga meum Dominum; tamen me illi per ſuperioris partis rationem & viſum totum trado, & dedico. Occurrant in meum auxilium omnes Angeli Dei, & omnes Sancti, quos ſpero poſt hanc miſeram vitam, viſurum, & cum illis in æternum regnaturum. Gaudeo de veſtra fælicitate Ciues Cœleſtes, quia tranſlati eſtis de morte ad vitam, iam triſtitijs omnibus ſuperatis, & victis, fruimini pace vera, & perpetua; in eodem curſu, & afflictione fuiſtis, qua nunc ſum ego, & ſicut vos per patientiam poſſediſtis animas veſtras, ſic ego ſpero per veſtrum auxilium me ſuperaturum omnia impedimenta, & contraria meæ ſalutis. Affligebatur anima mea in multis erumnis, cum aſſentiri nollet, & libens virtutū operibus iam in ſtatu deſperationis, & abyſſu triſtitiæ immergebatur præ nimio pondere, & duritia cordis mei: Sed Deus, qui eripuit me de alijs afflictionibus, liberet me de hac nimia moleſtia. Tandem diſponat de me, & quieſcant hic moleſtiæ meæ, vt vitam veram, & perfectam ingrediar: Iam prope mortem inſto, & pulſans clamo, vt veniat ad me cœleſte remedium. Quid aliud volo, niſi quod tu Deus vis, immò ſub pœna priuationis tuæ amicitiæ iubes, ideſt, vt omnes ad altiſſimam perfectionem, & tui imitationem perueniant? Quid ergo ego miſer aliud volo niſi hoc, quod niſi tu voluiſſes, neque auſiſſem vnquam hanc tam altam perfectionem cogitare, nunquid deſiderare? Sed tu ſi quidem hoc iubes, & remedia apta dediſti, ſicut eſt tuus Vnigenitus Filius, & alia infinita munera, & dona, non retardes me amplius, ſed introduc me in hunc perfectionis montem; voca animam meam ad te, vt te ſolum amet, & contempletur, non me eijciat a facie tua Amabiliſſime, & Dilectiſſime mea indignitas, & vilitas mea, ſed ſuperabundet miſericordia tua ſuper omnes iniquitates, & ſcelera mea: multum quidem peccaui: ſed meam culpam agnoſco, & nollem me vnquam peccaſſe. Scio certè quod tu ad peccatores vocandos, vt pœnitentiam agant deſcendiſt, ſicut tu dixiſti; Non veni vocare Iuſtos, ſed peccatores:

Digitized by Google

tores: ecce vnus peccator hic, voca illum, voca me quærentē te, vt poſſim amicitia tua, & ſocietate in æternum frui. Voca me miſerabilem præ nimia tui abſentia, & elongatione ab anima mea,factum tabidum, & præ triſtitia & doloribus cōſumptum: oculi illi benigniſſimi reſpiciant ſuper tentatum & afflictum, & die,ac nocte gementem, & lachrymabundum ad fontem aquæ viuæ, & ad veram gloriam quæ tu es. Redeat in me lux illa clariſſima vultus tui, & illuminet latebras, & tenebras mentis meæ,veniat, & moretur, quia anima mea præ tui amore, & deſiderio deficit, & quaſi dolens gemit, & deperit. Vidiſti pœnas quas te quærendo ſuſtineo? non quod illæ ſint dignæ tuæ retributionis. Sed ſaltem vt miſericordia illarum motus adiuues me ad ampliora, & grandiora pro te facienda. Quid ergo anima animæ meæ, & intimus amor cordis mei, qui vulneraſti cor meum ſagitta ignita, & impatientiam generante vltra à me fugis, & declinas amicitiam meam? Non elongeris à me, non deuies ab aſpectu meo,aſpiciant me oculi illi clariſſimi, qui languere, & deperire faciūt animas à te intuitas; iam iam eſt tempus, impatiens facta eſt anima mea, quia præter te nullum alium amatorem quærit, non affligas amplius cor meum, quia concupiſco te, & propter te ſum paratus quæcumque facere. Iube Domine, & da vires vt exequar tua mandata, vt poſſim glorificare ſupra modum te dilectum, & amatum meum. Iam laſſus, & fatigatus finem faciam; non tamen in amore tuo deficere volo; Tu da augmentum,& complementum,vt poſſim in tua voluntate perſiſtens tandem in tua gloria manere, vt melius clarè facie ad faciem videre, & contemplari poſſim te,ò amate,& dilecte cordis mei.

Summæ, & infinitæ bonitati: Deo meo gloriam, & honorem infinitum.

PLorans plorabo per totam vitam meam, & lachrymæ multæ in maxillis meis quæ iam per nimiam triſtitiã,& dolorẽ aridæ,& macilentes factæ ſunt,quæro iã pridem, & non mereor, propter mea delicta inuenire faciem illam amœniſſimam, in qua omnes Angeli, & Creaturæ rationales requieſcunt; præ multitudine dolorum, & afflictionum mearum detineor, ne totaliter in te transformer, tu enim vis corda pura, & pacifica per partem rationalem, & potentias animæ: ſed miſer ego, qui quoties ad hoc quærendum laboro, toties repulſam patior, & innumeris doloribus, & afflictionibus crucior? Quomodo ad te ô deſideratiſſime, & amabiliſſime amor cordis mei perueniam; non effugias faciem meam, & cor meum iam præ tuo amore tabidum, & dolens factum; vidiſti in quot, & in quibus fui olim propter te ærumnis,& calamitatibus; quot perſecutiones, & dolores ſuſtinuerim propter te, nullam ab illis quærendo liberationem, vel ſubſtractionem: non enim hoc dico,vt me de illis iactem, ſed vt coram te, qui omnia benè ponderas, & cognoſcis offeram tanquam ſignum modicum mei amoris erga te: amor enim tuus meam afflictam, & dolentem animam vulnerauit, quæ propter te doloroſiſſimis, & crudeliſsimis cruciatibus internis,& externis angitur, & laniatur in te ardẽter quiſcere deſiderans, & nunc rationis immenſis hiatibus, & motibus fertur ad te: O lumen clariſſimum mentis meæ eſt nè poſsibile quod tam diù elongeris, & fugias me? nonne ſum paratus facere quidquid tu iubes,& vis, nonne tibi dedi poſſeſsũ, & aditum patentiſsimum ad animam meam? transfigas, & confodias potentias meas ignitis iaculis & ſagittis amoris tui, vt vrere, & flammeſcere non deſinant vſque ad vltimum exitum halitus mei, immò vſque ad totam æternitatem. ô amantiſsime, & dulciſsime Creator meus, in quo nam oſtendes tuam beneuolentiam, niſi in miſerendo, & condonando peccata mea, propter quæ iram merui? Tu ſolitò more ſicut me olim viſitabas interius, nunc me viſites, & oſculo pacis tuæ amplectaris, & oſculeris ſicut quando olim me vo-

caſti

caſti, faciebas, quibus amplexibus, quaſi ebrius, & amens factus currebam poſt greſſus, & veſtigia tua. Dolores mei nullam requiem inueniunt niſi in te Deus meus; nullas admittam propter te conſolationes, quia nullam paritatem in illis inuenio, ſicut olim in tuis inueniebam, propter quas quaſi extra me factus res arduas, & talibus conditionibus implicatas aggrediebar, quas nunc cogitare & ponderare tremo, & conturbor præ nimia afflictione & dolore interioris mei, iam præ anguſtijs deficientis. Clamo ad te, & ſuſpiro, non me derelinquas, ſed amœnam faciem tuam, quam propter peccata deſerui, mihi concedas, & ne mihi deneges, ſed hilarem, & beneuolam mihi demonſtres, vt in poſterum per totam vitam meam, immò per totam æternitatem tibi ſeruire, & ſicuti deſidero ego, & tu deſideras, famulari, & intenſo amore proſequi valeam. Amen.

Potentiſſimæ Maieſtati Dei mei gloriam, & honorem dicit.

EX nimia, & duriſsima paſsione cor meum languet quanto magis videor in via Domini incidere, eo longius abeo; quis requiem dabit animæ meæ in tãtis amaritudinibus, & quis medebitur mei? Voce mea clamabo, & faucibus meis iam pœnè præ clamore exhauſtis, implorabo diuinam illam faciem, vt per meas deprecationes, ſaltem in me miſerabilem oculos illos benigniſsimos vertat. Effundam in conſpectu illo tremendiſsimo orationem meam, & inualidas lachrymas meas, quatenus, & penoſiſsimam tribulationem meam effundendo ex viſceribus meis cognoſcere valeat; Nam propter defectum ſpiritus mei iam languendo conſumor. Nonne tu cognouiſti perfectè intricatas, & plenis doloribus repletas ſemitas meas? vt quid Domine permittis, vt via hac delitioſiſsima meæ vocationis, in qua à principio meæ pueritiæ tibi promiſi non ſolùm deambulare, ſed cum gratia tua conſtantiſsimè & perſeueranter currere, vt quid iniquam Domine permiſiſti, vt inimici mei abſconderent laqueum mihi, laqueum ignitum, & indiſsolubile, qualem nullus eſt ſufficiens, niſi tu illum diſrumpere? conſideraui multoties ad dexteram conſolationum tuarum, quas tu aliquan-

do à me ſubtrahebas, & oculis intenſiſsimis videbam ſi valerē illas recuperare, vt hac mediante poſſem amicitiam tuam in immenſum augere, ſed heu me! miſer & infelicisſimus, & afflictus peccator, cur lachrymis non diſſoluor? cur lactatus vberibus dulcedinis tuæ, vt maiorem dolorem ſentirem in eorum priuatione? cur nutritus croceis delitiarum tuarum, vt in eorum recordationem magis torquerer? cur inquam vitæ meæ non hic terminando finis ſit tot meis anxietatibus? ecce dum conſiderabam ad dexteram non erat, qui cognoſceret me; vbi tot amici mei Deus meus, qui anteà fautores erant mihi? Vbi ſunt tui amplexus, quibus me tenerrimè amplectebaris, & in delitijs conſeruabas? amici mei, & proximi mei aduerſum me ſteterunt, & delitiæ tuæ quæ iuxta me erant de longe ſteterunt. & inimici mei, & caro mea, & creaturæ multæ, quæ quærebant animam meam aduerſum me appropinquarunt, animam meam vulnerantes, & ſtantem me in miſerijs ligauerunt, & vim multam in me fecerunt, qui quęrebant animam meam afflictiſsimam. Iam debilis in ſpiritu factus ſum, Deus meus, fuga in qua inimicos meos euitando fugiebam, perijt, quia non valeo cum tanto feruore prę paucitate virtutis meæ eis reſiſtere, & tamen cum in tali ſtatu tam afflicto, & lamentabili ſim, nullus inuenitur, qui animam meam afflictam, & ab omnibus amicis deſolatam, ab inimicis conculcatam, & à te quaſi derelictam quęrat. Tu Dominę vidiſti annos, quibus ſuſtinui mala, & afflictiones perpeſſus ſum, in quibus nullum aditum animæ meæ inimicis meis aperui, nunc autem clamo ad te corde contrito, & vulneribus ſauciato, & in pænoſiſsimis doloribus, & afflictionibus penė obruto, vt non me deſeras in tot meis perſecutionibus, & in manibus quærentium animam meam. Tu enim es ſpes mea, & portio mea quam expecto poſt hanc miſeram vitam in terra viuentium me poſſeſſurum; intende nunc obſecro te amor cordis mei & delitiæ ſpiritus mei ad lamentabiles deprecationes meas, quia iam ſum ſufficienter humiliatus propter frequentem irruentiam inimicorum meorum, iam totus ſum proſternatus non valens eorum impetum ſuſtinere ſine tua gratia, nimis enim me humiliauerunt & compedibus ſuis ligauerunt, libera me ò facies dilectiſsima, & decor pulcherrimus animæ meæ, propter quem cor meum liqueſcit, & perit, libera me inquam à perſequentibus me, quia confortati

ſunt

Digitized by Google

ſunt ſuper me afflictum, & gemebundum propter frequentes victorias ex me reportatas; Educ amor, & deſiderium animæ meæ deduc inquam de cuſtodia tenebroſiſſima, & carcere crudeliſſimo, in quo me creatura vinctum tenet; Educ animam meam iam pre doloribus, & præſſuris pene conſumptam, vt poſſim nomini tuo cõfiteri, ſed quia video quod Sancti, & iuſti, qui me in lucta hac acerba reſpiciunt luctantem, expectant vt victoriam reportem, & tandem expectant deſiderando, vt poſt adeptum de meis inimicis triumphum, tu qui es portio mea, & retributio laborum meorum, retribuas mihi viſionem illam æternam, in qua faciẽ tuam amæniſſimã, & ſereniſſimam contempler, quæ animam meam adhuc in hac vita ſtantem deperire facit propter intenſum deſiderium, & multiplicia ſuſpiria quæ effundo præ deſiderio eam videndi, ad quam tuæ Maieſtati placeat me etſi indignum propter merita tamen tua introducere. Amen.

Altiſſimo, & amabiliſſimo Deo reuerentiam, & honorem.

ANnus amaritudinis, & plenus doloribus ineſt animæ meæ, derelictus ſum pauper, & orphanus in lamentabilibus miſerijs, & erumnis. Quærebam diù quem diligit anima mea, ſed potentiæ meæ propter tranſitoria rapiuntur, vt piſces reti, totaliter perij cum inimici mei modum in afflictionibus meis videantur excedere, ecce durus & æneus redactus in percuſſionibus mundi, & carnis ſum contritus; nonne ſilui, nonne quieui? & venit tamen ſuper me indignatio omnipotentis; Expectaui diù ſed iterum expecto donec veniat immutatio dexteræ Altiſſimi ſuper me miſerandum, & afflictum peccatorem. Multiplicitas rerum turbabat animam meam, et in decore illarum laqueis irretita trahebatur: vt non valerem reprimere, quod dolorem affert, & mortem inducit; ſed quid miſer faciam? iam deſperatus peribo? nequaquam, ſed ad illam beneuolentiſſimam, & ſuauiſſimam Dei mei faciem oculos figam, & plorans inuocabo, ne me in afflictionibus, & erumnis meis velit derelinquere. O anima cordis mei, & decor Angelorum, & pulchritudo omnium creaturarum, tu qui veniſti animas, & corda inimicorum tuo-

tuorũ deuincire ignito iaculo amoris tui. Me vt video propter meam ingratitudinem vis deſerere, ſigna abſentiæ tuæ à corde meo hoc mihi indicant, ac mea demerita, & peccata conſcientiam meam ſtimulant. Sed ne deſpicias ſanguinem tuũ, & voluntatem tuam, qua me redemiſti, & à faucibus dœmonum liberaſti; ego vocem tuam ſecutus ſum vſque ad vitam hanc rigidiſsimam, & auſteram, in qua viuo; ſolùm vt mœrerer tui amoris, & ſocietatis particeps fieri, quare nũc quod ligatus votis, & ſtrictus ligaminibus me deſeris, & relinquis? putasne forſan quod plus amem alias creaturas quam te? hoc tibi concedo ſi ad meam fragilitatem reſpicis, ſed ſi aſpicis portionem ſuperioris rationis meæ, quę à te reformata, & inſtaurata fuit, videbis quod omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt te Deum meum, & fortè animæ meæ lucrifacerẽ. Si tu dicis, quod propter varias tẽtationes quas ſuſtineo? me derelinquere vis. Quid ego ò virtus cordis mei, & deliciæ animæ meæ Deus meus debeo facere, eſt ne in poteſtate mea hoc reprimere, ne inimici mei accedant ad me, & non me tentent? Tu vides in quot laboribus, & afflictionibus cordis, & intenſis anguſtijs moror propter hoc vt ſcilicet poſsim me liberare à manibus inimicorum meorum. Sed vitare vnam poſſum, omnes autem nequeo; ſi tu amor meus dicis quod ita expedit animæ meæ, vt videlicet priuer te ad tempus vt ſciam eſſe fortis, & pugnare contra ariditatem, & te experire velle, vtrum in afflictionibus, & proſperitatibus æqualiter te diligam; in hoc amantiſsime Deus meus me reſigno, fiat voluntas tua, & ne taliter elongeris à me, quod detrimentum in anima mea patiar. Tu ſcis paucitatem meæ virtutis, & debilitatem mentis, non eſt neceſſe multum me tentare, quia facilè ſine particulari tua gratia ſuccumbo, & inimicis meis manus victas trado. Multa alia reſtant doloroſiſsimæ, & afflictæ animæ meæ tibi ſignificare in amaritudine cordis, ſed tu ea melius ſcis quã ego. Peto ergo humiliter veniam de omnibus meis offenſis, & ſceleribus, quibus meam ingratitudinẽ oſtendi, & tuam benignitatem irritaui, & ſubtractionem multorum bonorum ſpiritualium demerui, & peto vt non me deſeras, ſed meæ fragilitati compatiaris, ſicut te ſcio eſſe verum Patrem meum, & amantiſsimum amicum meum, & Redemptorem ſuauiſsimum, qui bonum meum æternum pluſquam ego procuras, & promoues; fac ergo gloria, & nobilitas animæ

mæ meæ, vt ſigna conſpiciam iſtius tuæ in me clementiæ, & miſericordiæ, ſicut tu per ſuperiores, & ſpirituales patres meos mihi ſignificaſti multoties, ſcilicet te me intenſe & velle vehementer diligere, & pluſquam ego ſalutem, & profectum meum ſpiritualem quærere: nunc autem vt ſis certus ò amor meus, & delitiæ cordis mei, quod non inaniter ſcripſi, & Maieſtatem tuam petiui ſupplex, cum hac mea litera, vt non me deſeras in meis afflictionibus, & doloribus internis, & externis & vt habeas aliquod ſignum, & promiſſum animæ meæ, ſupra hoc tibi pro certo promitto, me vſque ad vltimum ſpiritum vitæ meæ tibi famulaturum, & nunquam propter dolores, & afflictiones, & inimicos tam internos, quàm externos permiſſurum cum gratia tua me à te remoueri, ſed in expectatione Diuinæ Maieſtatis tuæ expectaturum, quantum, & quando tibi placuerit, ad cor meum, & animam meam redire. Promitto etiam me ſerio velle intendere profectui ſpirituali, & ſatisfactioni voluntatis tuæ dum gratia tua qua confortari, & ſuſtentari poſſim non ſubtrahatur, quam ſpero propter tuam bonitatem mihi etiamſi indigno non ſubtrahendam. Multa alia propono, quæ tu melius vides in corde meo, quæ nunc ne multum ſim longus coram Maieſtate tua deſero finem faciens.

Altiſſimo, & ſemper laudabiliſſimo Deo.

Timet anima mea præ nimia triſtitia; derelictus ſum orphanus, & pupillus, tenebræ factæ ſunt ſuper cor meum propter duritiem, & ſtrictam ſeruitutem, afflicti cordis mei dum vmbra mortis inuaſit animam meam. Quid dicam, aut quid faciam miſer, vbi fugiam? de vultu tuo prodeat iuſtitia in anima mea, intret in conſpectu tuo oratio mea, tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine exquiram. Anni mei in gemitibus vertuntur, & dolor meus renouatur, ſemper triſtis facta eſt anima mea ſuper afflictiones cordis mei, præoccupauerunt me laquei mortis, cum conſiſterent mala coram me, vulnerauerunt me, & inſpexerunt me, & ſuper vulnera mea dolorem addiderunt, in fremitu conculcauerunt me, & in ſagittis fulgurantis haſtæ eorum deiecerunt me, diuiſerunt ſibi partes, &

potentias meas, & ſuper mentem meam ſortem dederunt, conticuerunt ſenes, & non fuit, qui reſponderet eis. Pupillus factus ſum abſque patre, anima mea quaſi vidua. Plorans plorabo per noctem, & lachrymæ meæ in maxillis meis, non eſt, qui conſoletur me ex omnibus caris meis. Omnes amici mei dereliquerunt me, & facti ſunt mihi inimici. Ego qui nutriebar in croceis delitiarum Dei,amplexatus ſum ſtercora delectationum mundi; Venio ad te ô vita vitę meæ, clamans & petens adiutorium tuum, raucæ factæ ſunt fauces meæ dum ſpero in Deum meum. Humiliauerunt in compedibus animam meam, & vita mea inferno appropinquat. Sitio ad te Deus meus, extollo ad te manus meas, lingua mea adhæſit faucibus meis, & in tentationibus relegatus ſum. Quomodo conuerſa es in amaritudinem anima mea? expectaui vt faceres vuas, & feciſti labruſcas. Deus propter te ſuſtinuit Crucem, & propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit eam. Imponam finem lachrymis gemebundis, & exſicabuntur fluuij cordis mei. Vt quid Domine repellis orationem meam, & deſpicis deprecationem meam? ne me abiicias à facie tua, cum conſiſtat peccator aduerſum me; finem imponam verbo oris mei, & circumſtantias dabo linguæ meæ.

Lamentatio doloroſa animæ afflictæ.

IN infinitis miſerijs, & innumeris moleſtijs ego ſum poſitus, non ſufficit Domine, quod lingua labar, ſicut vna hora ante fuit, ſed vanitate repletus, cogitationibus ſuperbiæ, & vanagloriæ agitor, & quod peius eſt ſexus adhuc non notus torquet, & quaſi deuincit animam meam, vnde tot dolores, & præſſuræ cordis mei? numquid Domine virtutem meam non noſti? anima cordis mei quid vis? forſitan vis vt elonger à te? hoc nunquam faciam, immò cum tua gratia, quam mihi ſatis abundè promiſiſti, & per experientiam quotidie ſentio, volo contra omnes inimicos meos viſibiles, & inuiſibiles pugnare, & ſi vires dederis eos proſternere, & deuincire, & pedibus meis conculcare, vt tu poſſis anima mea, & virtus, & deſiderium præcordiorum meorum, beatitudo, & refrigerium meum dicere animæ meæ afflictæ, & deſolatæ, & præ triſtitia, & mœſtitia gementi, Veni de libano

bano, veni dilecta mea coronaberis, quia qui ſuffert tentationem recipiet coronam vitæ, quam repromiſi ego diligentibus me. Sed heu me, miſer dum ad te reſpicio, & tua gratia fulcitus omnes inimici mei, & ſexus maximè ignotus, a quo diù noctuque intentiſſimè vexor, & crucior, cedunt, & mihi ſubditi dicunt, nos viciſti, lætare quia habitus victoriæ es conſecutus, ſed de repente in occaſione poſitus ſentio me ardere, & quaſi ſitibunda Cerua ad aquas, ſic anima mea ad has vanitates trahi, vt vulnera infixa, & ſanguinolenta mederi, & curari poſſit; nunquid anima mea afflicta, & miſerabilis ſatiari poteris illis quæ à tuo Domino, & Factore prohibentur? nequaquam, potius mori debes, & ab hac luce ſeparari, quàm quidpiam contra Deum tuum, Dominum, & Dilectum, plena & libera, aduertentique voluntate perficias; ſi tu ſentis vulnera, ſi tu tentaris, non ad blandimenta iſta tranſitoria, reſpicias: Vide, & conſidera potius finem omnium rerum, & videbis in hac vita fætorem, & putredinem, & in alia confuſionem iudicium, & tandem condemnationem. Conſidera ad quid veniſti, tum omnia, & mundum reliquiſti, non vt iterum modo ab vna vanitate illectus, iterum amorem antiquum in illa reaſſumas, ſed ſicut Philoſophus, & Sapiens in Schola Ieſu Chriſti proficiens, & conſumatus in breui ad æternam, & immarceſcibilem coronam peruenire poſſis, vbi omnia ceſſabunt aduerſa, & moleſta, & quæ modo cordi tuo ſunt pænoſa, tunc coronam dupplicatam augebunt, & confirmabunt, ad quam gloriam placeat tibi meo Domino, & Principi Sereniſſimo animæ meæ me introducere, vt poſſim meo vltimo fine, & beatitudine perfrui, & ſatiari in ſempiternum. Amen.

Altiſſimo, & tremendiſſimo Deo.

DOmine Deus meus tu vides afflictionem ſerui tui anima mea in ęrumnis eſt poſita, & cor meum conturbatum eſt intra me. Sicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum, Dominus dedit, Dominus abſtulit, vita mea inferno appropinquauit, & in anguſtijs deprænderunt me, terrores mortis conturbant animam meam, dolores inferni conuerſi ſunt in me præoccupaue-

cupauerunt me laquei mortis, in ignem deiectus ſum ex vtero, pupillus factus ſum abſque patre, anima mea quaſi vidua ſub omni ligno frondoſo proſternitur ipſa illecta, & abſtracta à concupiſcentijs ſuis. Plorans plorabo per noctem, & lachrymæ meæ in maxillis meis, cum non inueniatur conſolatio bona; ecce iam ſedeo totus plenus dolore, qui ante lætus, & ſanus commorabar;nunquam dimittam te vita vitalis, anima animæ meæ, & cordis mei, tu domineris poteſtati meæ, tu mitigabis omnes meas potentias; cor meum exultat in te Deus meus,cum ſpem futuræ gloriæ tu reuelas. Proſtratus iaceo; tu de luto eripies, vt non infigar in vanitatibus multis. Exaudi Domine orationem meam, qua clamo ad te expectans gratiam tuam.

Oratio lamentabilis.

EXaudi Domine, quia vides afflictiones, & dolores, in quibus miſerabilis verſor, & ex hoc die, quo facta eſt mutatio, quam tu ab æterno præuidiſti, dico, & volo me tuum famulum tibi tradere, & ex corde diligere, quantum attinet ad illas literas, & voluntatem meam, quam tua Maieſtas ſcit, & quam ego puto à te oriri; etenim propter gloriam tuam, & in bonum meum reſultare, nunc me reſigno, fiat voluntas tua, etſi non poſſum aliter facere, faciat Maieſtas tua de me, & meis rebus animæ, & corporis, cæteriſque rebus quidquid tibi placet, quantum ad vanitatis tentationes, & affectum vanum creaturarum. Similiter dico nolendo, neque aſſentiendo cuiquam creaturę, quæ me à te abſtrahere, & ſeparare poſſit; ſolùm deſidero tibi famulari, te intentiſſimè amare, & vſque ad finem vitæ in ſancta vocatione Religionis, & Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio mori, hoc totum proteſtor, & volo, & etiamſi nunc tenter, & videar cadere in tentationibus, tamen volo, & dico nunc me illud facere non ex imperio voluntatis rationalis, & partis ſuperioris, ſed paſſione excæcatus, & ignorantia offuſcatus, & tandem omnia quæ tibi diſplicere, & contraria etiam videbo ex nunc dico quod omnia reſpuo, & retracto, tanquam meo vltimo fini, & beatitudini contraria, te ſolum volo, te quæro in omnibus, te intendo intentiſſimè, te ardentiſſimè dili-

diligo, te vſque ad mortem diligere, & cor meum præbere volo, vt tu illud iaculo ignito ferias, quemadmodum Beatæ meæ Matris Thereſiæ vulneraſti, vt in vinculo amoris, & vnionis tecum vniar per gratiam in hac vita, & in alia per gloriam, quam reddes mihi Dominus in illa die.

Oratio ad contritionem excutiendam.

DOmine Ieſu Chriſte animarum noſtrarum amator ardentiſſime, qui præ nimia bonitate tua non vis mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat: doleo ex intimo corde meo quod te Deum meum, atque benig iſſimum Redemptorem, cui omnia peccata vehementer diſplicent, offenderim; qui me vſque adeò dilexiſti, vt pro me ſeruo viliſſimo, ſanguinem tuum prætioſum fundere, & mortem acerbiſſimam ſubire dignatus ſis; ò bonitas infinita Deus meus, vtinam te nunquam offendiſſem, qui infinite bonus es, & ſuper omnia cordis mei deſiderabilia amabilis; ignoſce bone Ieſu, ignoſce miſericordiam petenti; miſerere peccatoris, pro quo apud Patrem tuum vox ſanguinis tui interpellat, ignoſco etiam pro tui amore, mi ſuauiſſime Domine, omnibus qui me vnquam offenderunt, firmiterque ſtatuo vniuerſa deinceps peccata fugere, & ea quæ contra immenſam bonitatem tuam peccaui, in amaritudine animæ meæ confiteri, ac te Deus meus propter temetipſum ſuper omnia amare; ò dulciſſime Domine Ieſu Chriſte da mihi hanc gratiam. Amen.

IESVS

IESVS MARIA IOSEPH

Amen Amen dico vobis ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis; petite, & accipietis vt gaudium veſtrum ſit plenum.

AGnoſce ò homo quod nihil eſt, quod ad amorem Dei tui tantum te inflammet ſicut tam liberalis, tam magnifica promiſſio, qua ſe tibi obſtrinxit pridiè quam pro te moreretur, & pateretur ipſe Dominus Deus tuus. Hoc enim ipſo, quod ſic eum cogitas tam promptum, curialem, liberalem, & benignum ad largiendum tibi gratis innumerabilia, & ineffabilia dona, ab ipſo te nimio amoris feruore diligi recognoſces. Ecquid enim hodie magis excitat ad amorem, quam veraciter, & perfectè diligi, & amari? Hoc enim faciunt homines quantumcumque crudeles, qui videlicet diligunt ſe amantes, quamquam erga ſuum Creatorem inſtigante ſerpente antiquo hoc negligunt adimplere.

Cogita ergo ò homo quidquid velis, & inde Creatorem tuum inuenies non modicam materiam diligendi. Accede ergo ad ipſum per hunc modum. Debes enim non fictè, ſed veraciter cogitare de Deo tuo, quod ita ſimpliciter ipſe eſt vbi tu es, ſicut ipſe eſt in Cœlo Empyreo, & recogita te non tuum, ſed ſuum eſſe. Nec dubites, quod quidquid non ad damnum, ſed ad ſalutem animæ tuæ ab eo petieris ſimpliciter impetrabis. Hæc omnia ſunt certè maxima incentiua amoris. Quomodo ergo non diligis ſummè illum, cuius es & paratus eſt etiam omnia tibi dare? Nonne amas multum illum, qui aliquid præſtat tibi? Nonne ergo ſuper omnia illum debes diligere feruenter, qui omnia, quæ poſſides dedit tibi? qui tot & tantis beneficijs te ditauit? Qui non ſolum alia à ſe, vel à te, ſed ſe, & te tribuit tibi ipſi? ſi ergo te diligis quomodo ergo ipſum, qui te fecit non diligis? tu te deſtruxiſti, & adhuc non deſinis deſtruere, & te amas; illum vero, qui te fecit, & refecit, conſtruxit, & reſtruxit, regulat, & conſeruat non amas? Dic ergo Domino Deo tuo. Domi-

ne

Digitized by Google

ne Creatura tua ſum, & opus manuum tuarum, & mihi te-in teipſum negare non potes. Sed antequam procedas hæc, quæ dixiſti meditare, & accenderis nimio ardore amoris. Quis enim amplius ſe valeat continere, quin omnibus oblitus in Deum ſuum ſe totum proijciat, non per partes, cum ipſe Deus, qui eſt ſummum bonum gloria, & delitiæ Angelorum, vita & præmium Beatorum, ipſi homini peccatori miſero infirmo, & corruptibili, in tantum, vt eius miſeriam nemo poſſit exprimere, ſemet ipſum ſua nimia charitate non valeat denegare? & quantumcumque homo ſit infirmus, & peccator, ſi tamen toto poſſe ad ipſum ſe conuerterit, & ipſum conſtanter petierit, ipſum proculdubio poſſidebit; hæc ipſe nos deſiderat petere, & largiri dum inquit petite, & accipietis vt gaudium veſtrum ſit plenum. Neſcio igitur quid amplius laboremus, cur nos quotidie affligamus, cum Creatorem omnium poſſidere valeamus. Quid ergo amplius quærimus? ſi enim omne bonum poſſumus ſic de leui habere, cur nitimur vitam iſtam plenam cunctis miſerijs tam ſollicitè, & auidè poſſidere? O Domine Deus meus quid tibi benefecimus, qui nobis indignis te ſummum bonum tribuis tam libenter? Nihil tibi confert ſi te habeamus, & tamen ſic nos intentè diligis, quod te eſſe nobiſcum delicias tuas dicis. Quare amantiſſime Domine nos peccatores in tantum diligis, vt libentius te ipſum nobis tribuas, quam aliquid aliud quod petatur? Et certè nec ego volo de cætero aliud poſſidere ex quo debita petitione habere valeo Deum meum. Ornabo me monilibus, & introducam ipſum in thalamum cordis mei, & de cætero ibi ſecum dulciter requieſcam. Bene ſcio quod nihil aliud petit niſi intrare ad cor meum, deſiderat, & iam diu eſt quod pulſauit, doleo valde quod tanto carui bono, dicam igitur ei. O dulciſſime Deus meus ſcio pro certo, & video manifeſtè quod tu plus me diligis, quam ego diligam me met ipſum, qua propter de me amplius non curabo, ſed ſolis tuis delitijs inhærebo, & tu mei curam habeto, non enim tibi, & mihi intendere ſimul poſſum, & ideo permittam te intendere infirmitati meæ maximæ vt ipſam ſubleues manu forti, & ego intendam tuæ ineffabili bonitati, vt fœliciter ſic delecter, & quamuis ego tecum multum lucrer, & tu breuiter nihil mecum, ſcio tamen quod libentiùs mecum es, vt me promoueas, & conſerues, quam tecum

cum

cum ſim vt tua perfruar bonitate. Et vnde hoc bone Domine? Certè hoc eſt vt clarè vides, quia ego me ipſum ſumme odio, ſed tu me diligis ſupra modum. Si enim vellem Amantiſſime Domine diſcurrere per ſingula ſigna tuæ ardentiſſimæ charitatis ſine dubio deficerem in narrando.

Certè Domine Deus meus etiam ſi tu me ſimpliciter odiſſes, ego tamen, ex quo tu es Deus meus, & ſolus protector, & gubernator meus, & totum refugium meum ſupra omnes diligere te deberem. Quanti ergo magis hoc debeo cum tu ſummè diligas, & tuis beneficijs ſequaris me per deuia fugientem? Nam in tantum me diligis, vt te ipſum pro me videaris odire.

Pati enim, & mori voluiſti Creator pro creatura, Deus pro homine, Pater pro filio, Dominus pro ſeruo, Magiſter pro diſcipulo, Innocens pro reo, Sanctus pro peccatore, Iuſtus pro iniuſto; Denique pius pro impio, & indigno. O Deus meus quid mihi amplius facere debuiſti, aut dic quid mihi amplius facere potuiſti? Certè ſi tot, & tanta mihi feciſſet vnus viliſſimus ruſticus, ipſum toto affectu deberem diligere in æternum, et ego te non diligam Deus meus? abſit; Certè enim non dico ſanguinis effuſio, quę tota plena eſt charitate, ſed ſolus tuus aſpectus deberet me in tuo amore totaliter inebriare, quanto ergo magis tua grauiſsima paſsio ſic pœnoſa? Certè, et clarè video quod me talem voluiſti dum mihi te totum ſic amorosè, & dulcorosè totaliter tribuiſti: et quis requirebat hoc de manu tua Domine mi? cur tibi tanta cura fuit de tam viliſsima creatura? Certè nihil aliud niſi tua nimia bonitas, et immenſa dilectio hoc egit. Nam ſi omnino redimere me volebas aliter certè, quam per mortem tuam me poteras redemiſſe, ſed ideo ſic me indignum redimere voluiſti, vt me in tuo amore amplius inflammares. O Amor & deſiderium cordis, ò dulcedo, et ſuauitas mentis, ò ardor, et inflammatio pectoris, ò lux, et charitas oculorum, ò Aurium delectabilis ſymphonia, ò hoſtia odorifera Dei Patris; ò melliflua guſtatio fluxus ſanguinis, ò amantiſsima palpatio lateris; ò dulciſsima oſculatio pedum, ò ſuauiſsima amplexatio brachiorũ, ò ſalutifera cõtrectatio corporis, ò Reuerenda inclinatio capitis, ò anima mea, ò vita mea, ò viſcera cordis mei, ò medulla oſsium, vegetatio carnium, organorum ſignificatio, intellectus inſpiratio, ò tota, et totalis dele-

Digitized by Google

ctatio, et exultatio mea, ſuauitas, et iucunditas mea, ſolatium, et tripudium meum, iubilus, et riſus meus, gaudium, et lætitia cordis mei, ò cur non ſum totus in tuo amore conuerſus? quare aliquid eſt in me niſi amor? quomodo poſſum a iud loqui, poſsidere, appetere, vel meditari? cur non ſum illaqueatus, et captus amore? quid iucundius, quid plus vel ſtrictius illaqueat, et capit, quam amor? O Deus meus vndique me tuus amor circumdat, et tamen neſcio quid ſit amor, heu heu mihi cur ſic inſenſibilis maneo ſine cauſa, cur vanitas, pluſquam veritas me abſtraxit, cur Creaturæ iniquitas pluſquam Saluatoris, et Creatoris mei benignitas me allicit! ò cor durius lapide ſiue ferro, ò cor non iam cor, cur non accenderis ex amore? Nam lapis calore ſoluitur, & aes igne liqueſcit, et tu ad præſentiā tam feruentis, et tanti caloris immutabile perſeueras? Nonne dixit Deus, quod auferret à nobis cor lapideum, et daret carneum? vtique dixit; ſed vtinam è conuerſo auferat carneum, et tribuat lapideum, ex quo lapideum citius quam carneum immutatur. O cor duriſsimum, cur ſic fotiter te diligentem non diligis toto poſſe? O crudeliſsimum cor cur mortem diligis, pluſquam vitam? ò cor non cor cur non te offers tam ſollicitè te quærenti? Cur non aperis ad te die noctuque lamentabiliter pulſanti; cur in te non recipis tam dulciter te petentem? ò lapides et ſaxa, et cæteræ creaturæ inſenſibiles flete vberius veſaniam mei cordis. Et tamen tu bene Domine cor iſtud tam durum, tam immane, et crudele tam dulciter, tam enixè rogas, et inuitas vt petat à te gaudium plenum, et vis vt petendo ſperet ſe à te totum hoc accepturum, et petenti, et ſperanti promittis, et iuras te totum conceſſurum: Iuſsiſti enim vt petamus gaudium plenum, et vt petentes ſperemus, quia accipiemus promittendo, et iurando quod petentibus, et ſperantibus fiet nobis, quod petimus, et ſperamus. Dixiſti enim quia oportet nos ſemper orare, et quod quidquid orantes petimus credamus, quod accipiemus, et fiet nobis. Ad te igitur Domine clamabo, et ad te Deum meum deprecabor vt facias cor meum tuo diuino amore ſic feruere, vt te tantum diligat quātum potes, et vis ab illo diligi, vt nullus in eo adulterini amoris pateat locus; quo modo enim poterit fieri vt impleatur gaudio cor meum, ſi non impletur amore tuo? tu autem promiſiſti gaudium plenum. Eia igitur benigniſsime,

 & fide-

et fideliſsime Domine ſta promiſsis tuis. Dixiſti enim multo magis daturum te ſpiritum bonum petentibus te, quam Pater aliquis daret panem petenti filio; ſpiritus autem bonus non eſt niſi ille, qui te tantum diligit, quantum ab illo diligi vis. Cur igitur, ò homo iſta aſſequi ſic tardamus, quare negligimus tantum bonum ſic de facili obtinere? Nunquid hoc bonum excellentiſsimum nobis largitor omnium bonorum poterit denegare, ſi hoc ab eo voluerimus toto corde cum inſtantia poſtulare? Certè non, de hoc enim te certificauit, et iurauit, quia non denegabit, ſed liberiſsime tibi dabit. Si igitur obtinere ab eo volueris ſine repulſa hoc excellens, vel aliud quantumcumque donum, ad ipſum reuerenter concedas, nec inde recedas, ſed perenniter ibi quietus rogando cum inſtantius, et deuotè, vt ad vomitum non permittat amplius te redire, et ſi ſic feceris non dubito quin ab eo ſuo lumine illuſtratus tuas miſerias recognoſces, et ſuper omnia te odio habebis, Diuinam experieris bonitatē, et omnia Mundi. velut ſtercora abhorrebis, et ſic tandem dignè, et merito immenſi amoris vinculo coniugeris inſeparabiliter ſoli Deo, quod ipſe nobis concedat qui per cuncta ſæcula regnat Amē.

Sed ò Domine Deus meus quando hoc erit? Nā tantum differre mors mihi intolerabilis eſt, ſed et ſi plus expectaueris fortè deſiderio liqueſiam, et ſic poſtmodum in liquido vulnera amoris tui imprimi non valebunt. Nam anima mea Domine incipit iam langueſcere, etiam quaſi ad nihilum redigor deſiderans toto corde tuæ claritatis iaculo vulnerari.

O Domine mi vbi eſt quęſo ſapientia tua? an fortè ignoras quod melius eſt te habere creaturam vulneratam, quam ad nihilum redactam? Non ergo dulciſsime Deus meus me tantum differas vulnerare, ne fortè multa dilatione amittas, quē tuo prætioſiſſimo ſanguine redemiſti. Curre Domine, curre velociter, & cor meum vulnera feſtinanter ne forte de me nihil inuenias ſi expectas; ſed heu mihi miſertimo, quam viliſſimus factus ſum, quia tu qui etiam inimicos diligis, videris me penitus odiſſe? Nunquid pluſquam inimicus ſum ego? Nam vt inimicos vulnerares ſagittis acutis amoris tui voluiſti te totaliter vulnerari. Sagittæ enim tuæ acutæ in corda inimicorum Regis, & ideo populi tui ſub te cadent, ego autem miſer iam quaſi deficio, & ſimpliciter de me non videris curare: Heu heu Domine mi quare me feciſti ſi non debeo

tibi

Digitized by Google

tibi capiti meo eſſe coniunctus, aut ſi ſum tecum coniunctus cur non tecum vulneratus? pro me enim tu Domine vulneratus es non pro te, & tu vulnera portas non ego. Hoc vere non eſt æquum vel iuſtum. Ergo benigniſſime Ieſu vulnera me tecum; Nolo enim Domine nec poſſum viuere ſine vulnere, cum te vndique videam pro me vulneratum. O Domine mi dulciſſime vel ego ſum inimicus tuus vel amicus tuus, ſi inimicus oportet vt mihi petenti à te omnia, quæ ad meam æternam ſalutem ſpectant libentiſſime concedas, ſi quidem tu iuſſiſti vt diligamus inimicos noſtros, & benefaciamus ijs qui oderunt nos, & vt omni petenti nos tribuamus, & ei qui vult auferre tunicam demus & pallium, & hoc vt ſimus perfecti ſicut & Pater noſter Cœleſtis qui tecum vnum eſt in ſubſtantia perfectus eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iniuſtos, & ingratos, quia fidelis es, & promittis, quia quidquid orantes petimus accipiemus, & ne excluderes inimicos, dummodo ſalutaria peterent, ſubiungis, omnis enim, qui petit accipit. Ergo quantumuis peccator, & inimicus oportet vt me exaudias. Si autem ſum amicus oportet etiam vt omnia mihi ad ſalutem æternam ſpectantia petenti pluſquam libentiſſime concedas, qui enim hæc inimico à te petenti libentiſſime promittis, & concedis, quomodo non pluſquam libentiſſime portabis amico? Amicorum enim ſunt omnia communia, Amicorum eſt idem velle idem nolle, dum igitur volo à te, quæ mihi ſunt ad ſalutem æternam proficua, & vtilia, quomodo tu poteris, ea mihi nolle dare, & cõcedere? Igitur quãuis neſciam vtrum odio an amore dignus ſim, hoc vnum tamen certo ſcio, quod ad te recurrens ad te clamans pro ijs quæ ad meam æternam ſalutem ſpectant non potero non exaudiri à tua infinita bonitate, & clementia, & fidelitate, quoniam tu Domine ſuauis, & mitis & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te, quomodo enim in te ſperanti deerit Maieſtas Tua, qui tam ſtudiosè mones, vt in te ſperemus?

Sequens Oratio collocari debebat in fine Manualis Pauperum, ſed caſu tũc prętermiſſa, ne pereat cum Soliloquijs eam ponimus.

Digitized by Google

ORATIO
AD BEATISSIMAM
VIRGINEM MARIAM
DE THESAVRIS.

O DOMINA mea Sancta Maria, cuius Partus diem hodie celebramus, ecce omnes Theſauri, & gratiarum fontes, quos vſque modò aperuimus, & aperiri poſſunt, ſunt fructus ventris tui. Accurrimus ad te tanquam paruuli ad Matrem, cum multis repertis diuitijs, & gemmis, quibus bene vti, & frui ignoramus. Quæſumus vt tu offeras omnia hæc Deo filio tuo, quem modò habes reclinatum in Præſepio, vt per te ea accipiat, & ad gloriam ſuam, & vtilitatem noſtram benè diſponat. Eia ergo Aduocata noſtra, antequam admoueas illum ad vbera ſic affare, ſic

1. *Chriſti merita.* roga. O dulciſſime Ieſu, cui & in his anguſtijs patet æternitas, & præſens eſt meritum totius vitæ, & paſſionis tuæ, ecce iſti peccatores in ſæculo petunt diuitias ex ſolo valore vnius lachrymulæ tuæ quam pro ipſis effudiſti.

2. *Merita Mariæ.* Orant vt maternitas mea, qua non tu Deus, ſed ipſi peccatores indigebant, pro ipſis intercedat.

3. *Merita & interceſſio Beatorũ.* Petunt vt Angelorum, & Beatorum omnium vota, & voces exaudias, qui pacem in terra peccatoribus conclamant.

Et ſicut

Et ſicut tu bone Ieſu peccatoribus aſſociari voluiſti, & ipſorum miſeriam induere, & non ſolùm partem quamcumque, ſed copioſam, & ſuperabundantem pœnarum illis debitarum in te ſuſcepiſti, ita per te aſſociari Sanctorum omnium meritis, & iuſtis operibus expoſcunt. 4. *Merita, & intercessio iuſtorum omnium.*

Vident quàm acceptabile ſit hoc ſacrificiũ, quod & hic nũc Sacerdos meus ſeruus offert Aeterno Patri pro peccatis totius Mundi, & offerent iugiter Sacerdotes alij in Eccleſia, vſq; in finẽ Mundi, & iugem fructũ illius requirunt. 5. *Chriſtus Sacerdos, et Hoſtia.*

Orant vt memineris iuramenti tui ad vniuerſam Eccleſiam, quando promiſiſti Patrem tuum daturum quidquid petierimus in nomine tuo. 6. *Chriſti promiſſio.*

Et quia temetipſum ſemel donaſti illis, & omnia alia tecum, petunt modò ſibi exhiberi, quod ſibi iam donatum eſt, & ſuum eſt. 7. *Chriſti donatio.*

Exigunt pauperes in hoc Mundo à te diuite in miſericordia quæ tibi ſuperfluunt, quæ tu ipſe dari pauperibus præcepiſti. 8. *Chriſti mica.*

Immò quia ijs, quibus indigent, ipſi membra tua, tu ipſe indiges, hoc rogant, vt erga temetipſum miſericors ſis. 9. *Chriſtus egenus.*

Miſericordiam ab eo petunt, quia natura ſua miſericors eſt, & miſerator. 10. *Chriſtus miſericors.*

Et qui miſericordiam poſtulant filij ſunt eiuſdem Patris miſericordiarum, & totius conſolationis. 11. *Chriſtus Pater.*

Minora petunt à te Sancte Puer, quàm ea quæ tu illis dare paratus es, ſi oporteret, & cum iterum has anguſtias pati pro illis, & crucem ſubire paratus ſis, ſi pro ſalute ipſorum opus eſſet, vnico tuo ſuſpirio, vnico verbo contenti ſunt. 12. *Chriſtus paratus iterum crucifigi.*

Ex quo genui te, fratres tui ſunt, iurgium inter te, & ipſos non ſit. 13. *Chriſtus frater.*

Amici tui ſunt, ambulent tecum cum conſenſu, vt 14. *Chriſtus*

vnum

amicus. vnum velle, vnum nolle, cor vnum, & anima vna.

15. *Chriſtus in forma ſerui.* In forma ſerui te exhibes, miniſterium tuum imple, dicunt vt facias illos facere voluntatem tuam, fac quod tibi dicunt.

16. *Chriſtus Sponſus.* Sponſus, præbe Sponſæ cupienti amorem,& dilectionem tui ſicut potes, & ſcis, & vis.

17. *Chriſtus Dominus.* Dominus es, impera, & fac voluntatem bonam, quia etiam illius Dominus es.

Iudex es, fac iudicium, vt retribuas illis dum viuunt iuſtitiam & ſanctificationem, quam tot nominibus exigunt à te,qui factus es illis iuſtitia, & ſanctificatio, & ſapientia, & redemptio.

18. *Chriſtus Iudex.*

19. *Chriſtus legiſer.* Legiſfer es, da quod iubes, & iube quod vis.

Et ſi etiam vindex, & iratus aliquando fueris, rogant vt non declines in ira à ſeruis tuis, qui ſperant, & expectant etiam in ira tua miſericordiam tuam.

20. *Chriſtus iratus.*

21. *Chriſtus Deus, & homo.* Paſtorem bonum te agnoſcunt, & quæ talenta,& quãta bona acceperit humanitas tua, ex illa ineffabili, & diuina vnione bene cognoſcunt; ideo petunt vt pro ipſis eroges, quod pro ipſis accepiſti; talis ac tantus Pontifex, & Epiſcopus non ſaluabis oues tuas?

22. *Chriſti gloria.* Et quia ſalus ipſorum eſt gloria tua, rogant vt velis,& procures gloriam tuam.

23. *Chriſti beneficia.* Expedit vt vnum perſeuerantiæ donum,& beneficium addas, ne tota ſeries, & multitudo beneficiorum pereat.

24. *Chriſti hoſtis.* Et ne quando gaudeant ſuper illos inimici, & hoſtes ipſorum, qui etiam hoſtes, & inimici tui ſunt, & qui te in ipſis perſequuntur.

25. *Chriſti memoriale.* Quod ipſi petunt, tu ipſe ore tuo monuiſti, & præcepiſti, vt peterent, & eo modo petunt, quem in oratione tua, & memoriali tuo præcepiſti.

26. *Spiritus Sancti donum.* Qui concæptus es de Spiritu Sancto exaudi petitiones eius, qui poſtulat pro ipſis gemitibus inenarrabilibus.

De ſuo

De ſuo tantùm quod offerant tibi peccatores præter peccata ſua nihil habent, cum iſtis nolunt fugere à facie tua, quandoquidem reddis etiam pro malo bonum, & ad hoc veniſti, vt ſaluum faceres populum tuum à peccatis eorum, vnde & vocatum eſt nomen tuum Ieſus. 27. *Peccata noſtra.*

Tam bonus es, ò amabiliſſime Ieſu, vt abundantia pietatis tuæ, & merita ſupplicum excedas, & vota, ideo æquum eſt, vt non ſolùm dimittas, quæ ipſorum conſcientia metuit, ſed adijcias etiam quod ipſorum oratio non præſumit. 28. *Exceſſus diuinæ pietatis.*

Petunt ſemper orare, & nunquam deficere, non potes votis minora dare, qui vota ſupplicum excedis, & merita. 29. *Oratio noſtra.*

Et dum illis nihil eſt in Cælo, & à te nihil volunt ſuper terram præter te, quid reſtat niſi vt tu ſis Deus cordis eorum, & pars ipſorum in æternum? 30. *Sancta ſolitudo*

O quam patiens, & quàm benignus eſt filius tuus paruulus Ieſus Sancta Maria? quam dulcia faucibus eius ſunt ſuſpiria, & præces peccatorum? certè ſuper mel, & lac ori eius. Cibus eius, & potus eſt noſtra ſalus, cucurrit ſiquidē in ſiti ſalutis noſtræ. Dic igitur illi, O Maria, ſi ſitit, veniat ad me, & bibat, & extinguat ſitim ſuam, ſalutem impertiendo. Sitit ille ſaluare, & ego ſitio ſaluari; ſitit ille ſaluare à peccatis, & ego à peccatis ſaluari ſitio; ſitit ille donare, & ego ſitio accipere; ſitit ille donare ſeipſum, & ego ipſum ſolum ſitio poſſidere nunc, & in perpetuum, & in ſæcula ſæculorum. Amen, Amen, Amen.

ISAGO-

Digitized by Google

ISAGOGEN

AD

ORATIONEM MENTALEM.

Præcipua Venerabilis Patris Alexandri à Sancto Franciſco diligentia, vt in eius Vita notaui, præcipuus labor, & ſtudium in educandis Tyronibus Carmelitis Diſcalceatis in eo verſabatur, vt Nouitios ſuos artem benè Orandi doceret, & in Ieſu Chriſti Scholam introduceret, quo ſub Magiſtro, quam citiſſimè omnium virtutum ſcientiam ediſcerent. Licet alias pluries, in tradendis præceptis de Oratione totus fuerit, ſingulariter tamen anno 1628. ante ſuæ vitę terminum ſuis Fratribus in exhortationibus domeſticis Nouitiatus per plures menſes monita, & documenta bene orandi dictauit. Hęc quidam diſcipulus ſuæ ſalutis cupidus breuiter notabat, etiam appoſita die menſis, qua habita fuit exhortatio ac doctrina tradita, & quia plurimum profeſſoribus Orationis mentalis prodeſſe poſſunt, ea placuit ſparſim poſita colligere, digerere, ordinare, & in vnum corpus, ac formam debitam componere, nec non ſub nomine ISAGOGEN ad Orationem Mentalem inter cætera tanti Serui Dei opera euulgare.

CA-

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

De neceſſitate Orationis mentalis, eiuſque partibus.

QVia plura de neceſſitate, & vtilitate Orationis inferius dicenda ſunt, dum agetur de vltima eius parte, quæ Petitio dicitur, in qua tota completur, & conſumatur Ars hæc Artium perfectiſſima orandi, ideo breuiter in hoc capite innuentur principia, ex quibus Tyronibus Diſcalceatis appareat neceſſitas Orationis; Eſt igitur eis neceſſaria ex triplici capite; primo quia Chriſti fideles ſunt; ſecundo quia Religioſi, tertio quia Carmelitæ Diſcalceati.

Eſt primò Oratio omnibus Chriſti fidelibus neceſſaria ad ſalutem, nam ad conſequendam æternam beatitudinem, pro qua nati, & renati ſunt, tenentur cuſtodire Legem Domini, & in pręceptis eius ambulare, ſiquidem ſcriptum eſt, *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*; Medium autem omnino neceſſarium pro huiuſmodi obſeruantia, eſt Oratio, nam ea mediante obtinetur Gratia Dei, ſine qua mandata impleri non poſſunt,

Ex quo Secundo apparet neceſſitas, quā habent Orationis Religioſi, tenentur enim ex vi proprij ſtatus tēdere ad perfectionem, nec ſola obſeruare præcepta, ſed & conſilia Euangelica, ac proinde magis indigent diuina Gratia, pro qua obtinenda ſpeciali iure ſtudio Orationis adſtringuntur.

Tertiò tandem propriùs Carmelitas Diſcalceatos vrget neceſſitas Orationis, quia Inſtituti eorum finis, ac potior pars eſt Contemplatio, atque ex Regulæ præſcripto non tam Marthæ miniſterijs, quam Mariæ otio deputantur, vt die, ac nocte iugiter in orationibus vigilent, & in lege Domini meditentur; ita vt grauiter peccaret Carmelita Diſcalceatus, qui ſtudium Orationis mentalis penitus negligeret, cum ſuæ vocationi non reſponderet, nec præcipuo Inſtituti proprij fini attenderet.

Non ſic autem neceſſaria eſt Oratio, vt medium ad fugienda peccata, & ad obtinendam vnionem cum Deo, in qua tota noſtra fælicitas, beatitudo, ac perfectio conſiſtit, ſed

eſt & vnio tam cognitionis, quam affectus cum Deo, quare aliquo modo ſibi immediatè oppoſita videntur Oratio, & peccatum; illa etenim eſt eleuatio mentis in Deum, hoc Apoſtaſia, ſiue auerſio mentis à Deo, & ideo ferè eadem apparet neceſſitas non peccandi, & orandi.

Cum igitur adeo neceſſarium ſit ſtudium Orationis, & maximè Carmelitis Diſcalceatis, vt in eo proficiamus, totis viribus enitendum: adeoque non erit abs re Orationis partes addiſcere, explicare, & quid vnaquæque exigat, vt fructuosè fiat, aperire; quod Deo dante ſequentibus capitibus dabimus.

Sunt autem Orationis mentalis ſex partes, vt communius ſentiunt Patres ſpirituales, videlicet, Præparatio, Lectio, Meditatio, Gratiarum actio, Oblatio, & Petitio.

CAPVT II.

De Prima parte Orationis, quæ eſt Præparatio.

PRæparatio ad Orationem mentalem eſt duplex, altera remota, altera proxima, ſcilicet illa mediatè, hæc immediatè diſponit animum ad orandum, ipſiuſque Orationis tempus præcedit.

Remota ergo præparatio conſiſtit in cura, & diligentia, qua homo præcaueat omnes occaſiones, quæ valeant retrahere eius mentem ab Oratione, ac eiuſdem fructum impedire; Ideo non ſibi vendicat, nec tempus, nec locum particularem, ſed omni tempore, & in omni loco fieri poteſt, & debet.

Sex ſunt autem, quæ vt diſtrahere mentem, eamque inutilibus cogitationibus implicare poſſunt, ſic fugienda, & cauenda ſunt *Primum*, ſunt peccata, hæc enim auertunt animam à Deo, & ideo indiſponunt ad Orationem, quæ eſt eleuatio mentis, & vnio cum Deo. *Secundum*, ſunt affectus inordinati, quibus ad vana diſtrahitur cor, & ſunt quatuor præcipui, Amor Creaturarum, Timor, Gaudium, & Triſtitia. *Tertium*, eſt incuria, negligentia, & parua cuſtodia ſenſuum externorum, & internorum, vt videndi, audiendi, loquendi, & ſciendi non neceſſaria. *Quartum*, eſt multiplici-

tas

tas negotiorum, vel operum externorum; nam pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus, & variis occupationibus animus diſtractus difficiliter ſe ad ſe ipſum colligit, nec valet vacare internæ quieti pro exequutione multorum operum ſollicitus, & inquietus, ideo Spiritus Sanctus nos hortatur dicens, *Ne ſint in multis actus tui*; Hoc autem debet intelligi quantum per obedientiam licet, & permittitur. *Quintum*, eſt nimia applicatio mentis ad externa opera licet bona, dum taliter illis animus attendit, vt non relinquat locũ eleuationi mentis in Deũ. Igitur Orationis, & ſalutis ſuæ amans, adhibeat curam, ita exterius occupari, vt in ipſomet opere valeat mentem ad Deum eleuare, eique per ſuperiorem animi partem vniri. *Sextum* tandem eſt aſſumptio voluntaria alicuius operis alias Sancti, & boni ex proprio genio, & arbitrio abſque Superioris obedientia, ſemper enim tale opus ſine obedientia aſſumptum pungit animum, & cauſat diſtractionem, ac proinde tempore Orationis inquietat, mentemque moleſtat.

Præparatio proxima eſt illa, vt dictum eſt, quæ immediatè præmittitur tempori Orationis, & apud Carmelitas Diſcalceatos pro Veſpertina Orationis hora tribuitur huiuſmodi præparationi dato tabellarum ſigno quarta horæ pars; licet autem pro matutina non ſit tempus aſsignatum, ſolet tamen fieri vel ante cubitum in domibus ſtudiorum, vel poſt matutinum recitatum media nocte. In tribus conſiſtit hæc præparatio, ſcilicet primo conſiderando perſonam, ad quam acceditur, & cum qua agendum eſt, Deus ſcilicet Optimus Maximus; ſecundo conſiderando perſonam, quæ accedit, & nos ſumus; tertio id quod in Oratione tractari debet, negotium, quod apud Deum intendimus expedire.

Circa Deum, cum quo in Oratione agendum eſt, duo ſunt ponderanda, infinita videlicet illius Maieſtatis magnitudo, & eiuſdem Bonitatis immenſitas. Circa perſonam noſtram alia duo conſiderare debemus, ideſt noſtram ſummam vilitatem, & miſeriam, & noſtram malitiam, ac indignitatem, ex hac duplici conſideratione, & comparatione Dei, & noſtri, conabimur ſequentes affectus in noſtro corde excitare; *Primum* maximam reuerentiam erga ſupremam illam Maieſtatem, quam Angeli venerantur, & ante cuius conſpectum Seraphim contremiſcunt; *Secundum* amorem intenſiſsimum,

& feruidiſsimum erga infinitam, & ineffabilem bonitatem Dei, qui adeo bonus fuit, vt etiam nos peccatores, inimicos, iniurios rebelleſque dilexerit, ac dederit filium ſuum pro nobis. *Tertium* maximam fiduciam ab eo quodcumque bonum noſtræ ſaluti neceſſarium obtinendi, cum æterna ſua Charitate adeo nos amauerit non ſolum ſine meritis, ſed cum tot demeritis; A Deo autem tam bono, & tam noſtri amante nihil eſt, quod ſperare non debeamus. *Quartum*, profundam humilitatem, depreſſionemque animi erubeſcendo, & confundendo nos ipſos pro dignatione tanta, & tam eximii amoris oſtentione, erga ſeruum nequam, indignum, ingratum, impium, & ſceleſtum. *Quintum* denique intenſiſsimum odium peccatorum, quibus offendimus diuinam bonitatẽ, nobis adeo beneficam, et eiuſdem Maieſtatem irritauimus; actuſque veræ contritionis elicere.

Circa id quod agere, & tractare in Oratione debemus; ſciendũ eſt non alium eſſe, vel debere eſſe finẽ noſtræ Orationis præter perfectam, et omnimodam conformitatem voluntatis noſtræ cum voluntate diuina, ſiquidem in hac vnione, et conformitate tota noſtra conſumatur perfectio; Igitur ante Orationem ſedatè, et in particulari conſiderandum eſt, in quo noſtra voluntas præcipuè diſcordat, diſſentitque à diuina voluntate, ſeu in quo maiorem patitur repugnantiam, experitur difficultatem, ſentitque ſe pertinacius oppugnari, & hoc cognito, debet vnuſquiſque ſtatuere velle in poſterum conſentire, & conformari cum voluntate Dei, atque ad eam conformitatem obtinendam omnibus viribus niti per exercitium virtutis oppoſitæ vitio illi ſeu paſſioni, ex qua oritur repugnantia, ſeu defectus in exequutione diuinæ voluntatis; nec vnquam in Oratione ceſſare, quouſque ſit vitium illud ſuperatum, ſedata paſſio, & acquiſita virtus nobis neceſſaria ad abſolutam, & perfectam conformitatem cum Dei voluntate, implorato ad hoc etiam medijs interceſſionibus Sanctorum diuino præſidio, & ſic cum tali præparatione, & determinatione alacri animo, & ſpei pleno ad Orationem accedere.

CAPVT

CAPVT III.

De aliquibus defectibus, qui circa Præparationem committuntur.

PLures ſolent committi deffectus circa præparationem ad Orationem, quibus impeditur ne ex tam ſancto exercitio debitam percipiamus vtilitatem, ideo placuit eos breuiter adnotare, vt caueantur.

Primus, et præcipuus defectus eſt minor exiſtimatio, et appretiatio quam par ſit, exercitii Orationis, hinc enim eſt, vt iuxta eius merita non tractetur, & quod vel faciliter prætermittatur, vel cum tepiditate, et diſtractione peragatur. vt ergo hunc ſcopulum effugiamus, magnus, & eximius conceptus Orationis, eiuſq; neceſsitatis efformandus eſt; pro quo primo iuuabit conſideratio perſonæ cum qua in Oratione agendum eſt; ſecundò conditionis noſtræ, quæ ſubiacet innumerabilibus miſeriis, ac vndique inimicorum noſtrorū laqueis irretitur; tertio præcepti Chriſti *Oportet ſemper orare*, quarto prohibitionis à Deo factæ Populo Iſraelitico, ne licet abundaret, plus mannæ colligeret, quam quæ pro cibo vnius diei ſufficeret, et contra hanc prohibitionem collecta putreſcebat: ſic etiam Dominus gratias quas nobis benignè largiri diſponit, non ſimul, ſed paulatim diebus ſingulis elargitur, vt ſicut ſemper eius miſericordia indigemus, ſic et indigentiam noſtram agnoſcamus, et ad eum per ſingulos dies accedamus.

Quia tamen totum negotium benè, et fructuosè orandi ab hac exiſtimatione dependet, ad eam acquirendam plura alia motiua induci poſſunt, et quia magni intereſt, vltra iam dicta alia innuemus. *Primo* igitur, quis poſſet conſiderare, quod forte hora illa Orationis erit vltima, quæ ſibi de ſalute æterna cum Deo tractanda concedatur. *Secundo*, quod licet non ſit vltima, ab ea nihilominus negotium ſaluationis pendeat, cum forte Deus decreuerit in illa hora Orationis nobiſcum vti ſua miſericordia, et in ea nobis concedere talem gratiam, vt ex corde ad ipſum conuertamur, et de die

in

in diem proficientes ad excelſiſſimum ſanctitatis gradum aſcendamus. *Tertio* quòd nullus vnquam vel Nuncius, vel Conſiliarius Principis, ſiue Rex, aut Imperator maioris ponderis negotia tractauit eo, quod nos in Oratione cum Deo acturi ſumus. *Quarto* quod negotium peragendum eſt maximum quod habeamus præ manibus, et pro quo viuimus ſuper terram. *Quinto* quod Deus Cœlum, terramque condidit, & conſeruat, vt nos ſpecialiter ei in Orationis exercitio ſeruiamus, vnde curandum eſt ne tantum opus ex noſtra negligentia ſuo fine fruſtretur. *Sexto* quod in rebus naturalibus nulla vacat à munere, et officio, ad quod condita eſt, ita ignis ſemper calefacit, ſol ſemper lucet, mouentur indefectibiliter Cœli, cum ergo nos ſpecialiter à Deo ad Orationem vocemur, cur miniſterium proprium negligemus? *Octauo* ponderentur labores continui, ſollicitudines, vigiliæ cœterorum hominum in ijs artibus, et negotijs, quibus pro temporalibus, et caducis bonis ſe addixerunt, qua ſedulitate, et intentione ſe in eis occupent, cum ergo ſit magis noſtrũ ſtudium, et ars Orationis, quam Medici mederi, et Pictoris pingere, cur in eam omnem noſtram intentionem non dirigemus? *Nono* tandem, plurimis alijs rationibus prætermiſſis aduerte, quam deceat mentem Deo ſacratam vt circa ipſum perpetuò applicetur, ſaltem per horam tota eidem incumbat, vt inde ſibi pro reliquo diei tempore neceſſaria prouideat; vel quam deceat filium grauiſſimis negotijs à Patre amabiliſſimo occupatum, vt ei de eiſdem qualibet die rationem reddat, nouaque recipiat ſiue mandata, ſiue inſtructiones, & ſi alius finis ceſſaret, ſaltem ob mutuam conſolationem, & vt videat an Pater aliquid de nouo requirat.

Alter deffectus, qui in præparatione committitur, eſt falſa quædam præſumptio, ſeu cogitatio, qua ad Orationem accedimus, quaſi cum Principe terreno acturi, qui parum inclinatus, vel aueiſus à nobis benefaciendo, noſtro labore ſuaderi deberet, vt petita præſtet beneficia; ita in animum inducimus agendum pluribus, vt noſtris obſecrationibus inclinemus Dei cor, vt poſtulata concedat. Equidem talis opinio extremum, ac pernicioſum continet errorem; non enim Deus noſtram expectat orationem, vt cœleſtibus donis ditet, cum & Orationem ipſe largiatur, qua illum exoremus; hinc gratias agebat Sanctus Dauid, dum ait, *Benedictus Dominus*

Deus.

Digitized by Google

Deus meus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me. Hinc & S. Hierothæus teſte Diuino Dyoniſio cap. 4. de diuinis nominibus aſſerebat, Deum eſſe omnibus præſentiſſimum, non autem omnes Deo; tunc verò nos ei præſētes reddi, dum orare incipimus; & licet nobis videamur ipſum medijs orationibus ad nos trahere, vt conferat gratiā ſuam, è contra tamen potius accidere, cum ipſi ad Deum accedamus, & diſponamur gratiæ recipiendæ; Inſuper comparat Orationem aureæ catenæ, quæ à Deo vſque in terram deſcendit, aitque cum nos ſtudemus per eam Deum ad nos inclinare, ad eum nos aſcendere, aptarique beneficijs, quæ iam nobis liberaliter elargiri ſtatuerat, nō aliter ac ſi quis eſſet in Naui fune ſcopulo alligata, & niteretur ad ſe ſcopulum trahere, vtique falleretur, nec ſcopulum loco moueret, ſed è contra Nauis ad ſcopulum accederet. Modus igitur congruus, & optima præparatio accedendi ad Orationem, ſit animus firmus, quo ſtatuamus nos velle deponere noſtram malitiam, & tepiditatem, vt ſimus gratiæ neceſſariæ pro noſtra ſalute capaces, non quaſi debeamus vt dictū eſt, Deo perſuadere, vt gratiam donet. Hoc monito & cuſtodietur humilitas, & fouebitur fiducia in Deo, tolleturque vana præſumptio in noſtris orationibus, diſponemurque ad beneficia diuina recipienda, quorum negatio vtique non infinitæ Dei bonitati, ſed noſtræ indiſpoſitioni debet imputari.

Tertius defectus in præparatione, & admodum frequens eſt, accedere ad eam vt plurimum non cum debita rectitudine intentionis, non quia habeatur mala, ſed quia talis acceſſus eſt, vel ex conſuetudine, vel ex neceſſitate, vel ad obtinenda bona temporalia, vel vt cœteris bonis operibus addatur & exercitium Orationis, qui quartus finis licet ſit præcedentibus melior, non tamen optimus, cum rectitudo intentionis in Oratione illum ſibi debet ſtatuere finem, pro quo principaliter inſtituta à Deo eſt, non pro quo minus principaliter, & ſecundario. Finis ergo principalis in inſtitutione Orationis eſt Dei gloria, eiuſque voluntatis adimpletio, minus principalis eſt gratiarum neceſſatiarum impetratio vt optimè docet Cœleſtis noſter Magiſter Chriſtus in Oratione Dominica, quæ incipit Pater noſter, qui es in Cœlis ſanctificetur nomen tuum &c. & alibi nos hortatus eſt, primum quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & cætera omnia adijcientur vo-

bis

Digitized by Google

bis, nobis ſcilicet inhibens, ne ſolliciti eſſemus pro petitione rerum temporalium, ſed ſolum ſtuderemus eius gloriæ, boniſque ęternis. Et hæc recta, ac pura intentio non ſolum debet præcedere, ſed & comitari Orationem, vt quid maximè neceſſarium vt inde copioſos fructus eruamus.

Quartus defectus in præparatione accidit, cum ex diaboli operatione, ac induſtria hæremus ſuſpenſi circa determinationem materiæ, quæ meditationi deſeruiat, ſic inutiliter plurimum conſumitur temporis, quo varij virtutum actus poterant fieri, & recipi fortè à Deo illuſtrationes ſanctæ; Imò quod peius eſt, hæc indeliberatio non ſolum gignit tepiditatem, extinguitque feruorem ſpiritus, ſed etiā potens eſt totum fructum Orationis quandoque impedire. Ideo optimum eſt conſilium habere ſemper, & modum determinatum procedendi, materiamque particularem vel Vitæ Chriſti Domini, vel alicuius Nouiſſimi, vel alterius veritatis, vt eo tempore, quo non ſuppetit alia meditatio, vtiliter occupemur.

Tandem ſolet eſſe defectus in præparatione, quia non vt decet ſentimus de infinita Dei bonitate, ac proinde ad ipſum non vt ad Patrem peramanter, ſed timidè vt ad Iudicem accedimus, at è contra agendum eſt, & licet onuſti peccatis, & ſuper arenam maris culparum rei, adhuc tamen in diuina bonitate fidentes humiles quidem, ac contriti, debemus dilatare cor,& fiducia maxima ad Deum tanquam ad dulciſſimum, et amabiliſſimum Parentem confugere.

Iuuat etiam pro Orationis præparatione externa corporis compoſitio, quo enim hæc maior fuerit, eo collectior, & feruentior erit Oratio, ſicut è contra raró externè incompoſitus deuotè tempus Orationis tranſiget, & hoc quam ſit vltra omnem dubitationem verùm ſuam quiſque conſultat experientiam.

CAPVT

CAPVT IV.

De Lectione ſecunda Parte Orationis.

Lectio ſecunda pars Orationis maioris momenti eſt, quam quod prima fronte appareat, vel ab aliquibus æſtimetur; ſolet enim Deus Optimus Maximus ſpecialiter, & copioſis gratiæ ſuę auxilijs etiam ſupernaturali modo cũ ea concurrere, illuminando ſubito intellectum, & manifeſtando eidem taliter veritates æternas, vt efficaciter moueatur voluntas, trahaturque non minus ſuauiter, quam potenter ad fugiendum malum, & bonum proſequendum. Ita legimus concurriſſe Deum cum S. Antonio Abate, qui audiens ex lectione Euangelica verba illa, *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus, ac veniens ſequere me*, adeo ſupernaturali lumine fuit illuſtratus, vt ſtatim exarſerit in deſiderium Chriſtianę perfectionis, & quæ audierat opere complens, omnia vendiderit, elargitus fuerit Pauperibus, ſæculoque vale dicto ſequutus ſit in voluntaria Paupertate, & nuditate Dominum Redemptorem. Eandem efficaciam ſacræ lectionis in ſe ipſo expertus eſt D. Auguſtinus Eccleſiæ Catholicæ lumen, cum enim praua conſuetudine obſtrictus ſe adhuc expedire nõ poſſet à ſenſus ſui vinculis, vt praua exuta nouam in Chriſto vitã incohàret, ac proinde de die in diẽ conuerſionem differret impotens ob maximam repugnantiam, quam ex parte inferiori patiebatur abdicare à ſe totaliter carnis voluptates, cum quadam die in horto anxius ſecum conflictaretur caroque, ac ſpiritus inuicem decertarent, audiuit è Cœlo hanc vocem, *Tolle, & lege; tolle, & lege*. Cœleſti igitur Præcepto obtemperans accepit librum noui Teſtamenti, & illum aperiens incidit in ſententiam Apoſtoli Pauli, *Non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum*. Vix verba hæc legerat, & tanta diuinæ lucis abundantia fuit præuentus, vt ſtatim nulla mora interpoſita dimiſerit omnia & ſe Ieſu Chriſto totũ tradiderit; Lectio etiam ſacra ex terreni Principis militia in Celeſtis Nu-

 minis

minis Caſtra Sanctum Ignatium de Loiola tranſtulit ducemque noui exercitus Catholici contra fidei hoſtes eximium conſtituit; Et ſimilium exemplorum abundant hiſtoriæ Sacræ, cum innumeros media lectione piorum librorum Spiritus Sanctus ad meliorem frugem reduxerit, & ad perfectionem animauerit.

Magni igitur facienda eſt lectio, nullaque dies prætereunda, abſque eo quod ſaltem aliquid parum legatur de libro aliquo pio, & ſpirituali. Vt autem lectio euadat vtilis, & proficua, *Primò* debemus orare Deum, vt dignetur per eam noſtræ mentis tenebras illuſtrare, & affectum accendere; *Secundò* debet quis taliter ad lectionem accedere, ſeu eo animo, vt Deum ipſum ſibi in ea loquentem audiat, ac proinde non tam attendat ad auctorem, qui librum compoſuit, quam ad Spiritum Sanctum, qui per os illius dignatus eſt loqui, ac aliquam veritatem ingerere; *Tertiò* lectio debet eſſe ſedata, & cum pauſa, non velox, & quaſi currendo, quæ leguntur; *Quartò* adhibenda eſt attentio, deuotio, & ponderatio eorum, quæ leguntur; *Quintò* tandem cauenda eſt prolixitas, & curioſitas in lectione, non enim quis attendere debet lectioni ſpirituali, vt paſcat naturale deſiderium, ſeu vanitatem addiſcendi, ſed vt illuminetur à Deo, & ad amorem virtutis alliciatur; Deus autem adhuc breuiſſima lectione vtrumque præſtare valet, & docere intellectum, & voluntatem efficaciter mouere, eo magis quod hæc non mouetur ex eo quod intellectus ſciat, ſed ex eo quod actualiter conſideret. Igitur lectio debet eſſe moderata, & breuis, ac tanta, quanta ſufficit, vt erudiatur intellectus circa cognitionem alicuius veritatis, & voluntas ad eandem accendatur.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT V.

Quid ſit meditatio eiuſque finis.

MEditatio tertia Orationis mentalis pars tertiam intellectus noſtri operationem, qui dicitur diſcurſus, ſibi vendicat, poteſtq; deſcribi quod ſit ſpeculatio, ſeu conſideratio attenta, & ponderata intellectus practici circa inquiſitionem alicuius veritatis, in ordine ad mouendum appetitum vel circa bonum proſequendum, vel malum fugiendum. Dicitur ſpeculatio, vel conſideratio, quia vel intellectus verſatur circa rem cognoſcendam in ſe ipſa, vel in aliqua ſimilitudine, & imagine illius, vt quando ex conſideratione mortis corporalis percipitur turpitudo, & malitia peccati, quæ eſt mors animæ, ac proinde morti corporis ſimilis; dicitur attenta, quia non debet admittere mentis euagationem, ſeu diſtractionem, & conſiderata, quia non debet fieri perfunctoriè, & ſuperficialiter, ſed ſedatè, & benè penetrando veritates neceſſarias; additur intellectus practici, quia talis ſpeculatio non debet ſiſtere in cognitione, ſeu in delectatione, quam intellectus ex ea percipit, ſicut accidit in ſcientijs ſpeculatiuis, quarum finis eſt nuda, & ſimplex ſpeculatio veritatis, ſed meditatio Orationis debet dirigi ad operationem alterius potentiæ ab intellectu, & innuitur in ſequentibus particulis, nam inquiſitio veritatis, quæ eſt proceſſus a veritate cognita ad cognitionem ignotæ, ordinari debet ad affectum voluntatis permouendum circa bonum, quod eſt ſimpliciter tale nempe morale, & virtutis, quo medio non ſecundum quid, & diminutiuè, ſed abſolutè dicitur quis Homo bonus, & ad fugiendum malum oppoſitum quo homo redditur abſolutè, & ſimpliciter malus. Ad quatuor autem poſſunt reduci fines, quos tibi proponere valet meditatio. Primus eſt vt Deus à nobis laudetur, & glorificetur, nam conſiderando magnitudinem, & admirabilitatem operum eius, ſicut in nobis augetur de eius Maieſtate notitia, ſic augeri debet, & deſiderium ipſum laudandi, benedicendi, & glorificandi. Secundus finis eſt, vt totus noſter affectus in Creatoris noſtri, & Redemptoris accendatur amorem, quod

Digitized by Google

vtique obtinetur ex eiuſdem ſummæ bonitatis ſapiētiæ, amabilitatis, & pietatis agnitione. Tertius finis eſt vt feruenter, & perſeueranter oremus, nam cognita per meditationem noſtra imbecillitate, & infirmitate vt pote inſufficientes à nobis conſequi bona illa, quorum deſiderio inardeſcimus, ſollicitamur vt clamore valido clamemus ad Deum per Orationem, vt præſtet auxilia diuina; ſic meditatio ſine Oratione, ſeu petitione eſt infructuoſa, & ſterilis; & Oratio ſine meditatione eſt arida, & ſicca, & hi fines ſunt ipſi meditationi intrinſeci; Quartus eſt extrinſecus, ſcilicet emendatio propriæ vitæ, & morum in operibus virtutum, ſecundum vniuſcuiuſque ſtatum, & conditionem.

Terminus meditationis eſt contemplatio, nam per diſcurſum inuenta iam veritate, & affectu voluntatis moto, debet ſiſtere, & quieſcere intellectus non amplius diſcurrendo in contemplatione illius veritatis, quoaduſq; durat feruor voluntatis noſtræ motæ & perſuaſæ; tepeſcente autem tali feruore iterum per diſcurſum voluntas eſt inflammanda, quoaduſq; in noſtra meditatione, vt aiebat S. Dauid exardeſcat ignis, & amor efficax boni amplectendi, & mali fugiendi; nec ſolum in communi, ſed deſcendendo ad bonum particulare, vel malum determinatum, iuxta materiam meditationis habitæ.

CAPVT VI.

Materia meditationis multiplex.

Generaliter loquendo duplex eſt materia meditationis, altera ſenſibilis, altera ſpiritualis; ſenſibilis eſt de illis rebus, quæ cadunt ſub ſenſu, vt eſt mors, varietas rerum mundanarum, humanitas Chriſti Domini, eiuſque actiones, paſſio, mors, & ſimilia; ſpiritualis eſt illa, quæ non cadit ſub ſenſu, vt ſcilicet turpitudo peccati, pulchritudo virtutis, Gloria æterna, Dei bonitas, Amor, cæteraque attributa, & perfectiones, & ſimilia, quæ licet à nobis apprehendantur ad modum rerum corporalium, & per varias ſimilitudines, ſeu imagines ſenſibilium, certè tamen propriè

non

Digitized by Google

non ſunt ſenſibiles, nec cadere poſſunt ſub experientia noſtrorum ſenſuum.

Aduertendum autem eſt, quod ſi quis incipiat meditationem circa aliquam rem ſenſibilem, & corporalem, non eſt neceſſe, vt toto tempore Orationis in eadem perſiſtat, imò vt illa meditatio ſit fructuoſior, & melior debet è viſibilibus ad inuiſibilia, è corporabilibus ad ſpiritualia, à materialibus, & his, quæ cadunt ſub ſenſu, ad ea quæ non cadunt, gradum facere. Sit exemplum. Meditatur quis aliquem actum Vitę, vel Paſſionis Chriſti Domini, puta vel Circumciſionem, vel flagellationem, vel ſpineam coronam, aut Crucem, non vtique in dolore ſenſibili, quem tunc Redemptor noſter patiebatur, totam debet terminare meditationem, ſed inde aſcendere ad ſpiritualia, ſcilicet ad multitudinem pietatis, & amoris Dei, qui pro ſuis Creaturis, & adeo ingratis tam indigna, & atrocia dignatus eſt pati; vel ad turpitudinem peccati, pro quo delendo Filius Dei tot tormenta debuit ſubire; ſiue ad noſtram ingratitudinem, qui tanto amori non reſpondemus, nec vel verbum duriuſculum, vel ferculum minus ſapidum ferre pro illius amore poſſumus, qui pro nobis mortuus eſt. Hoc ergo pacto vtiliſsima, & optima erit meditatio; nam inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellectu conſpiciuntur, & dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inuiſibilium amorem rapimur, vnde Chriſtus Dominus de ſe fatebatur; *Ego ſum Oſtium*; ideſt per meam humanitatem patet ingreſſus, & aperitur via ad internam diuinitatem, *per me ſi quis introierit ſaluabitur, et ingredietur, & egredietur, & Paſqua inueniet*, ideſt ingredietur per meditationem rerum corporalium, & egredietur ab ipſis rebus corporalibus, & Paſqua inueniet rerum ſpiritualium; vnde bene dicit Ambroſius, *Actus humanitatis Diuinitatis exemplum eſt*.

Rurſus circa meditationis materiam poſſunt tria conſiderari, ſcilicet Perſona, Verba, & Actiones. Potiſſimæ autem perſonæ, quæ Orationi intereſſe debent, ſunt Deus, & ille, qui orat, & ſuper has duas perſonas, quaſi ſuper baſes, & columnas totum conſurgit ædificium ſpirituale meditationis, & Orationis, vt ſcilicet de Deo optimè ſentiamus, concipiamuſque maximam fiduciam, de nobis totaliter diffidamus, quæ vtique duo petebat Auguſtinus cum dicebat, *no-*

uerim

Digitized by Google

nerim te, nouerim me. Quam autem in Deo ſit fidendum; & amabiliſſimas conditiones Dei noſtri ſcilicet Omnipotentiã, promptitudinem, facilitatem, & voluntatem omnia nobis concedendi ſi ipſum oremus, & petamus, ſicut & ex aduerſo quam ſit miſera noſtra conditio, infirma, & de ſe impotens ad omne bonum niſi adiuuetur à Deo, inferius dum agetur de petitione melius explicabitur.

Poſt conſiderationem perſonarum ſequitur conſideratio verborum; Licet autem in tota Sacra Scriptura loquutus ſit Spiritus Sanctus, adeoque contineat diuinam Sapientiam, & habeat efficaciam ad illuminandum noſtrum intellectum, & inflammandum affectum, ineſt tamen ſpecialiſſima Gratia in verbis Chriſti Domini, verba etenim vitæ æternæ proferebat, & eius eloquium vehementer ignitum, vnde & ſuper cætera efficaciam ſortiuntur ad profectum animarum. Tria autem ſingulariter debemus colligere ex verbis Chriſti Magiſtri noſtri; *Primum* cognitionem ipſius, ex abundantia ſiquidem cordis os loquitur, & præcipuè per verba externa apparebat internus eius animus, & affectus erga nos; Quare omni certitudine tenendum veraeſſe, quæ de ſe ipſo erga nos affirmauit, vt dum teſtatus eſt ſe veniſſe vt vitam habeamus, & abundantius habeamus, dum ſe nobis obtulit in Patrem, in Fratrem, Paſtorem, Medicum &c. *Secundum*, quod debemus colligere eſt vt videamus quales nos deceat eſſe, vt tanto amori reſpondeamus, & quam firmum voluntatis propoſitum concipere ei in omnibus placendi per fugam eorum, quæ ipſe odit, & amorem bonorum, quæ eidem placent. *Tertium* colligendum ex verbis Chriſti eſt, vt contra ſal aciã, vel ſenſus noſtri, vel vanos hominum errores illud de rebus iudicium efformemus, quod ille docuit, præualeatque eius ſententia omnibus vel affectibus, vel rationibus in oppoſitũ; vt ſcilicet credamus verè in ſe eſſe diuitias ſpinas, licet repugnante ſenſu videantur potius Roſæ, & delitiæ, quia ſic veritatis Magiſter, qui nec falli, nec fallere poteſt, dixit, & ſic de reliquis.

Poſt verba in meditatione veniunt conſiderandæ actiones Chriſti; In omnibus autem eius actibus, & paſſionibus duo præcipuè agenda ſunt; primum vt ex illa actione veniamus in cognitionem quis fuerit animus, affectus, charitas, benignitas, & amabiliſſima voluntatis Chriſti inclinatio erga

nos,

nos, nam ſi ex verbis, multo magis ex operibus, quæ plus ponderis habent, id poſſumus colligere; ſecundum vt in illa actione ſpecialis aliqua virtus, in qua illum immitemur innoteſcat, vt Manſuetudo, Humilitas, Patientia, &c. Ne autem vnquam in actionibus Chriſti, vel aliorum Sanctorum deſit materia meditandi, dabit latiſſimam materiam conſideratio circumſtantiarum, quæ ſunt ſeptem, & clauduntur illo verſiculo,

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, per quis, deſignatur perſona agens, ſeu patiens, eius dignitas, maieſtas potentia, vel è cōtra; per quid ſubſtantia rei; per Vbi locus in quo tale peragitur opus; quibus auxilijs, inſtrumenta, ſeu media, quibus res cōpletur; Cur finis propter quem fit, vt Deus paſſus eſt vt nos ſaluaret, & eriperet à ſeruitute peccati; quomodo, modus, ſcilicet infinitus amor beneuolentiæ, quo Deus tribuit, vel egit nobiſcum, vel pro nobis paſſus eſt; per Quando ideſt tempus, quo ſcilicet nos minus digni eramus, & potius eius indignationem prouocabamus.

CAPVT VII.

De diſtractione in meditatione, eiuſque cauſis, & remedijs.

IN meditatione maximè cauenda eſt diſtractio, & euagatio mentis, ne in opere, quo plurimum merendum foret, demereamur, & loco perfectionis ad quam acquirendam dirigitur, nouis imperfectionibus implicemur, Deo non placentes, ſed diſplicentes. Ideo ſumma diligentia nitendū, ne tempore meditationis mens ad alia ſiue negotia, ſiue cogitationes vanas, & inutiles diuagetur, alioque ſe diuertat, ſed omnibus alijs curis repoſitis, vni tunc attendat materiæ meditandæ, & qui per plurimas diligentias hanc recollectionem comparauerit, ſciat ſe non parum profeciſse; Vt autem nitatur ad huiuſmodi cordis collectionē, attendat, & ponderet illud ſiue conſilium, ſiue præceptum Spiritus Sancti per Pſalmiſtam, *Declina a malo, & fac bonum*, vbi prius, & vt quid magis præcipuum imponitur declinatio à malo, & fuga

ab im-

ab imperfectionibus, quam proſequutio boni, nam quotieſcumque nos in noſtris operibus non ponimus obicem culpæ, Deus ſua infinita bonitate ſe ipſum communicat; quod monitum eſt notandum pro omnibus alijs actionibus pijs, & ex Obedientia, ſeu Regulę pręſcripto iniunctis, vt in officio diuino, Diſciplina &c. vt ſcilicet primò, & ante omnia in illis caueamus committere imperfectionem, & ne demereamur ſaltem, ſi mereri ex noſtra infirmitate non poſſumus, quia autem faciliter irrepit per diſtractionē voluntariā in meditatione culpa, & demeritum, ideo ſummopere ſtudendum quantum in nobis eſt ab his abſtinere; quod vt facilius conſequàmur operæ prætium erit & cognoſcere cauſas diſtractionum, & ea quæ ad collectionem mentis iuuare poſſunt.

Ex tribus capitibus redditur meditatio difficilis, & oriuntur diſtractiones. *Primum caput* eſt inſtabilitas noſtri cordis, quod difficile diu perſiſtit, ac perſeuerat cum debita attentione in pijs, ac ſanctis cogitationibus; *Secundum caput* eſt naturalis conditio, & modus noſter intelligendi in hac vita per dependentiam à phantaſmatibus miniſterio ſenſuum acceptis; hinc ſiquidem oriuntur diſtractiones multiplices, dum faciliter in mentem redeunt, quæ vidimus, audiuimus, guſtati ſumus &c. *Tertium caput* eſt Dæmon noſter hoſtis inſenſiſſimus, qui omnibus machinis nititur nos in ratione turbare, ſicut enim ab ea ſibi maximum damnum timet, ſic in ea ſingulariter nos impugnat, & moleſtat, ne fructum debitum ſalutis percipiamus, quod vnicuique propria conſtat experientia.

Sed non deſunt auxilia, quibus adiuuetur ac reddatur facilis meditatio, nec non in eà attentio comparetur. Et contra primam difficultatem *primo* nos armat Gratia Dei, vnde aiebat Apoſtolus *Optimum eſt gratia ſtabilire cor*; medetur enim noſtræ infirmitati, & noſtram inſtabilitatem confirmat; & Diuina hæc Gratia in meditatione, & per meditationem; acquiritur, moueturque Dei benignitas, vt eam nobis largiatur. *Secundo* iuuat multiplex fructus, & vtilitas, quæ ex ipſa meditatione percipitur, nam primo aſſequimur omnia emolumenta, quæ aſſequuti fuiſſemus ex præſentia reali, & conuerſatione Chriſti Domini nobiſcum degentis in terris, licet enim modo ſit in Cœlo, potens tamen eſt auxiliari ſua ſacra Myſteria in terris meditanti, nec parua fœ-

licitas eſt poſſe in hoc mundo conuerſari familiariter cum Domino in Cælis. *Secundo* quia vnimur Deo, & incohatiuè fruimur de noſtra beatitudine, qua perfectè gaudent Beati in Patria; vnde ſi quidam Philoſophi totam ſuam fælicitatem poſuerunt in contemplatione naturalis veritatis, qua inuenta cætera deſpiciebant, quanto maior fælicitas inerit in meditatione bonorum gratiæ, & veritatum ſupernaturalium; ac proinde in ea laborandum, & gaudendum erit Religioſo? *Tertio redditur* facilis meditatio, ex dulciſſima conditione Chriſti Domini, qui tantæ eſt bonitatis, vt licet in meditatione mente diuagemur, demus diſtractionibus locum, & ante eum aſſiſtamus non cum debita deuotione, nihilominus gratam habeat noſtram huiuſmodi aſſiſtentiam, eique magis placeat, nos ipſi quocumq; modo appropinquare, quam ſi totaliter ab eo elongaremur, & recederemus, quoniam ſuanis, & mitis eſt, ac multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus eum. *Quarto eſt* optimum remedium contra diſtractiones tum præparatio remota, vt ſcilicet caueamus curioſa, & nociua, claudamuſq; viam ſenſuum phantaſmatibus importunis, tum lectio quæ debet meditationem præcedere, qua præparatur materia meditationis, impeditque ne laboremus, & diuertamur ad inquirendum id, quod oporteat meditari; In hoc autem aduertendum eſt, quod licet regulariter debeamus meditari circa materiam præparatā, ſi tamen Deus aliud ſuggerat, quo moueatur affectus, relicta materia præparata debemus ſequi motionem Dei, & ſinere nos trahi, quo ipſe voluerit. *Quinto* ad conſequendam in meditatione mentis recollectionem plurimum prodeſt, vt qua tum poſſibile eſt meditatio fiat in præſentia Dei. Igitur qui vult meditari debet ſe ſiſtere ante faciem, & conſpectum Dei, modo vel imaginario, vel intellectuali, & ſic continuare, proſequi, & terminare meditationem; quod vtique non ſolum exequendum eſt dum verſamur circa ipſum Deum, vt eius bonitatem, immenſitatem &c vel contemplando Chriſtum Dominum ſiue in Præſepio, ſiue in Cruce, ſed etiam dum de alijs rebus meditamur; & circa huiuſmodi præſentiam Dei magna diligentia eſt adhibenda, vt cum ea incipiat, & perficiatur noſtra Oratio, licet cum ſuauitate, & diſcreta applicatione ne ex ea lædatur caput, ex tali enim læſione impeditur finis intentus & fructus Orationis. Sed hic inquiri poteſt

teſt an hæc Dei præſentia debeat eſſe eadem, quam quiſque ſingulis diebus ſibi ſtatuit perpetuò contemplandam iuxta angelicum morem, quem edocentur Carmelitæ Diſcalceati; vel alia diuerſa ſit efformanda. *Reſpondetur* quod meditatio poteſt eſſe de Chriſto Domino, eiuſque actionibus, & paſſionibus, vel de alijs rebus, & veritatibus, vt de morte, de turpitudine peccati, de vanitate ſæculi, de miſerijs noſtræ vitæ, & ſimilibus: ſi ergo meditatio ſit de Chriſto, tunc præſentia Dei debet efformari iuxta qualitatem myſterij, quod meditamur, & ideo ſi mane pro præſentia Dei aſſumptus eſt Puer Deus in Præſepio, velimus autem meditari eius flagellationem vel crucifixionem, tunc debet mutari præſentia Dei, & relicta matutina pueri Ieſu, efformare nouam flagellationis, vel Crucifixionis; ſi autem meditatio ſit de alijs rebus poterit continuari præſentia Dei ordinaria aſſumpta pro illo die. Optimum autem conſilium eſt, vt incipiatur Oratio cum Præſentia Dei imaginaria, & ex illa gradum facere ad intellectualem; ſicut vt quis facilius ſe in præſentia Dei ſtatuat, ne imaginatio multum vagetur, ſeu laboret cum detrimento capitis, poterit ſibi Deum repræſentare, vel circa ſe, vel ante ſe, vel intra ſe ipſum. *Tandem* reddunt facilem meditationem, & amplitudo materiæ, quæ in conſideratione circumſtantiarum ſuperiori capite enumeratarum patet, & docet intellectum, & quod eius perfectio non in multa ſpeculatione, nec in varijs ſubtilitatibus ex parte intellectus, ſicut nec ex parte voluntatis in deuotione ſenſibili, & lacrymis ſita eſt, ſed in cognitione practica veritatis, & in determinatione efficaci placendi Deo, eiuſque ſequendi voluntatem; ſed de hoc capite ſequenti.

CAPVT VIII.

De motione affectus habenda per meditationem.

CVm vt diximus meditatio ſit operatio intellectus practici non debet ſiſtere in cognitione veritatis, ſed debet ſecum trahere etiam affectum, vt agnitam veritatem proſequamur. Duplex autem affectus noſter, ſenſibilis alter, alter rationalis; licet ſit bonus primus, melior tamen eſt ſecundus, neque ſi hic adſit, multum debemus de primo curare, totus enim fructus Orationis eſt, vt voluntas ſe efficaciter determinet ad fugiendum malum, & proſequẽdum bonum, quod vtique habetur ex affectu rationali, qui eſt abſoluta & prompta determinatio voluntatis, licet abſit ſenſibilis, qui in corde, & corpore ſentitur; Imò maxima diſcretione,& mediocritate opus eſt in eliciendis affectibus, præcipuè ſenſibilibus, vt ſcilicet torporem & remiſſionem fugiamus, agendo nimis remiſſe, & vix mouendo nos ipſos in bonum, & etiam fugiamus nimiam intentionem, & feruorem, quaſi volentes per vim eos trahere, emungere, & perficere, ex quo ſolet damnum non mediocre corporali ſaluti prouenire. Appetitus ergo ſenſitiuus & partis inferioris mouetur ex apprehenſione aliqua vel ſenſus interioris puta imaginatiuæ phantaſiæ, & ſenſus communis &c. vel exterioris; rationalis verò ſiue partis ſuperioris, & dicitur voluntas non mouetur niſi ex bono, & malo, quod per rationem, & intellectum proponitur; ſic motio appetitus ſenſitiui vt dictum eſt non fit niſi cum aliqua immutatione corporis, in quo eſt; at motio voluntatis nullam ſecundum ſe affert mutationem corporalem cum non ſit in potentia organica, ſed ſpirituali: Licet autem ſecundum propriam naturam appetitus inferior non verſetur niſi circa ſenſibilia, & voluntas niſi circa ſpiritualia, tamen ex mutua connexione, & dependentia, quam inter ſe dicunt iſtæ duæ potentiæ aliquando motus appetitus ſenſitiui mouetur ad ſpiritualia ex impulſu appetitus rationalis, & è contra appetitus rationalis mouetur ad ſenſibilia ex impulſu appetitus ſenſitiui.

Digitized by Google

Sic ergo iſti duo affectus, & appetitus poſſunt ſe habere ad inuicem in triplici differentia; *Primo* quando id quod vult appetitus ſenſitiuus, amplectitur etiam rationalis illi condeſcendens, & eſt malum ſignum, vt fuit in Adamo, cum comedit de ligno vetito; *Secundo* quando appetitus ſenſitiuus concordat cum rationali, proſequiturque quod huic placet, quod feliciter contingebat Dauidi cum dicebat, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Tertio quãdo ad inuicem diſcrepant, & per oppoſitum gradiuntur; ſicut experiebatur in ſe ipſo Apoſtolus Paulus *ſentio* dicens *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę*; Et ſatis frequens eſt hæc pugna cum appetitus ſenſitiuus non obediat rationali ad nutum, & diſpotico modo vt reliqua membra corporis, ſed politicè vt pote qui habet propriam formam, à qua mouetur. Licet autem aliquando reluctetur rationi, & validiſſimè, ac pertinaciter eam impugnet, non tamen debet voluntas cedere, ad eiuſque partes tranſire, ſed magis contra illius impetum roborari, nam tunc primo exercetur mortificatio, Secundo augetur meritum, Tertio tandem conſuetudine pugnandi, & vincendi, ſibi appetitus rationalis perfectè ſubijcit ſenſibilem, acquiritque ſupra eundem abſolutum dominium, & poteſtatem.

Appetitus ſenſitiuus diuiditur in concupiſcibilem, & iraſcibilem, ille in hepate, hic in corde ſedem habet; ille bonum abſolutè conſideratum, malumque oppoſitum reſpicit, hic ſub ratione ardui, & difficilis, & vndecim paſſiones appetitus ſenſitiui numerantur, ſex in concupiſcibili, quinque in iraſcibili; In illa ſunt amor in bonum præconceptum, deſiderium ſeu concupiſcentia de bono abſenti, & gaudium, ſeu delectatio de bono præſenti, & poſſeſſo. Sic eſt etiam odium de malo concæpto, fuga vel abominatio à malo non adhuc præſente, & triſtitia de malo præſenti. In iraſcibili autem ſunt ſpes in bonum arduum; Audacia aduerſus malũ arduum; Deſperatio de bono arduo; Timor de malo arduo, & Ira contra malum arduum. Harum autem paſſionũ naturam, & proprietates optimè explicat Ven. Pater N. Ioannes à Ieſu Maria in ſuo libro de Inſtructione Nouitiorum, & ideo apud eundem poſſunt vide i, & conſiderari. Solum eſt aduertendum noſtros affectus, & paſſiones de ſe nec eſſe bonas, nec malas, nec inferre virtutem, nec vitium, ſed eſſe indifferentes,

cum

cum proxima capacitate, vt euadant bonæ vel malę, ſi enim eis benè vtemur, erunt bonæ, ſi è contra malæ, ſic amare abſolutè nec bonum nec malum, at amare Deum bonum eſt, vitium verò malum, ſic lætari de bono ſpirituali proximi bonum, triſtari malum, & ita de cæteris affectibus, qui ſecundum conditionem proprij obiecti, vel ſecundum quod concordant, vel diſcordant a ratione ſunt boni, vel mali, & ideo vndecim his paſſionibus tanquam armis debemus vti, & inire prælium contra vitia & dæmonem.

Vt autem melius ipſis vti ſciamus operæ prætium videtur agnoſcere cauſas noſtrorum affectuum, & paſſionum, quæ decem numerantur. *Prima* eſt Deus, tanquam vniuerſalis Motor, & prima ac præcipua cauſa vniuſcuiuſq; rei, at licet ſit cauſa totius entitatis non tamen malitiæ, & deformitatis, quæ aliquando in noſtris affectibus reperitur, & conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ ineſſe actui; cum à ſua ma bonitate, & ſapientia malum, & defectuoſum eſſe non poſſit. *Secunda cauſa* aſſignantur Angeli prout valent mouere ſenſus noſtros tam internos, quam externos, excitare humores, repræſentare obiecta, & proponere diuerſa phantaſmata. *Tertia cauſa* eadem ratione & modo agnoſcuntur dęmones hi quidem vt noceant, ſicut Angeli boni, vt proſint. *Quarta cauſa* ſunt Cœli prout medio motu, lumine & alijs qualitatibus agunt in hæc inferiora, influunt in corpora, alterantq; eorum complexionem, & diſpoſitionem. *Quinta cauſa* ſunt primę quatuor qualitates nempe Calor, Frigus, Humiditas, & ſiccitas, quibus componuntur organa ſenſuum, & ſic ad eorum actiones alterantur, & mouentur, ſecundum prædominium vniuſcuiuſque qualitatis. *Sexta cauſa*, eſt cõplexio particularis ſingulorum, nam ex eius diuerſitate oriuntur in hominibus diuerſæ inclinationes, genia, paſſiones, & affectus, vt in frigidis malenconia, & triſtitia, in calidis ira, & lætitia &c. *Septima cauſa* eſt imaginatio ipſa, prout enim quis poll t magna vi illius, facilè mouetur ad aliquem affectum. *Octaua cauſa* eſt meditatio, conſideratio, ponderatio, vel ſpeculatio circa varias res, nam ex cogitatione, ſeu propoſitione obiecti ſequitur motus co form is in appetitu, ſic meditando beneficia Dei excitatur gratitudo, & amor Dei, conſiderando mala inferni, & turpitudinem peccati, exurgit odium, & fuga in idem peccatum &c. *Nona*

cauſa

cauſa ſunt habitus contracti,& acquiſiti ex actibus antecedẽtibus, inclinatur enim appetitus in ipſorum obiecta, & ſicut ex illis redditur operatio delectabilis, ita & facilis, & firma; vnde qui induxit habitum loquendi malè de ſuo proximo, faciliter in detractionem, & in verba læſiua charitatis exit,& ſic de cœteris. *Vltima cauſa* ſunt ipſimet affectus, & paſſiones, ad inuicem enim ſe iuuant, & fouent, ſic amor Dei pater eſt odii, & fugæ à peccato, amor Mundi parit timorem eum relinquendi, & ſimilia.

Licet autem tot ſint cauſæ noſtrorum affectuum, nulla autem poteſt cogere noſtram voluntatem ad malum; importunitatem paſſionum ſentire non eſt in noſtra poteſtate, & adeo adhuc nobis reluctãtibus ineſt, at conſentire,& diſsẽtire ab eis adeo eſt in noſtra poteſtate,vt nulla vis creata valeat nobis nocere,niſi ipſi nobis per malum conſenſum noceamus Ita affectus iſti relicti ſunt nobis ad agonem, & coronam, non ad perditionem, & mortem, & ab illis in nos multiplex fructus, & vtilitas profluit. Sex præcipuè emolumenta a noſtris affectibus, & paſſionibus facilè eſt deducere. *Primum emolumentum*, ſeu fructus eſt habitus virtutis ſi circa obiectũ rationis verſetur, ſicut erit habitus malus, ſi in vitium noſter affectus propendat *Secundum* quod eſt cauſa bonorum operum, quæ media eius motione,ſeu inclinatione peraguntur, & è contra in operibus malis. *Tertiũ*,quia ex intentione noſtrorum affectuum augetur meritum, vt v.g. ſi quis magna intenſione percuperet plurimas eleæmoſynas facere pro Dei amore, ſiue exercere alia opera miſericordiæ, ſpiritualia, & corporalia,ſed aliquo impedimento inuoluntario prohiberetur exequutioni mandare huiuſmodi deſideria, apud Deum meretur, ac ſi opere impleſſet, nam Deus animum,& voluntatem reſpicit, ideoque congruè ſatis Sanctus Leo Papa affirmauit, *Quod non eſt paruus cenſus, vbi eſt magnus affectus*; Ideo hac arte, & excitando in nobis vehementia deſideria magna agendi pro Deo, adhuc in Cella manentes poſſumus plura lucrari; ſed quia contraria nata ſunt verſari circa idem, valet etiam affectus ad augendum demeritum, & ſæpius etiam circa malum voluntas pro facto reputatur. *Quartum* eſt quod affectus adiuuat meditationem, & vicem eidem rependit, vt ſicut ab ea oritur, ſic eam fouet, vt reddatur firmior, attentior &c. *Quintum* quia Oratio ex intenſo

affectu

Digitized by Google

affectu Deo oblata faciliter exauditur, non ſic autem, quæ remiſsè, & tepido animo fit; Deus enim intuetur cor. *Vltimum* quod nos affectus trahit in naturam, & conditionem rei, circa quam verſatur, ineſt ſiquidem ipſi vis quædam transformatiua amantis in rem amatam, & perſonatiua amantis ſimilitudine rei amatæ, vnde aiebat Auguſtinus, *ſi terram diligis, terra es, ſi Cælum diligis, Cęlum eris*. Sic maximè cauendum eſt ne diligamus vanitates, & mendacia, ne & ipſi reddamur ſimiles ijs, quę dileximus, ſed ad ſuperiora noſtrum amorem referamus, & præcipuè ad Deum, vt perfici, & deificari poſſimus.

Totus ergo fructus noſtræ meditationis conſiſtet, vt ſciamus moderari affectus, ac in bonum noſtrum vertamus inſultus noſtrorum hoſtium, & ipſam rebellionē, & repugnantiā partis inferioris. Vt autem hunc fructum, circa quem Vita ſpiritualis adæquatè verſatur, percipere poſſimus, ſunt ſex documenta præcipuè notanda, & exequenda. *Primum documentum ſit* ne quæratur in meditatione dulcedo, & quædam ſenſibilis teneritudo in his affectibus, ſed ſufficiat oranti obtinere ſubſtantiam, & ſoliditatem illorum, vt ſi meditatio ſit de Paſſione Domini, & non poſſit haberi compaſſio circa dolorem Chriſti, ſatis ſit obtinere deteſtationem peccatorum, quę cauſa fuerunt eius paſſionis, & mortis. *Secundum documentum* dum arida meditatio eſt circa vnum affectum, licet hic non excitetur, poſſumus elicere plures actus virtutis ad talem affectum ſpectantis, & ideo oportet habere, & ſibi parare collectionem, & theſaurum plurium actuum virtutum, vt contritionis, ſpei, fidei, charitatis &c. vt ſint in promptu, & quaſi in numerata pecunia, vt eis vti poſſimus, vbi neceſſitas exigit. *Tertium documentum*, non debet taliter meditans ſe tradere vni affectui, quin alteri relinquatur locus, & præcipuè cum etiam oppoſiti affectus ſunt boni, ſed media via procedere, vt ſcilicet in affectu ſpei relinquatur locus timori, ne ex nimia confidentia, quis cadat in præſumptionem &c. *Quartum documentum*, circa elicentiam affectuum in meditatione adhibenda eſt diligentia, vt illi potiſſimum excitentur, quibus vnuſquiſque potiſſimum indiget vel ad aliquam virtutem comparandam, vel ad aliquod vitium eradicandum. *Quintum documentum* exigit, vt affectus, qui excitantur in meditatione circa opera virtutum

exercen-

exercenda extra tempus meditationis, ſuo tempore reducantur in actum vt ſic ex affectibus internis, & operatione externa virtus acquiratur, & conualeſcat. *Tandem vltimum documentum* ſit, ne affectus excitet in generali virtutum, ſed deſcendat in particularia, & velit ſeruire Deo ſpecialiter ſcilicet in Obedientia, manſuetudine, humilitate &c.

CAPVT IX.

De Ariditate, quæ ſolet adeſſe in meditatione, & quomodo quis in ea ſe gerere debeat.

SOlet plerumque euenire, & ex pluribus ac diuerſis cauſis, imò ex ipſa corporis complexione, vt poſt multam meditationem, plureſque dies Orationis, (fortè, & menſes, & annos) nullatenus moueatur voluntas, ſed eandē ſemper patiatur difficultatem & repugnantiam ad ſuperandam aliquam tentationem, & vt ſe vincat ſiue in materia Obedientiæ, ſiue Humilitatis, Charitatis, &c. adeoque maneat affectus aridus, ſiccus, & cum tædio ad ipſam Orationem. Sanè licet prima facie videatur oppoſitum, tamen hoc tempus aptiſſimum eſt Orationi, quæ ex tali ariditate dimitti non debet, imò potius maiori, & feruentiori ſtudio frequentari. Ad vincendam autem talem ariditatem tria potiſſimum agere debemus, *Primum eſt* firmiſſimum propoſitum non relinquendi Orationem, nec ab ea vnquam ceſſādi ob difficultatē, aut depoſituros ſpem conſequendi virtutē qua indigemus, & continuandi exercitium Orationis, alioquin deſperando, & animum deponendo fieret primo iniuria Deo, minus dignè ſentiendo de eius potentia, & bonitate, quaſi vel nollet, vel non poſſet nos adiuuare; Secundo intermitteretur diligentia neceſſaria pro cōſequutione talis virtutis, quia nemo ad impoſſibile nititur; Tertio tandem tolleretur ab Oratione maxima eius perfectio, qualis eſt perſeuerantia vt ſit apud Deum impetratoria cœleſtis gratiæ. *Secundum*, quod in ariditate quis debet agere eſt, cōfundere, & humiliare ſe ipſum, agnoſcendo propriam miſeriam, & inſuffi-

inſufficientiam ad omne bonum, & aptitudinem ad omne malum: Se coram Deo fateatur peccatorem, & digniſsime pro ſuis peccatis puniri, reddique omni bono indignum, & de ſe totaliter diffidat. *Tertium tandem* ex diffidentia ſui cõſurgere debet in ſpem diuinæ bonitatis, quæ vtpote infinita ſuperat, & in infinitum excedit omnem noſtram malitiã, & ſic agendum eſt intenſis actibus ſpei, ac ſæpe ſæpius ſunt renouandi. Hęc ſpes ſecundo poteſt deſumi ex meritis infinitis Chriſti Domini, & tertio ex promiſſis toties nobis factis, iuratis, & acceptatis à nobis, & ſic quaſi vim ipſi Deo inferre. Si tamen adhuc nõ moueatur voluntas, nec valeat difficultatẽ quam patitur ſuperare, ne quis triſtetur, & turbetur; ſit enim certus gratius obſequium præſtare Deo in tolerãtia prædictæ difficultatis, quam ſi illam, gratiam obtinendo, ſuperaret:

Vt autem quis facilius valeat contra ariditatem pugnare cum poſt multas ratiocinationes, diſcurſus, & meditationẽ nullo modo mouetur voluntas ad fugiendum malum, vel bonum amplectendum, poterit quis exercere ſubſequentes actus, qui ex ſe ſatis ſunt efficaces ad emolliendam voluntatem. *Primus actus* ſit agnoſcere, & confiteri coram Deo propriam obligationem, & debitum habendi illam virtutẽ, ſuperandi talem difficultatem, & ad id ex ſua parte ſe teneri. *Secundus actus* erit cõſtituere ſe culpabilem, & reum peccati, dignumque ſupplicio ex eo quod adhuc illam virtutem non comparauerit, & ex ſuo defectu difficultatem, quam in bono patitur, non ſuperauerit. *Tertius actus* ſit concipere maiorem dolorem, quem valeat de tali culpa, & negligentia in acquiſitione prædictæ virtutis. *Quartus* excitare in ſe deſideriũ ardens mediante Diuino auxilio illam conſequendi, imò à Deo inſtanter petere vt huiuſmodi deſiderium augeat, & cõfirmet. *Quintus*, elicere actum humilitatis, quo ſe ob commiſſa delicta agnoſcat, & fateatur indignum diuina gratia, & auxilio. *Sextus* firmiter proponere adhibere omnem conatum, & diligentiam poſſibilem quantumin ſe eſt, vt ſuperet illam difficultatem, & virtutem acquirat, ac ſi à nullo ſibi eſſet auxilium ad hunc finem ſperandum. *Septimus* eſt Oratio cum lachrymis, ſuſpirijs, poſtulando à Deo auxilium, nullus enim alius eſt à quo poſſit obtineri, & niſi ipſe ædificauerit Domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

Digitized by Google

Octauus tandem ſit concipere fiduciam certam, & infallibilē diuini auxilij, & impetrationis gratiæ ab ipſius miſericordia, quæ ſemper omnibus patuit, nec fuit vnquam negata, eam ſincero corde petenti, ſtante maximè vt dictum eſt ſuperius promiſſione à Chriſto iurata, & à nobis acceptata, concedendi omnia ad ſalutem neceſſaria, & ſtantibus meritis infinitis Chriſti Domini, & prætio ſuperabundante pro nobis ſoluto in ara Crucis pro quacumq; re à nobis impetrãda, & cum tali fiducia debemus aſtare ante Deũ, qui tandem dabit ſpiritum bonum petentibus ſe; imò hac fiducia quaſi vulneratur cor eius, vt Chriſtus Dominus reuelauit S. Gertrudæ aſſerens, quod illud Canticorum, *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum*, intelligitur de vulnere Orationis factæ maxima fiducia in Deo.

Tandem aduertendum eſt, quod ſi quis vel ex infirmitate, vel ex corporis indiſpoſitione, vel ex alio capite ſe minus idoneum agnoſcit meditationi, tunc temporis loco illius poterit vti lectione prolixiore, & deinde gradum facere ad alias partes orationis, hoc eſt ad gratiarum actionem, oblationem, & petitionem.

CAPVT X.

De Gratiarum actione, ac multiplici diuinorum beneficiorum genere.

POſt meditationem ſequitur Gratiarum Actio, quarta Orationis pars, & eſt prima inter affectiuas, non tamen adeo huic ordini aliquis debet eſſe addictus, vt ſi ſe ſentiat moueri magis ad oblationem, & petitionem, non debeat motum Spiritus Sancti ſequi, ſiquidem non minus eſt grata Deo oblatio, & petitio, quam gratiarum actio, imo ex ſumma beneficentia Dei, ac voluntate nobis benefaciendi, quædam ſpecies eſt actionis gratiarum ipſa Petio; Igitur ſinat ſe ab impulſu Spiritus Sancti duci licet regulariter poſt meditationem ponenda ſit Gratiarum Actio.

Omnia autem beneficia Dei de quibus reddere Gratias poſſu-

poſſumus ad tria ſeptenaria non incongruè reducentur. Prima duo ſeptenaria beneficia vniuerſalia, & communia tàm Creationis, quam Redemptionis continent, tertium vero beneficia particularia vnicuique à Deo benignè,& liberaliter collata; *Beneficia primi ſeptenarii Creationis* ſunt ſequentia; Primum Creatio Angelorum in noſtram vtilitatem; Secundum Prædeſtinatio, & glorificatio Sanctorum facta in noſtrũ auxilium, ſocietatem, & fauorem. Tertium creatio Cœlorum, Planetarum, Stellarum in noſtrum beneficium. Quartum creatio elementorum in noſtram vtilitatem. Quintum creatio plantarum, herbarum, florum, & ſimilium in noſtrũ commodum. Sextum creatio Animalium ad noſtrum vſum. Septimum Creatio aliorum hominum in noſtrum ſeruitium, ſolatium, ſocietatem, & beneficium. *Secundum Septinarium* in quo habentur beneficia generalia Redemptionis offert nobis hæc ſeptem beneficia; Primum æternum deſiderium Dei ſaluandi nos, & vocandi ab æternitate in conſortium Regni ſui, & diuitiarum ſuarum, *Secundum* Incarnatio Filij Dei ad eundem effectum.*Tertium* acerbiſſima Chriſti Domini Paſſio & mors propter nos homines, & propter noſtram ſalutem. *Quartum*. Doctrina diuina, & exempla omnium virtutum, quæ nobis nobiſcum viuendo Redemptor noſter tradidit,& reliquit. *Quintum* Sacramẽta pro nobis inſtituta. *Sextum* Gratia Dei neceſſaria ad noſtram iuſtificationem, & ad exercitium bonorũ operum; Septimum Gloria æternæ beatitudinis promiſſa.*Tertium Septenarium* beneficiorum particularium continet ſequentia. Primum eſt natum eſſe, & viuere filium Sanctæ Matris Eccleſię, item ſe participem eſſe fructus Redemptionis Chriſti, ſine vllo noſtro merito à quo tot millia Infidelium noſcuntur excluſi. Secundum Talenta accepta tum animi, tum corporis;Tertiũ multitudo, & continuitas bonarum inſpirationum,& ſanctarũ vocationũ, quibus à Deo perpetuò ad meliorem frugem, & ad viam virtutis vnuſquiſque vocatur; Quartum multiplicitas occaſionum omni tempore,& loco bene operandi data. Quintũ bona opera gratia, & fauore Dei facta. Sextum exemptio à multis malis, à quibus quilibet cognoſcit ſe per Dei miſericordiam, & fauorem fuiſſe liberatum. Septimum miſericordia Dei occulta, qua nos ab infinitis propemodum malis, & peccatis nobis ipſis ignotis eripuit,& cum iuxta noſtra me-

Digitized by Google

rita iuſtiſſimè potuerit proijcere in profundum inferni; non tamen fecit longaminiter nos ad pœnitentiam expectans.

Certè ex multitudine tot beneficiorum apertiſſimè apparet quam latus campus nobis offeratur gratitudinis, & amoris exhibendi erga tantum benefactorem. Nec ſolum ponderanda eſt ſubſtantia, ſed etiam circumſtantiæ beneficiorum, quæ plurimum valent ſicut ad augendum beneficium, ſic ad excitandum affectum; imò in quolibet beneficio poſſunt formari quaſi ſeptem ſtimuli, quibus vrgeatur noſter animus, vt acceptis gratijs ſicut par eſt, correſpondeat; Tres erunt ex parte beneficij, duo ex parte Dantis, & duo alii ex parte Recipientis beneficium. *Primò* ex parte beneficij debet conſiderari eius excellentia, & magnitudo, non enim enumerata beneficia Dei ſunt parui momenti, ſed grandia, & maxima, vt patet diſcurrenti tam per generalia, quam per particularia. *Secundò* vtilitas & profectus, qui nobis prouenit ex talibus beneficijs, ſunt enim pura beneficia, & nobis tantum vtilia non Deo. *Tertiò* frequentia, renouatio, & iteratio tot, & talium beneficiorum, quæ nobis tot vicibus, & tanta patientia contulit Deus. *Ex parte illius*, qui confert beneficium duo conſideranda ſunt. *Primum* Maieſtas, Dignitas, & excellentia ipſius infinita, quæ exuperat omnem noſtrum ſenſum, & capacitatem, nam ſi apud nos magni ſit beneficium collatum à Rege plebeio, & vili perſonæ, licet ſit minimum & in ſe parui momenti, quanti faciendum eſt maximum beneficium nobis à Deo noſtro collatũ? quam rationabiliter hinc canebat Dauid, & ſtupebat, dicens, *Quid eſt homo, quod memores eius?* Secundò ponderandus eſt Amor, & affectus, quo beneficium contulit, eſt ſiquidem infinitus, cum ſit ipſemet amor, quo diligit ſeipſum & ſeipſũ tradidit nobis, *Tandem* ex parte accipientis etiam duo ponderari debent; *Primum* quam ſit vilis, abiecta, & miſerabilis illa perſona, ac nullius valoris, ac dignitatis, minoremq; proportionem, ſeu longiorem inferioritatem dicens ad Deũ ſuum, quam dicat formica, vel canis mortuus & fætens reſpectu Regis, *Secundum* demeritum ipſius, ſiquidem toties arma ſumpſit contra Deum ſuum, eiuſque beneficijs in ſui Creatoris ſe armauit iniuriam, ita vt ſolius pœnæ ſit digna, ac in baratrum tartareum recludi.

CAPVT XI.

De duplici affectu, qui exerceri poteſt in gratiarum actione.

CVm Gratiarum actio, quæ dicitur quarta pars Orationis non tam in conſideratione, numeratione, & & ponderatione beneficiorum Dei, eorumque circũſtantiarum conſiſtat, quam in affectu gratitudinis, & amoris erga Deum tot bonorum largitorem, debemus aduertere quod duplex poteſt eſſe iſte affectus, alter concupiſcentiæ, alter amicitiæ, ſiue ſpei, & charitatis, primus non improbandus, vtpote bonus, ſecundus melior, & ideo ad eum totis viribus enitendum. Tunc eſt affectus concupiſcentiæ, cum reſpicimus diuina beneficia, vt ſunt bonum noſtrum, ac in noſtram vtilitatem redundant, ſiue ſit corporis, ſiue animę, ſiue pro bonis temporalibus, ſiue pro æternis, & ex hoc noſtro emolumento vt tali monemur ad agendas Deo benefactori Gratias. Secundus affectus, qui dicitur charitatis ſublimiori ſub quadam ratione reſpicit & conſiderat beneficia diuina tam vniuerſalia, quam particularia, naturæ, & gratię, ſcilicet in quantum redundant in Dei maiorem gloriam, & honorem, & ex eis nobis collatis magis elucet & emicat infinita bonitas, benignitas, pietas, omnipotentia, ac cæteræ perfectiones, & attributa noſtri Creatoris, & ſic magis exaltabitur eius nomen, & magis apud omnes laudabiliter connoſcetur; quã vtiq; gloriam, & honorẽ Dei debemus præponere cuicumque noſtræ vtilitati, commodo, & exaltationi, vt magis lætemur de bonis nobis collatis, quia ſeruient glorificationi Dei, ac ſi nobis non eſſent vllo modo vtilia, & ſicut canit Eccleſia, agamus Domino Deo noſtro gratias propter magnam gloriam ſuam. Tum etiam quia collata beneficia redundant in honorem, & gloriam Chriſti, eiuſque humanitatis, cum ex illis magis, & ad plures extendantur merita, & efficacia operum, Paſſionis, et mortis ipſius. Hic ergo affectus perfectiſsimus eſt, et proprius amoris amicitię, ſeu charitatis, quę iuxta Apoſtolum *non quærit quę*

ſua

ſua ſunt; Fundatur autem in verbis Chriſti Domini, qui ſicut reputat facta ſibi ea bona, et beneficia, quæ amore, et intuitu ipſius noſtris proximis conferimus, vnde aiebat, *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, ita è contra bona nobis facta, & ab eo collata in nos beneficia non debemus reputare tam bona noſtra, quam ipſius, & potius ipſi vel propter ipſum quam nobis facta, vt ſcilicet redundent in gloriam, & honorem illius præſcindendo ab omni noſtro emolumento, & vtilitate.

Vt autem meritum gratiarum actionis augeatur, & amplectatur etiam aliam partem, & materiam ſecundariam charitatis, ſcilicet noſtros proximos, poſſumus ad ipſos illam extendere; gaudendo, & gratias agendo non ſolum quia ex illis beneficijs laudandus eſt Deus, ſed quia etiam proximus adiuuandus, & promouendus ad æternam ſalutē, magis inflammandus in amorem Conditoris, eruendus a poteſtate peccati, & diaboli, ac in Regnum Cœleſte aſſumēdus; quæ omnia bona, & ſimilia proximorum in Dei gloriā vltimatè referri poſſunt. Nec ſolum pro dilatatione huius affectus gratitudinis, & amoris debemus conſiderare proximū noſtrum in communi, & genus humanum in vniuerſali, ſed deſcendere ad perſonas particulares; ſcilicet in beneficijs Creationis, & Redemptionis gaudere de anima, & humanitate ſacratiſſima Chriſti Domini, quod ei Deus contulerit vnionem hypoſtaticam, & in conſortium diuinitatis aſſumpſerit, ex quo innumera, & ineffabilia dona in eam deriuarunt ab ipſo ſuæ creationis, & aſſumptionis inſtanti; quod conſtituerit Chriſtum caput omnium hominum, & Angelorum, & in nomine eius flectant genua tam quæ in Cœlis, & in terris, quam quæ in inferno ſunt, cum ſimilibus priuilegijs, & prærogatiuis. Idem poſſumus agere circa Beatiſſimam Virginem, quod electa ſit in Matrem Filij Dei, ab originali peccato, & ab omni perſonali præſeruata, replet a diuinis muneribus, & virtutibus, ſupra omnes Angelos eleuata, conſtituta Vniuerſi Regina, Aduocata peccatorum, ſpes pereuntium, ſolatium miſerorum &c. Idem circa Sanctos agendum, Deoque gratias agere quod deſtinauerit Sanctum Ioannem Baptiſtam in ſuum Præcurſorem, quod in ventre ſanctificauerit, voluerit ab eo baptizari, proprioque ore laudauerit; quod conſtituerit Sanctum Petrum in Principem

cipem

cipem Apoſtolorum, ſui Vicarium in terris, Paſtorem, & Pontificem in Eccleſia, ac morte Crucis decorauerit, Sanctumque Paulum mirabiliter euocauerit, & dederit ſuo Populo in Doctorem, & Magiſtrum, & ſic de cæteris, non ſolum loquendo de hominibus, ſed etiam de Angelis tam in vniuerſali, quam in particulari, qui fuerunt à Deo locupletati immenſis theſauris, & donis tam in ordine naturæ, quam gratiæ.

De Oblatione quinta, parte Orationis.

CAPVT XII.

PArum iuuat beneficia Dei commemoraſſe, & ponderaſſe, & inde charitatis, & gratitudinis affectum excitaſſe ſi in ſimplici affectu ſiſtamus, non enim omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, teſtatur Chriſtus, intrabit in Regnum Cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem patris mei, & probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Vt ergo hi affectus ex commemoratione beneficiorum probentur veri, non ſint ſteriles, ſed fœcundi, Et eis motus omni modo & via nitatur, & quærat quo pacto tanto benefactori correſpondeat pro tot beneficijs acceptis, & illi non ſolum res ſuas, facultates ſuas, ſed honorem, ſanguinem, vitam, libertatem, & ſe ipſum totum offerens dicat, quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vnde merito poſt gratiarum actiones ſequitur quinta pars Orationis, quæ dicitur Oblatio, quia in ea non ſolum verbis, & folijs, ſed opere, & fructibus vices pro acceptis gratijs rependere ſtudemus. Quia tamen tunc temporis non occurrrit occaſio opera exhibendi, debent adeſſe deſideria, & propoſita in exequutionem opportunitatis futuræ, & ſic ſtatuere vitam noſtram renouare, aſſumere nouum feruorem in ſeruitio Dei, conformare propriã voluntatem ad diuinam, & cum voluntate ſuperioris, quæ Creatoris noſtri beneplacita nobis indicat, renouare nuncupata iam vota in profeſſione ſolemni, ac propoſita bona alias facta, nouaque addere iuxta occurrentem neceſſitatem, vt ſuperandi aliquam tentationem, quã

quis

Digitized by Google

quis eo tempore vrgetur, patiendi aliquid, quod imminet tolerandum, exercendi ſe in aliqua virtute &c. & acriter in hoc inſtare, & media efficaci voluntatis determinatione, quaſi ſibi vim inferre. Imo ſi in meditatione non fuit mota voluntas, ſaltem adhibeatur diligentia vt in præſenti moueatur, expendendo per intellectum debitum, quod inſtat retribuendi aliquid Deo, & dicendo ſibi, quomodo non patieris hoc vel illud ſcilicet minimam aliquam perſecutionem, verbum aſperum, breuem infirmitatem, &c. vel non vinces te ipſum in illa minima repugnantia, quam experiris cũ tuo ſuperiore, vel fratre, vel in obſeruantia regulari &c. in retributionem tot beneficiorum, & pro amore illius, qui tibi tanta contulit bona, vt meminiſſe poteſt per ſeptenaria diſcurrendo ſuperius poſita?

Quia tamen quidquid facere, vel pati poteſt homo propter Deum nullo modo valet vel pro minima parte cuiuslibet beneficij accepti ſatisfacere, vt ſua oblatio aliquem valorem apud diuinam Maieſtatem ſortiatur, debet recurrere ad merita Chriſti, offerendo ſcilicet noſtra bona opera cogitationes, & verba, cum verbis, cogitationibus, & operibus Chriſti Domini; licet enim & hæc ſint beneficia ipſius maxima erga nos, quia tamen ſunt facta propter nos, & propter noſtram ſalutem, ſumma benignitate, & pietate conſtituit nos Chriſtus Dominus ſuorum meritorum, & operum Dominos, & Creditores, vt quaſi noſtra valeamus ea Deo Patri offerre, & eorum intuitu non ſolum præteritis beneficis gratos nos exhibere, ſed noua petere, & obtinere. Poſſumus etiam noſtras oblationes offerre in vnione meritorum Beatiſſimæ ſemper Virginis, & Genitricis Dei Mariæ, Sanctorum Angelorum, ac Beatorum, necnon ſeruorum Dei, qui in terris degunt, cum per charitatem, qua nos in vnum corpus, cuius eſt caput Chriſtus, quaſi diuerſa membra compaginamur, reddantur omnium electorum bona communia His autem omnibus expletis, & peractis, ne quis putet ſe Deo pro ſuo debito ſatisfeciſſe, imò ſciat ſe nouam contrahere obligationem, cum & ſua gratiarum actio, & oblatio tam meritorum Chriſti, & Sanctorum, quam ſui ipſius, ſit nouum beneficium, ex nobis enim quaſi ex nobis ſine eius gratia nec aliquid boni poſſumus cogitare, vnde ex ipſa noſtra oblatione nouo ſcilicet beneficio magis & magis in no-

bis

bis ipſis humiliari, & annichilari debemus.

Licet vero Deus vtpote ſe ipſo beatiſſimus, & perfectiſſimus bonorum noſtrorum non egeat, & de hac ſua fælicitate ſumme debeamus gaudere, eique gratulari, egent tamen vt inquit Auguſtinus in terra membra eius, quæ ſunt noſtri proximi, quibus beneficia collata ille reputat quaſi ſibi facta, ideo in retributionem beneficiorum Dei debemus exhibere proximis noſtris omnia opera charitatis poſſibilia, vt eſt ſcilicet inſeruire illis, prouidere, compati, orare pro illis, ſufferre eorum moleſtias, omniaque opera miſericordiæ tam corporalia, quam ſpiritualia ſecundum quod poſſumus, noſterque ſtatus permittit, præſtare. Itaque vnuſquiſque apud ſe dicat, & ſtatuat, quia Deus mihi ſeruo nequam adeo liberaliter prouidit, inſeruiuit, compaſſus eſt in infirmitatibus meis, ſolatus eſt in afflictionibus, toties vocauit me, & renuentem expectauit, vt cumularet ſuis bonis, nec illi ſimilia rependere poſſum, quia non eget, exhibebo proximis meis, in quibus ſe illa recipere proteſtatur, & amore ipſius, vt ei placeam, maiori affectu, quo potero faciã hæc omnia proximis meis; & ita re ipſa opertur vt maxima alacritate, & animi promptitudine, depoſita mæſtitia prædicta obſequia præſtentur; ſiquidem etſi Deo ex eis nihil accreſcat propriæ fælicitatis, & beatitudinis, non ideo contemnenda, aut negligenda ſunt, eo ipſo quod ille ea à nobis requirit, & ſibi grata teſtetur, debemus enim ei in omnibus placere, ſuamque facere voluntatem, in quo tota noſtra perfectio conſiſtit.

CAPVT XIII.

De bonis propoſitis, quæ in oblatione fiunt, & de eorum renouatione, ac obſeruantia.

PLurimi pro ſpirituali profectu facienda ſunt propoſita, quæ fiunt in oblatione, & ideo operæ prætium eſt ea melius conſiderare, & quo pacto debitè fiant, & obſeruentur, oſtendere, cauſaſque quæ ab eorum obſeruantia deturbant, inueſtigare, vt in eis debitam Deo exhibeamus fidelitatem, fructumque ſalutis percupitum percipiamus. Eſt ergo propoſitum, determinatio, & deliberatio voluntatis aliquod ſiue exterius, ſiue interius opus exercendi ad Dei gloriam in cultu alicuius virtutis, vel extirpatione alicuius vitij. Tria ſingulariter debet, qui proponit, curare, vt propoſitum intentum finem conſequatur, ac operi mandetur. *Primum* vt ſibi perſuadeat opus, quod exequendum proponit non ſolum eſſe abſolutè, ſed etiam ſibi moraliter poſſibile, & factibile, media Dei gratia, & auxilio; ſolet enim inimicus noſter diabolus contrarium ſuadere, vt frangatur animus, deſiſtatq; à volitione boni cuius conſequutio ſi non impoſſibilis, difficillima tamen appareat, & iudicetur. Igitur quiſque certiſſimè teneat quamlibet rem, licet alias difficilem, ſibi facilem futuram, & exequutioni mandandam ex diuino auxilio. *Secundum* vt adhibeat, & ſtatuat adhibere quantum eſt ex parte ſua cum diuino auxilio omnem ſollicitudinem, diligentiam, ſtudium, & laborem neceſſarium ad propoſitum exequendum, & difficultates, & tentationes in oppoſitum ſuperandas, ſi enim quis tantum proponat, inde obliuiſcatur boni propoſiti, & ſe torpori ac pigritiæ det, quid mirum ſi propoſitum non obſeruetur? *Tertium* quia ſine Deo nihil poteſt, vt velit à Deo petere auxilium per continuam Orationem, quæ eſt medium efficaciſſimum ad auxilium impetrandum; Si ergo ſine auxilio impoſſibilis nobis eſt victoria paſſionis, vel vitij, vel difficultatis inſurgentis contra perfectionem, & auxilium non obti-

netur à Deo niſi per Orationem, neceſſe eſt de primo ad vltimum vt perpetuò, & inceſſanter oret Deum pro tali auxilio efficaci, cum quo omnia poteſt, ſicut poterat Apoſtolus, qui dicebat, omnia poſſum in eo, qui me confortat, & quædam anima deuota, Deoque fidelis ſolebat aſſerere ex fiducia, quam conceperat in Deo ſuo, Deus, & ego ſumus Omnipotentes, & ego cum Deo ſum Omnipotens.

Plurimæ autem ſolent eſſe cauſæ, quare à bonis propoſitis deficiamus, nec operi mandemus, quæ implenda concæpimus. *Prima eſt* aliqua occaſio nobis inuoluntaria, quam euitare non poſſumus, quia ſcilicet ex obedientia, & voluntate ſuperioris occupamur, puta in aliquo officio, & miniſterio exteriori, in quo admodum difficile ſit ob varia accidentia quæ occurrunt, ſeruare v.g. patientiã, qua indigemus, & propoſuimus obſeruare; & in tali caſu deficere à bono propoſito minus culpabile eſt; debetque proponens ad Deũ clamare, vt in occaſionibus deficiendi ſibi aſſiſtat, & adiuuet, habetque quoddam ſpeciale ius vt liberetur à culpis, cum ex diuina voluntate, non ſponte ſua verſetur in illis occaſionibus, ex quibus prouocatur ad impatientiam, proindeque facilius impetrabit diuinum auxilium ſi illud petat, ac proinde non turbetur nec ex ſuo caſu affligatur vel inquietetur, ſed ſperet in Domino, qui omnia in ſuum bonum, & profectum vertet, ac tandem eum à prædicta imperfectione, & vitio liberabit. *Secunda cauſa eſt* occaſio voluntaria, ſcilicet quam poſſumus vitare, & non vitamus; & ex hac deficere in bonis propoſitis grauior eſt culpa, quia non ex infirmitate, ſed ex voluntate procedit, vnde ſicut in ſua cauſa multum participat de voluntario, ita & de malitia, vt eſt ſcilicet quando bona propoſita franguntur ex nimia euagatione extra Cellam tam intra, quam extra domum, ex immodeſtia & curioſitate oculorum, ex ſuperflua loquacitate ex inobſeruantia regulari prætermittendo ſcilicet aliquem actũ Communitatis, vel pigrè, & tardè ad eum accedendo, ex nimio affectu erga Creaturas, ex amicitijs particularibus, ex ſollicita anxietate circa temporalia, & corporalia in cibo, potu, veſtitu, & ſimilibus occaſionibus, quibus bona propoſita faciliter euaneſcunt, & tunc tenemur tales cauſas, vt pote in noſtra manu poſitas, tollere. *Tertia* ſolet eſſe dæmon, qui data opera præbet nobis occaſionem lapſus, vt inde

ſumat arma validiora nos impugnādi per demiſſionem animi, & deſperationem, cum enim toties relapſi fuerimus in eandem culpam contra bona propoſita ſæpius facta, nititur nobis perſuadere melius eſſe incæptū opus relinquere quaſi impoſſibile, quæ certè peſſima, & periculoſiſſima tentatio eſt. Sed eiſdem armis, & motiuis quibus impetimur, contra noſtrum hoſtem præliandum eſt, & ex illis confirmandus eſt animus in ſpem certiorem tandem ex auxilio diuino obtinēdi ſupra nos ipſos, & noſtras paſſiones victoriam, & cum magna fiducia diuinæ miſericordiæ etiāſi millies qua ibet die ab aliquo propoſito defecerimus, ſtatim illud poſt culpā cōmiſſam debemus renouare, vt ſi ſcilicet quis propoſuit ſufferre patienter aliquā aduerſitatem, & tamen pluries, & pluries in impatientiam, adhuc ſingulis horis prolabitur, doleat de culpa commiſſa, humiliet ſe, & ſperando in diuina miſericordia maiorem diligentiam in poſterum ſtatuat adhibere; habeatque pro omnium vtiliſſimo, & maximè neceſſario monimento pro vita ſpirituali, vt nunquam ſe tradat victum aduerſario, nec animum deponat comparandi virtutem, cuius ſtudio ſe ſemel addixit. *Quarta cauſa eſt* multiplicitas propoſitorum, nam quo plura, eo difficilius exequutioni mandantur, cum robur animi diſtrahatur; Igitur ſint pauca, & ea quibus quilibet magis indiget ad perfectionem comparandam. *Quinta cauſa* eſt inſtabilitas noſtri cordis circa cultum virtutis, nam ſcilicet proponimus hodie per hebdomadam currentem, vel menſem incumbere alicui virtuti cōparandæ, et cras mutato animo, et propoſito aliam aſſumimus, et ſic nullam acquirimus, ſed mutando propoſita abſq; vllo negotio franguntur. Maneat ergo ſtabilis voluntas, non ceſſare ab inquiſitione virtutis propoſitæ, donec ea perfectè acquiſita fuerit; ex cuius acquiſitione, cū ſint ad inuicem cōnexæ, ad cæteras virtutes facilius aditus aperietur. *Sexta cauſa* eſt debilitas in proponendo, ſicut enim propoſita remiſſe formantur, ſic facilè dilabuntur, et quod plenè non volumus, ex qualibet occaſione mutamus; Propoſita ergo bona vt firmentur in animo, nec ſtatim areſcant, ſed fructus operum parturiant, debent maxima intenſione, et deliberatione perfici cum voluntate nunquam ab eis recedendi ob quamlibet difficultatem, quæ poſſet occurrere, licet etiam pro illorum obſeruantia effundendus eſſet ſanguis, et vita danda;

Digitized by Google

danda; Sanè propoſita ſic facta non adeo facilè euaneſcunt. *Septima cauſa* eſt permiſsio diuina, Deus enim aliquando in pœnam nimiæ confidentiæ, quam in nobis ipſis, ac viribus proprijs habemus, ſubtrahit auxilia ſua, et permittit nos cadere, et deficere à propoſitis bonis, licet enim videamur nobis ſperare in Domino, et in eius gratia, adhuc tamen occulta quadam præſumptione nobis adhęremus, ac noſtris diligentijs, et laboribus fidimus, et quaſi ea noſtra ignauia, et negligentia ab ipſis defecerimus, proponimus in poſterũ maiorem cautelam adhibere, ac vigilantiam ſupra nos ipſos, ex quibus diligentijs victoriam difficultatum, et tentationum tacitè ſperamus, vt non ſit mirum ſi Deus permittat in eoſdem defectus relabi. Debet igitur homo totaliter de ſua induſtria, et labore deſperare, ſed totam confidentiam in Deo ponere, qui ſuo auxilio dare poteſt, et dabit ne cadat, vt ſicut à Deo totaliter depẽdet in eſſe, ſic et pendeat in operari, de eius ſiquidem munere venit vt ſibi fideliter, et laudabiliter ſeruiatur. Itaque quo citius homo cognoſcet ſuam infirmitatem, inſufficientiam ad bonum quodlibet, et nihileitatem, ac omnem proinde ſpem ſuam in Deo collocabit eo citius in bonis propoſitis ſolidabitur, et ad perfectionem perueniet. *Tandem octaua, & potiſſima* cauſa deficiendi à bonis propoſitis eſt, quod ea ſæpius non renouamus, quaſi enim contra curſum fluminis nitimur, cum ad virtutem tendimus, vnde ſi progredi cupimus, ſemper vis eſt in oppoſitũ curſum adhibenda, quod præcipuè præſtatur per renouationes propoſitorum, cum ſic in eis firmemur, et ſtabiliamur. Sic non ſolum poſtquam aliquis lapſus eſt in culpam contra propoſita ſtabilita debet illa renouare, vt ſuperius diximus, ſed præcipuè ijs locis, tempore, et occaſionibus, in quibus ineſt periculum deficiendi, contra quod non melius armabimur, quam iterum ſtabiliendo bona propoſita. Impoſſibile autem eſt referre omnes vtilitates, quæ à tali propoſitorum renouatione ſiue ante, ſiue poſt commiſſam culpam, proueniunt; *nam primo* auertit nos à voluntate, et propoſito non operandi bonum, et ſeparat nos ab obſtinatione perſeuerandi in malo, qui eſt ſtatus omnium peſſimus, & cauetur per renouationem bonorum propoſitorum. *Secundo* iuuat plurimum Religioſum vt ſatiſfaciat propriæ obligationi procedendi ſcilicet ſemper, vel tendendi ad perfectionem,

Tertio

Tertio diſponit ad obtinendam veniam culparum, quæ non remittuntur niſi per retractationem cum propoſito emendationis. *Quarto* præcauet in poſterum ne cadat, vel ſint lapſus adeo faciles, et frequentes, cum anima per renouationem propoſitorum aſſumat nouum robur, et impetret à Deo auxilia opportuna. *Quinto* auget, et multiplicat meritum gratiæ, et gloriæ: *Sexto* eſt cauſa, vt Deum glorificemus, nam anima quæ ſæpe ſæpius cadit, et ſemper reſurgit renouando ſua propoſita, maximam oſtendit in Deo fiduciã, et ſe optime de eiuſdem omnipotentia, et miſericordia ſentire. *Tandẽ ſeptimo* dat victoriam ſuper tentationes, et difficultates contrarias, nam his renouationibus aſſueſcit anima ſe ipſam vincere, vnde perſeuerando palmam conſequetur. Et per hanc viam iuxta ſuauem ſuam prouidentiam ducit Deus ordinariè ſeruos ſuos, vt ſcilicet medijs lapſibus, et relapſibus veniant in experimentalem, et practicam cognitionem propriæ impotẽtiæ, miſeriæ, et nihileitatis, et à ſe non habere niſi peccatum, vt in Deo ſolo ſpem ſuam ponant. Sic Chriſtus Dominus egit cum dilectiſſima Sponſa ſua Sancta Matre noſtra Thereſia, quam per viginti annos labi permiſit in diuerſas imperfectiones, et tandem plenè de propria infirmitate conſciam auxilijs gratiæ ſuæ efficaciſsimis ab illis exemit, reddiditque de ſe ipſa glorioſiſſimè triumphantem.

Ad obſeruationes etiam propoſitionum valde vtilè, et ab experientia probatum conſilium ſit, et monimentum, vt ſcilicet quis non ad plures dies, et annos ſua extendat propoſita, ſed ad breue tempus, ſtatuendo ſcilicet magno animo incumbere exercitio alicuius virtutis per vnum, vel duos dies; ſic ſtatuat quis hodie non deficere in præſentia Dei, vel ſilentio, vel patientia, obedientia, et ſimilibus, et totis viribus inuigilare, vt pro illa die exequutioni bona propoſita mandentur, non enim cum auxilijs ordinarijs Dei hoc nimis videtur difficile. Tranſacto primo die cum obſeruantia boni propoſiti, mane ſequentis pro eodem renouetur, et ſtabiliatur, quo proſperè ſuccedente cur non renouabitur tertia, et quarta die, vt ſimiliter inuigilet ſuper cuſtodiam emiſſi propoſiti? Certè licet prima fronte fortè non appareat, indicibilis ſanè eſt, vt experientia docuit, fructus, et profectus ex praxi ſic procedendi, ita vt ſi in viridi obſer-

uantia

uantia quis emiſſi propoſiti, et animo determinato, et forti per 15. vel 20. dies perſeueret, faciliter aſſequatur, et contrahat habitum virtutis, vitiumque oppoſitum expugnet.

CAPVT XIV.

De Petitione ſexta parte Orationis.

IN præſenti negotio Orationis primas ſibi vendicat partes Petitio, quæ licet ponatur vltima in exequutione, eſt tamen prima in intentione, ad quam cæteræ partes ordinantur, et præmiſſæ ſunt, et ex qua totus ferè pendet Orationis noſtræ fructus, et profectus. Itaque etſi aliæ partes rectè fiant, non tamen petitio, parum emolumenti ſpiritualis expectari poteſt, ſola autem petitio rectè fiat, et orans finem ſuum conſequetur, quid enim nobis vel affectus per meditationem in gratiarum actione excitati proderunt, vel bona propoſita in oblatione facta, ſi ſint infæcunda, areſcant, et exequutioni non mandentur? Caſus Petri Apoſtoli nos hanc veritatem doceat, hic feruens Chriſti Diſcipulus in cæna Dominica motus zelo in proditorem, et amore in Magiſtrum, ò quam grandia, quam multa in oſtenſionem ſuæ charitatis, et fidelitatis propoſuit? An non audacter proteſtatus eſt, *& ſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego? Et ſi oportuerit me mori tecum non te negabo?* Quid autem? Ab his promiſſis infæliciter defecit, et ad ancillulæ vocem periurius Magiſtrum, et Dominum ſuum negauit, parumque profuit ei Oratio, et oblatio, quia defuit petitio, qua à Deo obtineret gratiam non deficiendi, ſed in bono propoſito perſeuerandi. Maneat ergo firmum, ac ſtabile, quod ad vltimam hanc partem Orationis perfectè agendam, omnes debeamus vires colligere, et omnem diligentiam adhibere, cum ab ea pendeat noſtra ſalus, perfectio, et omne bonum. Certè non poſſum ſatis mirari, quod cum ex vna parte ſit Deus noſter benigniſſimus, infinitæ bonitatis, charitatis, et miſericordiæ, nec non omnipotens ad omne bonum præſtandum, et malum auertendum, et paratiſſimus ex ſua beni-

gniſſima

gniſſima voluntate ineffabilis propenſionis erga nos ad nobis benefaciendum; et ex alia parte, cum nos ſimus mendici, miſerabiles, vndique circumdati periculis, anguſtijs oppreſſi, in medijs tentationibus poſiti, ad bonum omne inhabiles, ad malum quodcumque procliues, incerti de noſtra æterna ſalute, et de omnibus his malis poſſit, et Deus velit nos liberare, ſi ad ipſum confugimus, et auxilium petimus, his nihilominus non obſtantibus, tam pauci ſint qui ad illum vero, et toto corde accedant, et vt oportet diuinam implorent pietatem, vt mirandum non ſit, ſi etiam pauci reperiantur, qui ad perfectionem perueniant, aſcendantque montem excelſum ſanctitatis, in quo iuge Conuiuium. Quia igitur tota Orationis noſtræ ſumma in Petitione conſiſtit, et in ea explicanda, et roboranda præcipuus noſter labor præſentis tractatus verſetur, quod ſequentibus capitibus præſtabimus.

CAPVT XV.

A Deo cum fiducia petendum; & afferuntur aliqua motiua pro tali fiducia habenda.

PRima, et præcipua conditio noſtræ Petitionis, vt rectè fiat, et aſſequatur, quod petit, eſt fiducia, vt ille, qui petit, non dubitet, non titubet, non hæſitet de Deo ſuo, ſic nos docet S. Iacobus Apoſtolus *poſtulet autem*, inquit, *in fide nihil heſitans*, hoc eſt, ſit certus, et firmiſsimè credat Deum, et poſſe, et velle tribuere, quæ poſtulamus, et nobis ad ſalutem neceſſaria eſſe noſcuntur.

Et quod Deus poſſit tribuere nobis bona, et mala auertere, facilius ſibi homo perſuadet, nec eſt qui Deum credat, et hanc apertiſsimam veritatem etiam lumine naturæ notam, audeat negare; difficilius eſt eadem certitudine credere, quod et velit, et in hoc tota noſtra hæſitat fides, ſpes titubat, dubitat, et turbatur fiducia, at equidem irrationabiliter, cum innumeris pœnè rationibus, argumentis, motiuis conuincamur de bona diuina voluntate erga nos, et diſpoſitione irre-

uocabili,

uocabili, ſiue inuariabili dandi quæ petierimus. Sane nunquam deeſſet materia, ſi omnia prædicta motiua, & argumenta vellemus percurrere, efficaciora ſeligemus, vt tandem aliquando firmiſſimè credamus Deum nobis orantibus velle bona ſua dare.

Primo ſe offert, (& neſcio an poſſit inueniri motiuum efficacius ad perfectam fiduciam habendam) teſtimonium ipſius Dei, dum toties nobis in ſacra Scriptura præcipit vt credamus accepturos quidquid ad ſalutem neceſſarium poſtulabimus. Quidquid orantes petitis, dicit Verbum Patris, & veritas Chriſtus, credite, quia accipietis, & fiet vobis; Vnde ergo poteſt adeſſe titubatio, vel hæſitatio, ſi qui non mentitur, diſtrictè imperat firmiter tenere, nos accepturos, quod petimus? Quia Deus dixit ſe eſſe Trinum in perſonis, & vnum in ſubſtantia firmiſſimè credo, & abſque vlla hæſitatione, ſic quod filius Dei aſſumpſit carnem humanam, quod pro me mortuus eſt, quod ſub ſpeciebus ſacramentalibus eſt verum eius corpus, & ſanguis, quia ipſe dixit, credo; idem iuſſit dixitque, vt credam me accepturum quidquid ad ſalutem pertinens petiero, cur negabo omnimodam fidem, & de eius voluntate titubare potero? Certè nulla eſt ratio dubitandi, & quidquid in contrarium ſuggerat Dæmon hoſtis falſitatis, & mendacij contra hanc apertiſſimam veritatem præualere non debet. Hinc non immerito ſupra cæteras culpas hac diffidentia Deus noſter offenditur, vt magis diſplicuerit Chriſto Domino deſperatio Iudæ de conſequenda venia, quam eiuſdem ſagrilega, & indigna proditio; quomodo enim non reputabitur iniuria illata primæ veritati, vel in leue & leuiſſimum dubium vocare, quod illa tam expreſsè toties, & tanta aſſecuratione teſtata eſt? Credamus igitur, & omni certitudine teneamus Deum velle nobis poſtulantibus elargiri bona ſua, & eo maiori feruore debemus vti ad excitandam in nobis hanc firmiſſimam fidem, quo minori pretio comparanda eſt, non enim vt in vigilijs, ieiunijs, remiſſione iniuriarum & ſimilibus ineſt multum moleſtiæ difficultatis & laboris in ea, nec exigitur vis multa corporis, varia inſtrumenta, ſed ſolo animo, & ſumma ſuauitate peragitur; tum etiam quia cum certiſſima, & tutiſſima regula omnium noſtrarum actionum ſit voluntas Dei, cum

Digitized by Google

qua debet noſtra conformari, vt ſit ſancta, & perfecta; & illa à nobis exigat, vt credamus, & firmiſſimè teneamus accepturos quod petimus, omnis adhibenda eſt diligentia vt ei in hoc placeamus. Si quis autem in ſe talem fidem, & fiduciam non experitur, eam à Deo petat, & dicat, credo Domine, adiuua incredulitatem meam, quoniam omnia poſſibilia ſunt credenti.

Vt autem firmius roboretur fides, & orans ſentiat de Deo, eiuſque bonitate, ſicut decet, in quo conceptu præcipuè fundatur noſtrarum Orationum efficacia, debent ſupponi, ſeu duo conſiderari; *primum*, quod id quod Deus vult, in æternitate vult, nec ille mutatur vt homo, & de hac veritate nota etiam lumine naturæ nulla poteſt eſſe titubatio, vnde nec in ea immorandum; *ſecundum* poſſe in diuina voluntate conſiderari quaſi triplicem affectum, vel propenſionem erga nos, in ordine ad materiam præſentem. *Primus affectus* eſt quod ſummopere delectatur, & complacet in eo, quod ad ipſum confugimus, eiuſdemque ſemper imploramus auxilium, ac quantum fieri poteſt nunquam à poſtulatione alicuius beneficij deſiſtamus; *ſine intermiſſione orantes*, inquit, & docet Apoſtolus, quod & innumeris alijs locis ſacræ Scripturæ patet, ita vt gratius ſeruitium præſtemus illi petendo, & poſtulando, quam nos offerendo, & gratias agendo. *Secundus affectus eſt*, vt velit nos credere, & habere fiduciam accepturos quod petimus ad ſalutem neceſſarium, vt ſupra diximus, & pluries ipſemet in ſacra Scriptura teſtatus eſt. *Tertius affectus* eſt determinatio certa, & indubitabilis ipſius diuinæ voluntatis tribuendi nobis petentibus neceſſaria ad ſalutem, tempore, & loco congruenti, vel quando magis ipſimet ſaluti noſtræ expediet. Quæ etiam voluntas & determinatio, ſatis, & pluribus locis in ſacra Scriptura manet expreſſa, vt quando Chriſtus dixit *quidquid orantes petitis credite, quia accipietis, & fiet vobis; faciam vobis, dabit vobis, dabit ſpiritum bonum petentibus ſe*, & alibi, cum ergo ſit talis eius promiſſio non poteſt de hac veritate dubitari, Cœlum enim & terra tranſibunt, verba autem illius non præteribunt. Quam autem ſummæ eius, & infinitæ bonitati huiuſmodi congruat voluntas, nemo eſt, qui non videat, ineſt ſiquidem ei maior, & intenſior inclinatio ad dandum, & benefacien-

dum

Digitized by Google

dum nobis, quam inſit nobis ad petendum, & recipiendum, vnde bene inquit Auguſtinus *non tam hortaretur, vt peteremus, niſi dare vellet; erubeſcat humana pigritia, plus vult ille dare, quam nos accipere, plus vult ille miſereri, quam nos à miſeria liberari*. Ratio eſt euidens & apertiſſima, nam voluntas ex parte noſtra petendi à Deo ſua dona oritur ex propria noſtra miſeria, paupertate, aut indigentia, quæ finita, & limitata eſt; propenſio autem, inclinatio, & voluntas ex parte Dei tribuendi neceſſaria ad ſalutem, & & elargiendi bona ſua, oritur ex infinita bonitate, & miſericordia ipſius; finiti autẽ ad infinitum nulla eſt proportio, ac proinde incomparabiliter maior, & grandior eſt propenſio in Deo ad dandum, quam in nobis ad recipiendum; Sic quod noſtra indigentia diuinis non repleatur muneribus defectus eſt noſter, non Dei, qui vel non petimus, vel non petimus vt oportet. Neque hæc benigniſſima Dei voluntas ſolum fertur erga iuſtos & Sanctos, ſed æterno, fixo, & irreuocabili decreto etiam circa peccatores, vt ſcilicet quãuis homo perpetraſſet innumera delicta; & per ſingula momenta eius Maieſtatem offendiſſet iniquior Iuda, tamen ſit ſibi gratiſſimum, quod ad ſe confugiat, veniam petat, & ſperet conſequuturum gratiam, quam certo præſtabit, *&* *exaltabitur Deus parcens eis*, vt teſtatur Iſaias. O vtinam ſæpius homines hanc veritatem in Oratione vt par eſt ponderarent? Quam facile in eis ex cognitione tam immenſæ bonitatis, & quod Deus noſter ſit adeo benignæ conditionis, tantoque amore nos diligat, excitaretur diuinæ charitatis flamma, qua in eius dilectionem perpetuam accenderentur? Amor amorem exigit, & niſi ille nos in immenſum amaret, non flagraret huiuſmodi deſiderio vt ab ipſo petamus, & omne bonum ſperemus.

Ex hac veritate euidenter cognita apparet qua diſpoſitione vt ſuperius notatum eſt debet quis ad Deum in oratione accedere; non enim debet orans ſibi perſuadere, ſe acturum cum Deo ac cum homine, qui indigeat perſuaſionibus, motiuis, precibus vt moueatur ad aliquid elargiendum vtpote facturus contra vel genium vel propoſitum iam præconceptum, nam Deus ex parte ſua paratiſſimus, & cupidiſſimus eſt dandi; igitur obſecrationibus, & perpetuis petitionibus ſe ipsũ debet orãs diſponere ad bona reci-

pienda, ſiquidem iuxta diſpoſitionem medijs deſiderijs inductam implebitur cæleſtibus bonis.

Ex hac etiam veritate bene percepta eluditur calliditas noſtri aduerſarij, qua ſæpiſſimè inſidiatur nobis, & retrahere ab oratione ſagaciſſimè ſtudet; Cum enim quandoque ex noſtra vel malitia in aliquam prolabimur culpam, figurat nobis Deum tanquam nobis offenſum, & iratum qui non recipiet nos, ſed a facie ſua repellet, nec exaudiet continens in ira ſua miſericordias ſuas; vt ſic de eius bonitate diffidamus, nec curemus ſaltem pro eo tempore ad ipſum amplius confugere veniam petere, & auxilium implorare. Peſſima tentatio, & niſi vincatur, magnam minatur ruinam. Igitur non debemus animo cadere, ſed maxima alacritate & confidentia aſſumere ſcutum fidei iuxta Apoſtoli monitum aientis, *cui reſiſtite fortes in fide*, conſiderando ſcilicet, quod ſicut eſt de fide Deum eſse Trinum & vnum ſic eſt de fide, quod quotieſcumque innocabo Deum in meis neceſſitatibus, tribulationibus, & miſerijs, ac eius ſperabo auxilium, non fruſtrabor ſpe mea, ſed mihi ipſe propitius erit *inuoca me* inquit per prophetam *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me,* quod & innumeris alijs locis proteſtatus eſt; manetque ab æternitate hoc decretũ fixum & irreuocabile; vnde ſicut illi gratiſſimũ eſt, vt ad eũ redeam adhuc poſt commiſſa multa peccata, ita ſe reputat offenſum ſi ad ipſum poſt ſcelera commiſſa non confugiã; Igitur ſi multis alijs modis in eum iniurij fuimus, ſaltem in hoc non diſpliceamus illi, ac nunquam deſinamus ad eum recurrere, ab eo veniam, & auxilium petere, ac omne bonum ſperare. Quando Dæmones latrant, *& multi dicunt, non eſt ſalus ipſi in Deo eius*, & nos reſpondeamus, *Tu autem Domine ſuſceptor meus es.* Et quia multum intereſt ad profectum ſpiritualem contra arma & impugnationes Dæmonis hac fiducia ſtabilire cor, talemque exiſtimationem habere de bonitate Dei, quod ſcilicet recipiet nos quam libenter adhuc poſt peccatum, & poſtquam inſtabiles in bono à propoſitis defecimus, vltra dicta poſſumus noſtrum intellectum ad ſic credendum firmiſſimè etiam vti argumento à minori ad maius; fuerunt & de facto ſunt aliqui iuſti adeo benignitate, & charitate inſignes, vt libentiſſimè dimittant iniurias, recipiant humaniter

maniter offenſores, orentque, vt fecit D. Stephanus, pro ſuis perſequutoribus, & tamen vix ſtillulam habent aquarum immenſarum charitatis quibus abundat infinitum Pelagus Amoris Dei; quomodo ergo non erit in infinitum propenſior Deus ad recipiendum offenſores ſuos, cum ſit bonitas per eſſentiam, & infinita miſericordia? Quomodo non erit magis incomparabiliter ipſius proprium benefacere inimicis ſuis, & recipere illos, qui eum oderunt? Hoc eſt argumentum, quo nititur Chriſtus Dominus noſtram expugnare infidelitatem, cum ait, *Si vos cum eſtis mali noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter cęleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Ideſt ſi vos minima charitate, & virtute prædití, quia ſatis exiguum perfectionis Dei veſtri participatis ex hac qualicunque participatione erga filios veſtros vos beneficos oſtenditis, quid credendum erit facturum erga filios ſuos Patrem cæleſtem, qui eſt abyſſus, & fons totius bonitatis? Si hoc ſtillula, quid mare? Et auget vim verbum illud *data* ideſt à Deo vobis donata, quibus, dum ea alijs partimini, & communicatis, vos priuamini, Deus, qui diues eſt in miſericordia non euacuatur donando bonis ſuis, imò ſemper efficitur magis diues in omnes, qui inuocant illum, quanto pronior erit ad miſerandum pauperis, qui ad eum properat inuocans eiuſdem miſericordiam? Quod validiſſimè confirmatur ex præcepto Chriſti Domini multa nobis præcipientis vt inimicis faciamus, vt ſcilicet illos diligamus, oremus pro ipſis, & eiſdem beneficia impendamus, *Si quis te angariauerit mille paſſus*, inquit Chriſtus, *vadè cum eo duo millia, ſi vult auferre pallium da illi & tunicam, &c.* Totumque hoc præcipit, vt moribus referamus cæleſtem Patrem, eiuſque bonitatem imitemur, vt ſitis ait filij Patris veſtri, qui in Cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, tandemque ſubdit; eſtote ergo perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt; Si ergo hæc à nobis pro ſui imitatione Deus magiſter noſter exigit, quid ipſe faciet, ad cuius exemplũ imitãdum prouocamur? An claudet aures ſuas petitionibus, & à facie ſua proiciet nos? Non equidem; ſed dabit ſpiritum bonum petentibus ſe, vt tribuendo nobis quæ petimus euadamus & nos perfecti, ſicut ipſe vult.

Digitized by Google

Summa ergo præſentis capitis ſit Dei proprium eſſe miſereri ſemper, & parcere, non minus, imò magis, quam ſit deſcendere lapidis, aſcendere ignis, eſt enim Deus noſter charitas, & bonitas immenſa, vnde niſi ex noſtra parte ponatur obex, & impedimentum infallibiliter ditabit nos bonis ſuis. Et ſi aliquis quærat quodnam ſit tale impedimentum, quo diuina influentia ſiſtatur, dum ſemper effluit, ne in nos deſcendat; aſſeuerantur reſpondeo, quia bona diuina non curamus, non magni facimus, non deſideramus, non petimus; Sic æſtimando, deſiderando, petendo tolletur obex, imo diſponemur ad receptionem cæleſtium donorum, ac per conſequens infallibiliter conſequemur.

CAPVT XVI.

Noua afferuntur motiua pro fiducia habenda in petitione.

SI diuina bonitas cor noſtrum confirmat, vt fiduciam habeamus in Domino Deo noſtro, vt ſuperiori capite oſtendimus, non minoris eſt efficaciæ pro eodem effectu Incarnatio, Paſſio, & mors filij Dei. Et primo ſe offert contemplandum, ſeu perpendendum argumentum allatum ab Apoſtolo Paulo, ad ſtabiliendam firmiſſimam confidentiam, habendi à Deo omnia bona ad ſalutem neceſſaria; Sic autem ratiocinatur Doctor Gentium, *Si proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo cum ipſo non omnia bona nobis donauit?* Itaque donatio filij Dei facta nobis, ſiquidem propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, habet ſecum annexam donationē omnium aliorum bonorum, nec eſt poſſibile concipere, negaturum Deum minima dona & inferioris generis qui maximum, & omnium ſupremum tam liberaliter elargitus eſt. Secundo notandum eſt Verbum, quo vſus eſt Apoſtolus *donauit* præteriti temporis, facta autem ſemel donatione, & acceptata redditur irreuocabilis; hoc autem accidit inter Deum, & nos;

Digitized by Google

itaque ſolum remanet, vt petamus nobis dari quod vi prædictæ donationis factum eſt noſtrum, vnde nec vlla poteſt remanere dubietas, quin ſimus noſtra recepturi.

Nec ſolum filius Dei à Patre donatus eſt nobis, & cum ipſo omnia, ſed etiam dilectiſſimus Saluator noſter plurima in noſtrum bonum dignatus eſt pati. Itaque licet potuerit alijs infinitis modis, & ſuauioribus, noſtram curare ſalutem, ſiquidem quilibet eius actus vtpote dignificatus à perſona diuina, erat infiniti valoris, ac proinde ſufficientiſſimus pro redemptione generis humani, vt tamen ardentiſſimum erga nos ſuum amorem oſtenderet, voluit tā dura, & indigna tolerare, & in Cruce penoſiſſimè mori; Certè difficilius eſt Principi ac Regi pro viliſſimo mancipio alaphas & iniurias, & tandem mortem ferre, quam in eius commodum nonnullos nummos aureos, vel aliquid ſimile erogare; ſi ergo Vnigenitus Altiſſimi ex ſummo amore, quo nos dilexit tam dira paſſus eſt; quomodo poterit negare bona quædam, quibus nulla difficultate valet nos ditare, imo cum ſuo gaudio, exultatione, & gloria?

Addendum quod per mortem Chriſti Domini fuit ſatiſfactum ex toto rigore diuinæ Iuſtitiæ, & ſolutum pretium adæquatum pro noſtra redemptione, & ſalute, vnde *datur* nobis ſpeciale ius ad hæreditatem cæleſtem, & ac omnia bona, quibus ad eam acquirendam indigemus, ac proinde oblato hoc pretio impoſſibile erit negari ea nobis à Deo, ad quod vtique firmiſſimè credendum ſic hortatur ratiocinando Apoſtolus, *cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, quanto magis nunc ſalui erimus ab ira per ipſum?* Quaſi diceret, ſi quando adhuc non erat apud Deum ſolutum pretium prætioſiſſimi ſanguinis filij ſui pro noſtris peccatis tribuit nobis Pater cæleſtis filium ſuum, quid negare poterit petentibus bona ſua ſoluto iam tanto pretio? Hinc merito Spiritu Sancto edocta, clamat Sancta Mater Eccleſia, *Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti*; & videtur eſſe ſenſus; ſoluto pretio ſui ſanguinis, ergo poſſumus te orare, & fiducialiter petere, vt de iure nobis ſubuenias. Quod motiuum magis confirmatur, & vrgetur; Nam eius merita, vt diximus, ſunt infiniti valoris, nec tamen fuerunt in ipſo remunerata, ſiquidem tota gloria quam habuit

buit tam in anima, quam in corpore, debebatur ei alio titulo connaturalitatis non mercedis ratione vnionis Hypoſtaticæ; Quibus ergo ipſe non indigebat, ea omnia merita vitæ paſſionis, & mortis nobis donauit, vt creditores conſtituti poſſimus cū fiducia adire Tribunal diuinæ Iuſtitiæ, & ab ea exigere mercedem, & præmium debitum totlaborum, pęnarum, tormentorum, ignominiarum lacrymarum, ſudorum ſanguinis, & mortis, quæ pro nobis pertulit, & vt ita dicam, cum ſimus vnum corpus cum illo, in noſtrum cenſum contulit, & profectum. Quis igitur cum offerat pretium infiniti valoris pro re parui momenti trepidet adhuc non accepturum quod poſcit?

Tandem debemus cogitare, quod omnia bona, & dona naturalia, & ſupernaturalia, quibus anima, & humanitas ſacratiſſima Chriſti Domini abbundat, data ſunt Chriſto cauſa noſtri, ſcilicet vt noſtram ſalutem curaret, conſtituitq; eū Pater ad hunc finē caput hominum, & Angelorū ideo ſcriptum eſt, filius datus eſt nobis, ideſt pro nobis, cauſa noſtri. Cum ergo ex hac cauſa tot, & tam excellentia bona deriuauerint in humanitatem Chriſti, quis non videat quam magna confidentia poſſimus ad Chriſtum Dominum accedere, vt nobis indigentibus ſubueniat, cum ad hunc finem noſtræ ſalutis fuerit immenſis theſauris diuinitatis ditatus? Hinc eſt quod Chriſtus Dominus in terris ardentiſſima ſiti noſtræ ſalutis æſtuabat, vt aliquando diceret, baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor &c.? Hæc ſitis ſalutis noſtræ eum in Cruce crucibiat, dum dixit, ſitio. Cum igitur & eiuſdem modo ſit voluntatis & deſiderij, ſiquidem Chriſtus heri, & hodie, & in ſæcula, non negabit poſtulantibus, & petentibus bona ſua, & neceſſaria ad noſtram ſalutem.

Vltra autem merita Chriſti concurrunt ad roborandam noſtram fiduciam, etiam merita Beatiſſimę ſemperq; Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, quorum communionem participamus, de quibus vberius agemus, cū in vnum caput varia capitalia colligemus, quibus vti poſſumus apud Deum in Oratione ad diuina beneficia impetranda.

CAPVT

CAPVT XVII.

Semper à Deo petendum, vel apud Deum mendicandum.

CVm igitur ex vna parte habeamus infinitam bonitatem Dei, promiſſionem eiuſdem infallibilem largiendi omnia, quæ neceſſaria ad ſalutem petierimus, cum meritis Chriſti, quibus ad eadem obtinenda concedit ut nobis ius, & titulus iuſtitiæ, & ex alia parte capaces æternæ beatitudinis, & miſeriæ verſemur perpetuo inter innumeros hoſtes, ac pericula à quibus ſola diuina potentia eripere, & ſaluare nos poteſt, quid hinc ſequitur, & remanet ex parte noſtra niſi continuò per totam vitam inſtare, & clamare apud Deum vt auxilium ſuum elargiri dignetur, gratiamque conferre, qua à tot laqueis, & malis liberemur? Sic ergo optimum exercitium totius vitæ ſpiritualis erit ars mendicandi apud Deum, vt ſcilicet more pauperum terrenorum per totum peregrinationis noſtræ tempus tanquam mendici præſentemur conſpectui Dei, & Domini noſtri, & ad ianuam eius pietatis inceſſanter perſeueremus, vel petendo aliquid, vel oſtendendo noſtram miſeriam, & indigentiam, vel gratias agendo vel offerendo, vel ſuas miſerationes magnificando, vel tandem continuè clamando vt ſuccurrat, eripiat, defendat, adiuuet & theſauros ſuos conferat, omneque tempus ab alijs occupationibus vacuum in ſimilibus petitionibus impendamus? Quando verò vel ex naturæ neceſſitatibus impedimur, vt cum quietem, & ſomnum capimus, vel ab obedientia exterioribus, & talibus miniſterijs implicamur, vt non valeamus clamare ad Deum, tunc vel in principio proteſtari debemus velle illi operi incumbere abſq; præiudicio aliquid impetrandi à diuina liberalitate, ipſumque opus loco clamoris, & obſecrationis ponere, vel tunc temporis ſubſtituere loco noſtri Angelum noſtrum cuſtodem Sanctoſque Patronos, ac præcipuè Beatiſſimam Virginem, & ſuppliciter eos exorare, vt fungantur officio noſtro pro nobis tunc quærendo, petendo, & pulſando pro nobis ad fores

diuinæ Miſericordiæ & impetrando ab ea bona nobis neceſſaria, ne vel vnum decurrat momentum, vel inſtans temporis quod à noſtris petitionibus vacet, vt ſic etiam perfectè impleamus conſilium nobis à Chriſto datum, *ſine intermiſſione orate*, & illud Apoſtoli, oportet ſemper orare, & nunquam deficere. O quam fælix eſſe, & quam citò diues euadere poſſet, qui bene hanc artem apud Deũ ſẽper mendicãdi addiſceret? Certè plurimi breui per eam ad culmen perfectionis peruenerunt, & vt experientia docuit, beati ſunt qui eius exercitio ſe totaliter addixerunt.

Sed aliquis poſſet obijcere contra hanc artẽ perpetuò apud Deum mendicandi, non eſſe adeo conſonam & perfectam, nã videtur in ea exerceri amor concupiſcentiæ & proprius, cum reſpiciat & intendat ſuam vtilitatem, & commoditatem, nempe liberationem à malis, & omnis boni repletionem. Cum igitur charitas & amor amicitiæ incomparabiliter excedat amorem concupiſcentiæ, & ſpem, magis congruum, & aptũ exercitiũ iudicandũ erit alia ſpiritualis occupatio, in qua exerceatur actus Charitatis, & puritas intentionis ſolã Dei gloriam quærendo, meditando, & intendendo, vel ſe offerendo Deo paratum pro eius dilectione omne malum, pœnam, & miſeriam ſubire. At hæc obiectio ſuperiori doctrinæ, & arti traditæ mendicandi ſemper non officit; reſpondetur enim petitionem noſtram ſi rectè fiat, & petendo ea, quæ Deus vult vt petamus, eſſe actum dilectionis perfectæ Charitatis, & ſic eſſe opus perfectiſſimum in quo die ac nocte occupemur. Tunc autem petitio rectè fit primò, quando petimus à Deo vt tribuat bona ſua nobis, noſque à malis eripiat, quatenus hæc liberatio, ac ditatio noſtri ſolum refertur ad gloriam, honorem, & exaltationem ipſius Dei, qui in noſtris bonis honoratur & exaltatur; & ideo quaſi in illis obliuiſcimur noſtri, nec ea reſpicimus vt bona noſtra, ſed Dei, non vt exaltationem noſtram, ſed illius. Secundo poteſt eſſe perfecta petitio, ſi à malis omnibus liberari, & omni bono repleri petimus, vt Deo gratum faciamus, ſolatiumque vt ita dicam afferamus; ipſe ſiquidem iam nobis voluntatem, & deſiderium ſuum aperuit, ſe multum ſcilicet à nobis laudari, magnificari, & exhiberi ſibi acceptiſſimam ſeruitutem, ſi ad ipſum perpetuo recurramus, eiuſque imploremus auxilium, ac beneficia poſtulemus; Igitur ſi ex hac

intentione mendicabimus perpetuo apud ipſum, ſicut cum eius voluntate perfectiſſimè conformabimur, ſic & in opere perfectiſſimo amorem noſtrum erga ipſum exercebimus. Si autem contingat aliquam petitionem non adeo rectè fieri, ſiue non ex hac pura intentione, poterit tamẽ eſse diſpoſitio ad perfectam charitatem, ſeu ad petitionem perfectã, vt ſi poſtulemus liberari à malis, vincere noſtra vitia, paſſiones, & tentationes, virtutes comparare & ſimilia, quatenus talia habentes magis habilitemur, & diſponamur diuino ſeruitio, ac promptius, perfectius, facilius, perſeuerantius Creatoris noſtri exequamur voluntatem; quæ vtique directio non ſolum petitionem, ſed & omnia alia opera noſtra poteſt admodum eleuare, & Deo reddere grata, & ſic vtendo bonis ſuis ad vtilitatem, & voluptatem noſtram ſcilicet cibo, potu, ſomno, &c. cum hac intentione vt habiliores, & aptiores reddamur ad inſeruiendum Deo; erit vtique actus ſi non perfectæ Charitatis, ſaltem diſpoſitiuus ad perfectam. Igitur ſit reſponſionis ad præmiſſam obiectionem ſumma, quod petitio ritè, & pura intentione facta, eſt actus, & exercitium perfectæ Charitatis, vel ſaltem ad eam diſponit.

CAPVT XVIII.

Ars mendicandi apud Deum eſt nobiliſſima.

HOmo glorioſũ animal naturali inſtinctu abhorret, & refugit ab his, quæ vilitatem, & abiectionem redolent. Hinc quia inter nos in hac parte malè audit mendicitas, ſatis grauis eſt vero ingenuo, ita vt Villicus ille iniquitatis in Euangelio apertè fateretur, mendicare erubeſco. Ne ergo fallaci hac apparentia, & nominis ſimilitudine decipiat nos dæmon, animumque auertat ab arte pulcherrima, & ſanctiſſima perpetuò apud Deum mendicandi, eius dignitas, & ingenuitas breuiter à nobis eſt aperienda, & explicanda.

Primò ergo falſum eſt abſolutè hanc artem mendicandi in Mundo eſse vilem, & abiectam, licet falsò talem de ea homines habeant opinionem. Etſi enim ante aduentum filij

Digitized by Google

Dei in carne talis fuerit, certè poſtquam hic hanc artem exercuit, ſiquidem dum eſset diues, propter nos egenus factus eſt, & de ſeipſo teſtatur, ego mendicus ſum, & pauper; indicibilem medicitas comparauit nobilitatem; ſufficit enim, vt aliqua ars tanquam propria à Principe & Rege exerceatur, vt inde ſumat ſplendorem, & honorem. Secundo ſunt duo genera bonorum, quibus poteſt mendicitas intendere ſcilicet vilia, tranſitoria, temporalia, caduca, & æterna, cœleſtia ſpiritualia, & diuina; Sit ergo vile & abiectum mendicare prima, non ſic autem ſecunda. Sicut etiam apud homines ſibi procurare ſupremas dignitates Cardinalatus ſcilicet, ſummi Pontificatus, inueſtituram Regni, & ſimilia non reputatur ars vilis, ſed honorifica, imò propria Principum, & hæroū, & ratio eſt, quia res procuratæ ſunt maxima bona, & grandia; Nulla autem nec in dignitate, nec in pretio eſt comparabilitas inter diuitias, & muneradicet primariā huius ſæculi, & bona ſpiritualia & æterna, ac proinde hæc ſibi procurare, & mendicare apud Deum erit ars maximè ſublimis, digna, & honorifica. Tertiò ſublimitas alicuius exercitij præcipuè deſumitur ex fine, ideo mendicitas ex neceſſitate vilis eſt apud homines, at ex voluntate propter Deum, præfertur vt patet in Apoſtolica, & Euangelica, regnis, & coronis; nec ea in Catholica Religione datur quid ſublimius, & honorabilius; Sic igitur mendicare propter Deum eſt res altiſſima & nobiliſſima; At nos quando petimus à Deo ea, quæ Deus vult, vt ab illo petamus, ſcilicet liberationem ab omni peccato, Victoriam vitiorum, & paſſionum, acquiſitionem virtutum ſalutem æternam & c. ea petimus propter ipſum Deum; *Primò* quia petimus vt Deus magis honorificetur, & glorificetur; *Secundò* vt nos habiliores reddamur ad eius obſequia; *Tertiò* vt ipſi rem gratam faciamus quia ſæpius ſuam voluntatem eam eſſe nobis indicauit, vt ab eo continuò aliquid poſtulemus; *Quartò* quia petendo ea, quæ Deus vult nos habere; perinde eſt, ac ſi quæramus eius bona propria ideſt gloriam, honorem, & laudem; Deus vero eodem amore, quo diligit ſe, diligit nos, nec ſeparat, ſed vnit gloriæ ſuæ noſtram vtilitatem, vnde hanc reputat ſuū bonū, & ſic ex omnibus his motiuis propter ipſum mendicamus; ergo ars hæc ex tali fine mendicandi non ſolum non erit vilis, & abiecta, ſed perhonorifica, & glorioſiſſima.

Addendum eſt vt magis ingenuitas huius exercitij appareat, quod modus iſte mendicandi apud Deum non eſt difficilis, & laborioſus, nec expoſitus periculis, iniurijs, & opprobrijs, ſicut eſt mendicare apud homines; nam fit ſola cogitatione præſentando nos ipſos, noſtraſque miſerias ac neceſſitates Deo, quem ſemper, vbique præſentem, & intra nos ipſos habemus, à quo, cum nos ipſe ad petendum inuitet, repulſam non patiemur, proindeque alacriores & promptiores debemus reddi ad exercendam hanc artem artium omnium nobiliſſimam.

CAPVT XIX.

Ars mendicandi apud Deum eſt omnium vtiliſſima.

QVia animus humanus ſuæ ſtudet vtilitati; maximè ab hac mouetur, vnde vt efficacius amplectatur vnuſquiſq; artẽ propoſitã mendicãdi, ſciat illi ineſſe non ſolũ nobilitatẽ, ſed & vtilitatẽ; Qui ergo ſolum ſuis rebus incumbit; qui nihil cogitat præter ſeipſũ, ac ex amore proprio non quęrit niſi quæ ſua ſunt, artem hanc addiſcat, ac ſequatur, & exerceat, ſic enim facillimè omnibus bonis per eã diteſcet, propterea enim Chriſtus nos docuit, *orate vt gaudiũ veſtrũ ſit plenum.* Vt autem eius vtilitas melius percipiatur aduertendum eſt maximam intercedere differentiam inter pauperes, qui mendicant apud homines, & pauperes qui mendicant apud Deũ; qui apud homines mendicant bona temporalia ſatis ſe obtinuiſſe putant, ſi impetrent id, quod petunt, vt eorum indigentia repleatur, hinc qui decem aureis indigebat, ſi ea obtineat, vtique totum impetraſſe arbitratur; qui apud Principem pro dignitate aliqua ſupplicat, ea ſibi data, ſatis quod deſiderabat comparaſſe lætatur, ſuaſque partes benefactorem omnes expleſſe putat, vnde ei remanet obſtrictus pro beneficio obtento, perpetuamque ia eius obligationem. Aliter aduenit mendicantibus ſpiritualia & æterna apud Deum, nã non ſolum impetrat quod petebat, ſed etiam ei plurima alia bona tribuuntur, & maiora illis quæ poſtulabat, inſuper cenſetur

Digitized by Google

ſetur petitio ſeruitium exhibitum Deo, vnde hic licet benefactor (ó ineffabilis, & inaudita Creatoris noſtri liberalitas!) ipſe obſtrictus, & obligatus remanet ei, cui beneficium contulit; Hanc veritatem plenius exemplis videamus; Petit quis à Deo, vt eum à tentatione aliqua eripiat, & ne permittat in culpam aliquam cadere, impetrat per orationem beneficium quod petebat, liberatur à tentatione & ab illa culpa, & inſuper Deus tribuit ipſi plures gradus Gratiæ ſanctificantis in hac vita, cui in futura reſpondebunt totidem gloriæ, & viſionis beatificæ. Quare, ex quo merito, & ſeruitio tantum bonum? Quia ad Deum confugit & eius auxilium poſtulauit. Quis vnquam ſimilia inter homines audiuit? O amabilis nimis conditio & natura Dei noſtri! Similiter quis incidit in peccatum veniale, poſtulat in oratione ſibi remitti, nec enim ſolũ exauditur in deletione venialis maculæ, ſed augetur gratia, & per conſequens ius ad vitam æternam, & copioſiorem gloriam, non niſi quia ad Deum confugit, & veniam deprecatus eſt, & quaſi Deus inſigni beneficio, ſeu ſeruitio obligetur, addit ad petitionem noua pro ipſa petione dona, vt non immeritò nos ad orandum & petendum inducens, *inuoca me inquit in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*.

Et hinc apparet infinita bonitas, & admirabilis ſapientia Dei, cur nolit ſciri à nobis, an obtinuerimus vel non, præteritæ vitæ delictorum indulgentiam, & gratiam ſimus conſequuti; an impetremus de facto ea quæ ad ſalutem neceſſaria petimus, & maximè perſeuerantiam; hac ſiquidem ignorantia cogit nos vt continuo, & ſemper ea petamus, & magis habilitemur ad eius dona, & beneficia, maioremque gratiam conſequamur, & conſequenter gloriam vberiorem; Et licet mereri apud Deum conueniat etiam alijs virtutibus, quibus vtitur Charitas, tamen peculiariter conuenit Orationi, & petitioni, nam in ea exercentur primo omnes actus virtutum Theologicarum, fidei, ſpei, Charitatis, ſecundo actus plurium aliarum virtutum moralium, vt Religionis, & cultus diuini, humilitatis, propriæ cognitionis, obedientiæ, & ſpecialiter illius virtutis pro cuius conſequutione inſtatur apud Deum, & ideo ratione harum omnium virtutum quæ concurrunt, lucroſiſſima ars, & negotium vtiliſſimum eſt Oratio, & petitio, vnde, & nullum momentum deberet

nobis

nobis tranſire feriatum à mendicando apud Deum; ſed vt ſummè nobis proficuum ſine vlla interruptione (vt mendicos decet) perpetuo ſupplicare.

CAPVT XX.

Mendicare apud Deum eſt Ars omnium neceſſariſſima.

LIcet omnis vtilitas moueat, nulla tamen efficacior, quam quæ extremæ prouidet neceſſitati, & ſine qua impoſſibile nobis eſt vel eſſe, vel bene eſſe. Huiuſmodi eſt vtilitas, quam ab Oratione, ſeu à mendicatione apud Deum participamus, cum ſine bonis per Orationem impetrandis non poſſit à nobis æterna ſalus obtineri. Et facili negotio hæc veritas, ſeu extrema neceſſitas orationis perſuadetur, nam certiſſimum eſt inter neceſſaria ad æternam ſalutem præcipuum locum tenere donum perſeuerantiæ in gratia ſanctificante vſque ad finem vitæ. Hoc autem donum ex quo totum pendet negotium æternitatis, vt communis fert ſententia tam Patrum, quam ſcholaſticorum, imo & fuit definitum in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de iuſtificatione, non poteſt cadere ſub merito; ita licet quis pluribus & pluribus annis inſeruiat Deo in paupertate, humilitate, & obedientia voluntaria, paſcat ſe lacrymis, & ieiunio, perpetuis flagellis maceret corpus, & carnem catenis & cilicijs propter Deum affligat, diſtribuat in cibos pauperum facultates ſuas laboret pro gloria Dei, & pro eius honore ac animarum ſalute ſudores, & ſanguinem effundat, adhuc his omnibus bonis operibus non valet ſibi mereri perſeuerantiam vſque ad mortem, in qua vnicè ſalus ſua conſiſtit, quod vtique piè conſideranti admodum formidabile videri debet. At licet non cadat perſeuerantia ſub merito, complacuit tamen diuinæ bonitati, vt caderet ſub impetratione, vnde dixit S. Auguſtinus; *ſunt non nulla quæ Deus dare decreuit etiam non orantibus, vt eſt initium fidei, & ſunt alia, quæ non niſi orantibus præparauit, ſicut perſeuerantia in Gratia vſque ad finem vitæ.* Quod ergo omnia bona opera licet maxima non

poſſunt

Digitized by Google

poſſunt obtinere per modum meriti, conſequitur Oratio, & petitio per modum impetrationis, imo ſola oratione, ſic Deo decernente, conſequi poteſt. Hinc S. Auguſtinus loquens de aduentu Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos dixit, *non venit niſi vocatus, & rogatus*; & alibi de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 56. facit tres ſequentes propoſitiones 1. *nullum credimus ad ſalutem niſi Deo inuitante venire*; 2. *nullum inuitatum ſalutem ſuam niſi Deo auxiliante operari*. 3. *nullum niſi orantem auxilium promereri*; igitur de primo ad vltimum nullum niſi orantem ſalutem conſequi ordinariè poſſe.

Licet autem explicata neceſſitas ſit omnium maximâ vt pote decernens de negotio æternitatis; ac proinde ſola ſufficeret, vt nunquam à petendo, & mendicando ceſſaremus, non deſunt aliæ neceſſitates, & propriæ ſtatus Religioſi, quæ ad idem exercitium inducunt. Non quia ſæculum reliquimus, etiam omnes tentationum occaſiones fugimus; & in Clauſtro nos manet pugna, eaque terribilis ſiquidem quaſi triplicato agmine irruunt in nos potentiſſimi aduerſarij, Mouet hinc caſtra varijs ſuggeſtionibus Dæmon, hinc propria caro inordinatis appetitibus, paſſionibus, & affectibus impetit; illinc Mundus fallacijs ſuis, & præteritarum vanitatum memoria impugnat, ſic vndique inimicis circumdamur, vt non ſit mirum ſi in tot occaſionibus proficiendi in virtute, quibus ſtatus religioſus abundat, parum proficimus, ac ſemper in imperfectiones labimur, nec malos habitus ſemel contractos vnquam exuimus. Quid agere debeamus, ſi tot malis liberari cupimus, docet nos Ioſaphat Rex II. Paralipomenon cap. 20. Et hic Princeps ſe à tribus exercitibus hoſtium circumuentum doluit, nec quomodo euaderet inueniens, *timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum*, & inter alia Domino dicebat, *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos; ſed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te &c.* Nec ſpe ſua fruſtratus eſt pius Rex, nam poſtquam ſe contulit totum ad rogandum Dominum irruit Spiritus Domini ſuper Leuitam, qui dixit eis; *Hæc dicit Dominus, nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem, non enim eſt pugna*

vestra

veſtra, ſed Dei, non eritis vos, qui dimicabitis, ſed tantummodo confidentes ſtate, & videbitis auxilium Dei ſuper vos; Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis, credite Prophetis eius, & cuncta euenient proſpera; Exituſque verba probauit; ſicut Leuita loquutus fuerat, ſic euenit feliciter Ioſaphat; Ergo ad rem noſtram, tot inimicis circumdati non habentes in nobis vires, & virtutem ad reſiſtendum, nulla remanet ſpes victoriæ, niſi in eo, quod oculos noſtros eleuemus ad Dominum, & nos totos ad petendum conferamus, & quia omnia in figura contingebant illis, & ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, docet nos euentus Ioſaphat, quod tunc ſolum perfectam palmam de noſtris imperfectionibus, vitijs, & hoſtibus, conſequemur, cum in Deo ſolo confidentes, ad eius petendum auxilium confugerimus, ſine quo auxilio impoſſibile erit à tot hoſtibus non vinci.

Augetur vis huius neceſſitatis, quia non ſufficit Religioſo profeciſſe in virtutibus niſi in earum exercitijs perſeueret vſque in finem, & ſemper magis, ac magis in eis proficiat, nam in earum acquiſitione dum viuimus, nunquam datur terminus, nec eſt poſſibile ſeruire Deo tali perfectione, qua ipſe non ſit maior ſemper dignus. Itaque qui nõ curaret vlterius progredi ſibi in mediocritate virtutũ ſatisfaciens, ſimilis illi eſſet de quo dicitur Eccleſiaſtæ, Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas dicens, melior eſt pugillus cum requie, quam plena vtraque manus cum labore; nam & is comedit carnes ſuas ideſt paulatim conſumitur, cum longe maiora à nobis Deus requirat; ideo inquit Sanctus Gregorius, qui maius bonum ſibi propoſuit, minus bonum fecit ſibi illicitum, quia nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, eſt aptus Regno Dei. Non igitur in via Domini dum viuitur datur ſtatus, & terminus, vt quis putet ſe comprehendiſſe, ſed qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc, & qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc. Hinc plurimi ſancti maximo ſemper in timore viuebant, quia licet viderent ſe multum Dei gratia in virtutibus profeciſſe, tamen agnoſcebant multum ſibi adhuc deeſſe, et incomparabiliter plus itineris ad perfectionem remanere. Quare magis timendum eſt de illis Religioſis, qui licet per 30. vel 40.

annos virtuoſè in Religione vixerint, tamen putant ſe totum perfeciſſe, nec curant vlterius progredi, quam de Nouitio, qui cùm feruore incipit, & ſemper ſtudet vlterius progredi, ſiquidem illa perſuaſio non progrediendi vlterius duas præcipuè cauſas habet, ſcilicet vel maximam ſui præſumptionem, & ſuperbiam, vel maximam vecordiam, negligentiam, & pigritiam, & ſic multi pereunt. Si igitur incumbit nobis obligatio proficiendi in virtute per ſingulos dies, imò horas, quis eſt hic, qui ſemper contra propriam inclinationem nitatur; & de die in diem ad altiorem gradum perfectionis aſcendat? Quis viuet ſecurus? Certe ita eſt, in maximo verſamur etiam Religioſi periculo ſalutis noſtræ, & ideo hoc ſolum reſiduì habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad Deum, & continuè oremus, vt licet indignos non derelinquat, ſed perpetuis foueat præſidijs, quibus à malis imminentibus eruamur, ipſum totis viſceribus, toto corde, tota anima diligamus, & ea quæ illi ſunt placita ſemper faciamus. Debet proinde quiſque, quotieſcumq; potuerit tēpus ab alijs occupationibus furari, hoc agere vt tanquam pauper ſe Deo ſuo ſiſtat, proponat miſerias, & neceſſitates, poſcat auxilium, ne in tot periculis, inter tot hoſtes internos, & externos pereat agitur enim de ſumma rerum, ideſt de fælicitate, vel miſeria æterna, nec aliud reſidui habemus ad ſpem noſtrā, ad noſtrum ſubſidium, quam vt oculos noſtros dirigamus ad Deum, qui à tot malis & poteſt, & vult ſupplicantes ſibi eripere.

Videtur hanc neceſſitatem bene agendi negotium Orationis, & exercendi artem mendicandi apud Deum ſatis expreſſiſſe Eccleſiaſtes capite 6. cum inter alias noſtras miſerias, hanc ſpecialiter, & ſingulariter deplorat. *Eſt inquit, & aliud malum, & quidem frequens apud homines; Vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honores, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem,* (alii legunt voluntatem) *Deus vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud, & hoc vanitas, & miſeria magna eſt.* Latet ſub his verbis grande myſterium, & altiora, quam quæ prima facie littera ſonet, inſinuare nobis Spiritus Sanctus intendit; eo magis quod melius, & vtilius videtur ad vitam æternam non vti ſubſtantia,

ſtantia, & diuitiis ſæcularibus, ſed ea propter Deum relinquere, & Euangelicam Paupertatem ſequi. Videntur ergo hæc verba intelligenda de bonis ſpiritualibus, quibus maximè homo abundat, & tamen ſua ignauia, & negligentia neſcit eis vti, quæ vtique ineſplicabilis miſeria eſt. Et vt euidentius appareat, exemplificemus propoſitam veritatem; Non ne maxima miſeria eſt, nos habere infinita Chriſti merita, nobis ab eo dono data, vt ditemur, & repleamur ad ſatietatem per ea bonis cœleſtibus, & tamen anima noſtra fame perit, quia neſcit illis vti, & negotiari? Non ne eſt maxima miſeria nos habere promiſſionem infallibilem Chriſti Domini obtinendi, quæ petierimus neceſſaria ad ſalutem, & tamen diſcedimus ab Oratione vacui ſine impetratione alicuius boni? Non ne eſt maxima miſeria habere Deum noſtrum tam bonæ conditionis tantæ miſericordiæ, & pietatis, ac ſemper paratiſſimum communicādi nobis ſua bona, ita vt abundantia pietatis ſuæ & merita ſupplicum excedat, & vota, & tamen nos licet per ſingulos dies duabus horis ante eius conſpectum ſtemus, nihilominus ſemper pauperiores inuenimur? Non ne maxima miſeria eſt habere adeo opportunā commoditatem agendi continuo cum Rege Regum, locupletiſſimo, liberaliſſimo, amantiſſimo, cupidiſſimo tribuendi nobis theſauros ſuos inæſtimabiles, & tamen nunquam à noſtra euadimus mendicitate? Sanè maxima hæc eſt miſeria, & tam grande malū non aliunde oritur, niſi quia vel neſcimus, vel nolumus, vel negligimus negotiari cum Deo noſtro ſicut oportet; vnde homo extraneus vorabit omnia, quia toto illo tempore, quo cum Deo in Oratione agimus, mente vagamur vel per cogitationes inutiles, & ſæculares, vel per dæmonum ſuggeſtiones, & ſic homo extraneus rapit, & nobis deuorat tempus illud prætioſiſſimum acquirendis diuitijs cœleſtibus liberaliter à Chriſto Domino nobis conceſſum, & in tanta abundantia diuinorum bonorum, vnde alij citiſſimè diteſcunt, nos pauperiores euadimus. O ſi Carmelitæ Diſcalceati benè impenderent tempus duarum horarum Orationis quotidianæ, quos profectus in virtute facerent? Quam breui culmen perfectionis attingerent? Quam faciliter finem ſanctitatis in renunciatione ſæculi ſibi præfixum conſequerentur? Vna eſt Oratio, vna eſt ars apud Deum men-

dicandi, quæ nos fælices, & diuites efficere poterit; ſine qua ſemper erimus miſeri, ſeper innumeris inuoluti imperfectionibus, varijs obnoxij paſſionibus; Huic ergo arti inſudemus, huic totis viribus incumbamus, Sit noſtrum ſtudium, perpetuumque miniſterium meditari in lege Domini die, ac nocte, nunquam alio diuertere oculos noſtros, ſed perpetuo orare ad Dominum, eiuſque auxilium, & protectionem implorare, vt ſaluet nos, & eripiat ab inimicis noſtris.

CAPVT XXI.

Varij modi vtiles exercendi Artem mendicandi in Oratione.

Liceat pauperes cæleſtes imitari terrenos, & ab his etiam Artem mendicandi addiſcere, ſiquidem teſte ipſa Veritate Chriſto Domino, prudentiores ſunt in generatione ſua filij ſæculi huius filijs lucis. Et certè pauperes terreni habent, exercentque prudentiam mirabilem in emendicandis eleemoſynis, norunt tempus petendi, & efficacius impetrandi, ſic artem, & modos mouendi affectus, & licet nunquam Rhetoricæ ſtuderint, plurimum tamen vel natura ipſa magiſtra, vel neceſſitate edocti ſciunt animos diuitum inclinare, vt deſiderata, & petita concedant, quam, vel ſimilem diligentiam ſi adhiberent Pauperes Euangelici in Oratione breuiſſimè omnibus diuinis bonis replerentur. Quis ex ſe ipſo poterit pro ſuo profectu conſiderare adinuentiones pauperum terrenorum, vt eorum mores ſanctius, & vtilius in oratione referat, ne enim nimium in præſenti materia diuagemur, & extendamur, pauca in exemplum pro cæteris proponemus.

Solent ergo primo pauperes mundani obſeruare varias Anni ſolemnitates, loca, & tempora, quibus ſolet adeſſe magna Populi frequentia, & deuotio concurrentium promptior ad miſerendum, & elargiendum eleemoſynas. Opportunum ſatis exemplum pro mendicantibus apud Deum, vt

in

in proprium commodum vtantur feſtiuitatibus Chriſti Domini, & Sanctorum, quas Eccleſia veneratur, ſiquidem in eis abundantius ſolito ſolet effluere fons diuinæ miſericordiæ. Et quidem ſi Principes ſæculi huius diebus ſuis natalitijs, vel coronationis, vel aſſumptionis ad Principatum dilatant beneficentiam ſuam, & maiori liberalitate, vel effundunt pecunias, vel conferunt beneficia, vel ſubſcribunt ſupplicibus libellis, vel à captiuitate, et carcere liberant, nefas ſanè erit ſuſpicari Deum noſtrum, qui diues eſt in miſericordia, eſſe minus liberalem diebus feſtiuis ſuis, vel Sanctorum ſuorum; Imò & ipſi Sancti talibus diebus ſpeciali quodam iure tenentur ad intercedendum pro nobis, quare omni ſtudio elaborandum ne illa dies tranſeat ſine abundantia ſpeciali diuinæ Gratiæ, & donorum cœleſtium, vt poſſimus in terris collætari cum Sanctis in Cœlis degentibus. .

Secundo pauperes mendicantes, quando Ciuitas aliqua eſt magna, & per vnam diem nequeunt eã percurrere ſolent in partes, ac regiones diuidere, & inde vnicuiq; ſuum proprium diem decernere, vt ſic nullus ex benefactoribus relinquatur, à quibus poſſunt, vel ſolent, vel ſperant eleemoſynam accipere; Et hos imitari debemus, cum tum ex occupationibus vitæ huius mortalis, tum ex multitudine benefactorum, & magnitudine Cœleſtis Ciuitatis Hieruſalem non valemus eos omnes vna die adire, & tam ſpatioſam beatitudinis terram perluſtrare. Ergo eam in plures regiones diuidamus, & ſingulis diebus cuiuſcunque hebdomadæ vnam partem viſitemus petentes à fælicibus illis habitatoribus munera neceſſaria, & eleemoſynas competentes pro vita æterna conſequenda. Die Lunæ mendicare poterimus apud Sanctos Angelos, qui ſunt in tres Hierarchias diuiſi, & ſingulæ Hierarchiæ in tres Choros; Infima Hierarchia continet Angelos, Archangelos, Virtutes; Media Poteſtates, Principatus, & Dominationes; Suprema, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Die Martis mendicabimus apud Patriarchas, Prophetas, & Sanctos veteris Teſtamenti, & ſpecialiter apud eos, quorum vita et Iuſtitia magis nobis innoteſcit. Die Mercurij mendicabimus apud Apoſtolos, & Diſcipulos Domini, qui primitias ſpiritus habuerunt. Die Iouis mendicabimus apud copioſiſſimum, nume-

numeroſiſſimum, & glorioſiſſimum exercitum Sanctorum Martyrum. Die Veneris apud Sanctos Monachos, Confeſſores, & Anachoretas. Die Sabathi apud Sanctas Virgines, & omnes alias Sanctas Mulieres. Die Dominica apud omnes ſimul; aduertendum autem, quod cum Beatiſſima Virgo Maria ſit ſupra omnes mitiſſima, clementiſsima, potentiſsima, Mater miſericordiæ, peccatorum Aduocata, & cunctorum Sanctorum Regina apud eam quotidie debemus mendicare, & hæc ſi fideliter, & perſeueranter præſtabimus abſque dubio breui bonis cęleſtibus abbundabimus.

Tertio Pauperes, & mendicantes, qui ſe minus aptos vident ad petendam eleemoſynam, vt pote rudioris linguæ minuſque facundæ, aſſumunt ſocium magis idoneum, & eloquentem, quo medio valeant à fidelibus deſiderata extorquere. Idem agamus & nos; cognoſcentes non habere modum agendi cum Deo, nec callere artem apud ipſum mendicandi ſicut oportet, aſſociemur cum aliquo magis idoneo, qui nos ducat ad Deum, & pro nobis petat ſicut par eſt, neceſſaria ad ſalutem; Nec deeſt ſocius aptus, & fidelis Angelus noſter Cuſtos à Deo ad hunc finem nobis miſericorditer datus; hunc obſecremur, vt nomine noſtro inſtet apud Altiſſimum pro beneficijs ſpiritualibus, quibus indigemus, & impetret deſideratas gratias, ſiquidē optimè nouit hanc artem, & validiſſimè agere valet cauſam noſtrā. Poſſumus ad eumdem effectum aſſumere alios etiam Sanctos, præcipuè noſtros aduocatos, & in eorum ſolemnitatibus.

Quarto ſolent etiam pauperes ad inclinandam facilius voluntatem Principum, eorum commendare, & magnificare liberalitatem magnificentiam, pietatem &c. Iuuat & ſimile exequī cum Deo noſtro, vt laudemus eius Omnipotentiam, extollamus quantum poſſumus infinitam bonitatem, clementiam in condonando, liberalitatem in tribuendo, miſericordiam in ſubleuando, amorem in benefaciendo omnibus, & è contra deprimamus nos ipſos, exageremus noſtras miſerias, infirmitates, neceſſitates, turpitudinem, infamiam fœtorem, quatenus nullo modo in nobis ipſis fidentes, totam ſpem, & fiduciam noſtræ ſalutis in eius auxilio collocemus; quo ſanè modo orandi vt pote

frequen-

frequentiſſimo apud antiquos Iuſtos plenæ ſunt ſacræ Paginæ.

Quinto ſolent etiam pauperes præoccupare, & præuenire gratiarum actionibus ipſam gratiam, quam deſiderant, & licet non ſit adeo frequens hic modus apud homines, eſt tamen aptiſsimus apud Deum. Sic antequam ab eo aliquod beneficium petamus, debemus gratias agere, ac ſi iam beneficium contuliſſet, cum certitudine, ac tali fiducia debeamus accedere impetrandi, quod petimus, ac ſi fuiſſet impetratum. Docuit nos hanc artem, vel modum Chriſtus Dominus in reſurrectione Lazari, quando dixit, *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me, ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat &c.* Edocet, & in Pſalmis nos hunc modum ſæpiſsimè S. Dauid, vt cum ait *clamaui, quoniam exaudiſti me &c.*

Sexto. Obſtinatio, et importunitas propria eſt pauperũ, nec quia repulſam patiantur, à petitione, & expoſitione propriæ miſeriæ ceſſant. Conſtanti, ac firmo animo, & negotium Orationis tractandum eſt, nec licet videamur pati pluries repulſam, diſcedendum; imò debemus apud Deum proteſtari non receſſuros ab Oratione, niſi gratia obtenta, niſi forte alio ab obediẽtia vocemur. Hac certe arte mulier illa Cananæa in Euãgelio fæliciter expugnauit cor Redemptoris, beneficiumque, quod filiæ petebat, impetrauit. Eadẽ S. Mater noſtra Thereſia fatetur ſe ſuperaſſe omnes difficultates, & ad perfectionem perueniſſe, cum antea parum proficeret, & faciliter à bonis propoſitis recederet; Sed cum quaſi vim Deo quadam die feciſſet, obteſtata ſe ab eo loco, quo orans iacebat, non receſſuram ſine victrice gratia, qua obſtacula, & ſe ipſam ſuperaret, de repente mutata eſt, noua repletam ſe ſenſit virtute, & ex tunc ſine offenſione fæliciſſimè viam perfectionis cucurrit.

CAPVT

CAPVT XXII.

Multiplex Capitale pro exercentibus Artem mendicandi apud Deum.

LIcet Mendicantes pauperes agris, vineis, pecunia, cæteriſque bonis indigeant, copioſam tamen ſupellectilem,& non exiguũ capitale ſe habere putant, ſi motiua, rationes atq; argumenta habeant, quibus velut armis triumphent de animis hominum, omniaque obtineant, quæ petunt. Hæc omnem reliquam ſupplet indigentiam, vna eſt pro cæteris diuitijs, cum ſibi ex ea cuncta deſiderata, & neceſſaria ſuppeditentur. Vel dicemus, & redit in eumdem ſcopum,& finem noſtrum, aliquando vti Mendicantes hac arte,vt ſi forte quid prætioſum inuenerint, quod fore Principi gratum autumant, illud eidem liberaliter offerunt, nec aliquod exigunt prætium, vt inde etiam magis excitetur Principis liberalitas ad eorum ſubleuandam paupertatem. O quantis abbundant pauperes ſpirituales, vt negotium ſuæ mendicationis cum Deo fœliciter peragant? Quot ſuppetunt, vt ita dicam capitalia,quibus nihil habentes omnia poſsideant, & veluti prætioſiſsimas gemmas Deo offerant, eiuſdem beneuolentiam inclinaturi? Fælices pauperes, quorum in cenſum in capitale omnia cedunt bona, Deus ipſe! Sed videamus, & breuiter ea expendamus.

Primum Capitale ſunt omnia merita Vitæ Sãctiſsimæ Paſſionis acerbiſsimæ,mortis pænoſiſsimę Chriſti Domini,quæ in perſona Chriſti non receperunt cõdignam mercedẽ,cum omnia ſupernaturalia bona ipſe habuerit titulo connaturalitatis ex vnione hypoſtatica, nobiſq; fuerunt donata,vt eorũ virtute poſſemus nobis petere remunerationem pro ipſis, vt noſtris, & ad noſtram ſalutem operatis; vnde non debemus dimitti vacui tantum prætium offerentes, & tot tantaque merita infinitis præmijs digna repræſentantes. *Secundum* ſunt merita, & gloria Beatiſsimæ Virginis Mariæ, quæ de Terra in Cœlum tranſlata eſt, & ſuper omnes

Choros

Choros Angelorum exaltata, vt fiducialiter cauſam noſtram ageret apud Deum, ſicut confitetur Eccleſia in Oratione ſecreta, quæ dicitur in Miſſa in peruigilio Aſſumptionis eiuſdem, *Quam idcirco de præſenti ſæculo tranſtuliſti, vt apud te pro noſtris peccatis fiducialiter intercederet.* Nec dubium quin & Deo ſint gratiſſima merita ſuæ Matris, & oblatio omnium laborum, quos ipſa perpeſſa eſt in eius cura, & educatione, & quin ipſamet Virgo propter peccatores ad excellentiſſimam dignitatem Matris Dei euecta toto corde noſtra negotia non promoueat, & non ſit propenſiſſima ad nobis ſuccurrendum, & intercedendũ pro nobis. *Tertium* ſunt omnia merita, & gloria omnium Beatorum tam ex Angelis, quam ex hominibus, qui cum Deo regnant, & regnabunt in perpetuas æternitates, nec dubium, quod ſi Regina Cœlorum, vt pro nobis peroret apud Filium fuit exaltata, & cæteri Electi, ac Principes Empyrei eidem fini deſeruiant, atque vt ſint noſtri Patroni, Aduocati, & Defenſores, Deo in beata gloria aſsiſtant. *Quartum* Omnia merita cunctorum operum bonorum, Orationum, Vigiliarum, pœnarum, vel cuiuſcunque actus interni, vel externi, à quolibet iuſto, quolibet tempore in terra, & peregrinatione hac exerciti, & quæ per ſæcula ſubſequentia in Eccleſia militante exercebuntur operationes ſanctæ, & meritoriæ, non enim ab horum omnium participatione poſſumus excludi, vnde & valemus eis vti cum Deo ad noſtram vtilitatem, & profectum. *Quintum* ſunt tot Miſſæ, & Sacrificia, quæ quotidie Deo per totum Orbem offeruntur, cuncti enim fideles de eis participant, cum pro omnibus offerantur, tam viuis, quam defunctis, in quibus repræſentatur Paſsio, & mors Chriſti Domini, quæ fuit infiniti valoris, & meriti, ac proinde inexauribilis quantumcumque de ea, & per eam accipiatur, & ad plures eiuſdem efficacia diffundatur. *Sextum* eſt promiſsio iure iurãdo firmata à Chriſto Domino nobis facta cõcedendi omnia, quæ in eius nomine peterentur. *Septimũ* eſt donatio facta nobis à Patre Aeterno de Filio ſuo Dilectiſsimo, & Vnigenito, & cũ eo de omnibus alijs bonis, vt refert Apoſtolus, his terminis, *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo & cum illo non omnia nobis donauit?* Cum ergo negare iure

non poſsit, quod ſemel donatum, & acceptatum fuit, ſequitur euidenter, quod nihil poterit Deus negare, cum nihil petamus, quod ex vi prædictæ donationis noſtrum non ſit. *Octauum* omnia bona, quæ Deo ſuperfluunt, micæ, quæ ex Cœleſti Conuiuio cadunt, quo Diuinæ Perſonæ in ſe ipſis paſcuntur, & ſatiantur, debetur enim pauperibus, quod non eſt neceſſarium Domino; iuxta illud monitum, *quod ſupereſt date pauperibus*, imo & catuli quoddam ius habent ad micas de menſa dominorum ſuorum cadentes, iuxta illud, *nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Chriſtus etiam Ieſus maximam egit curam de his micis ne perirent, vnde præcepit Apoſtolis *Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta ne pereant.* Cum ergo Deus non indigeat bonis illis, quibus nos pro noſtra ſalute indigemus, *bonorum enim*, vt aiebat Dauid, *non indiges*, ius habemus ad ea petenda, ne pereant, & vt nobis Deus donet, quæ ſibi ſuperfluunt. *Nonum.* Omnia bona quibus Deus indiget; Licet enim in ſe, & in propria natura nullius egeat, tamen vt inquit Apoſtolus *Cum eſſet diues pro nobis egenus factus eſt*, noſtras neceſsitates ſuas reputans quod multipliciter Dominus noſter Ieſus Chriſtus expreſſit, vt quando dixit, *Dicite quia Dominus his opus habet; & quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Hinc ergo poſſumus iure auctoritatẽ Perſonæ Chriſti exhibere, cum petimus ad noſtram ſalutem neceſſaria, ſiquidem ea neceſsitas ipſum met Chriſtum tangit, & ſibi reputat conceſſum, vel negatum, quod nobis vel conceditur, vel negatur; at certè non decet Chriſtum à Patre, cuius honorem ſemper quæſiuit, in ſuis neceſsitatibus pati repulſam. *Decimum* ſunt ipſa noſtra peccata, & demerita: amabiliſsimæ etenim conditionis eſt Deus noſter, vt reddat pro malo bonum; ſi enim hoc exigit ille à nobis, qui ſumus mali, ne ſcilicet iniurijs iniurias compenſemus, ſed inimicos diligamus, & eis benefaciamus, *Vt ſitis, inquit filij Patris veſtri*; quomodo cum inimicis ſuis, & peccatoribus non miſericorditer aget Pater Cæleſtis, qui eſt ipſa bonitas, & miſericordia? Hac de cauſa rogabat Propheta Dominum, *Sana animam meam, quia peccaui tibi*; & alibi *miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, & quia tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci*. Et apud Iſaiam habetur *recepit de manu Domini duplicia*

plicia pro omnibus peccatis ſuis; Et ſæpiſsimè in ſacra Scriptura afferuntur pro Capitali, et motiuo, vt nos Deus adiuuet, noſtra ipſa peccata; nam vbi maior eſt miſeria, ibi magis miſericordia prouocatur ad miſerendum, ſi ergo non poſſumus bona opera, & noſtra merita Deo exhibere, afferamus in conſpectum eius noſtras miſerias, & peccata pro motiuo, vt noſtri miſereatur, ſicut etiam ſolent pauperes oſtendere plagas, & infirmitates ſuas, eaſque efferunt, vt capitale pro eleemoſynis comparandis, & Deo cum Pſalmiſta dicamus, *Propitiaberis peccato meo multum eſt enim. Vndecimum* bonitas, & miſericordia infinita Dei, quæ incomparabiliter excedit omnem noſtram malitiam, & infirmitatem; & ex ſe dicit infinitam propenſionem elargiendi quidquid ad ſalutem opportunum ab eo poſtulatur; Sic non indiget ipſe aliquo extrinſeco, vt moueatur ad benefaciendum, ſed diues eſt in omnes, qui inuocant, & ſperant in illum, ob ſuam ſolam pietatem, & miſericordiam, ſicut dixit optimè Dauid, *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem*, & apud Iſaiam legitur ex ore ipſius Dei *Propter nomen meum longe faciam furorem meum, & laude mea infrænabo te, ne intereas, propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Duodecimum.* Cor Ieſu paratiſsimum adhuc pro noſtra ſalute duriora pati, ſiue omnes pœnæ tormenta, Cruces, & mortes, quas ille libentiſſimè toleraret, ſi adhuc eſſent neceſſariæ vt nos ſaluaremur; quod deſiderium vlteriora patiendi expreſſit Redemptor noſter in Cruce dum dixit *Sitio*, & dum Beato Carpo, vt refert D. Dionyſius Areopagita, *Manu extenſa feri me, percute me inquit paratus etenim ſum iterum pro ſalute hominum pati.* Igitur tã deſiderio, quam omnibus iſtis pœnis poſſumus in noſtrum commodum vti, eaſque offerre Deo Patri, & in mercedem exigere noſtram ſalutem. *Decimumtertium* relatio Paternitatis, & filiationis quæ inter nos, & Deum intercedit, ſi enim vt inquit Chriſtus, *Quis ex vobis Patrem panem petit, numquid lapidem dabit illi? Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter Cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Decimumquartum* Relatio, & vinculum fraternitatis inter Chriſtum, & nos; lex etenim bonæ fraternitatis exigit, vt nemo fra-

trum ſibi aliquid proprium eſſe dicat, ſed ſint omnia communia; Si ergo factus eſt noſter Frater Chriſtus, & communionẽ fecit bonorum ſuorũ, & ſic eripiet nos à malis noſtris. *Decimum quintum*, Vinculum amicitiæ, quod quãtum eſt ex parte Chriſti nunquam diſſoluitur, ita vt vel ipſum proditorem Iudam tam dulci titulo appellauerit, *Amice ad quid veniſti*, cum autem proprium ſit amicorum, *idem velle, & idem nolle, & amicorum omnia communia*. vtique ſi nobis ſe Chriſtus amicum exhibet, debet omnia concedere, quæ poſtulamus, & deſideramus. *Decimum-ſextum*, Vinculum, & relatio ſeruitutis, quam nobiſcum Redemptor noſter contraxit, licet enim natura Dominus, ex amore nihilominus exinaniuit ſemetipſum formã Serui accipiens, & de ſe ipſo teſtatur, *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare, ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat*, vnde & ſeruorum miniſterium erga ſuos Diſcipulos voluit exercere, eorum pedes lauando, & paſſus eſt vendi, & emi ab hominibus tanquam eorum mancipium. Quomodo autem qui maieſtatem ſuam inclinauit pedibus pauperum, non inclinabit ſuas aures ad eorum preces? *Decimum Septimum*, Vnio hypoſtatica cum cæteris ineffabilibus donis conceſſis humanitati Chriſti, nam cum hæc omnia receperit cauſa noſtri, erit nullo modo dubitandũ, quin ipſa Sanctiſſima Humanitas faciliimè exaudiet nos ſupplicantes pro bonis æternis, & hoc capitali vtitur Sancta Mater Eccleſia cum à Chriſto petit *Per Sanctam Incarnationem tuam libera nos Domine*. *Decimum octauum* Gloria externa Chriſti indiuiſibiliter connexa cum noſtra ſalute, non enim laudatur, glorificatur, & amatur Deus niſi ab ijs, qui ſaluantur; *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum; ſed nos qui viuimus, benedicimus Domino*. Igitur ſalus noſtra eſt Gloria Chriſti, & illam petentes, hanc petimus, vnde inquit Apoſtolus, *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. *Decimumnonum*. Beneficia omnia, quæ à Deo recepimus, & perpetuò ab eodem participamus; ſunt enim omnia iſta quaſi capitalia ad poſtulanda, & obtinenda maiora, quibus per antecedentia diſponimur, & ſine quibus illa conſeruari non poſſunt. Et idem Dominus pro gratitudine gratiarum quas in dies recipimus, vult vt inſtemus pro nouis, ſicut

optimè cognouit Sanctus Dauid cum dicebat; *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*; Quaſi diceret, gratum me Deo pro beneficijs, quæ confert, probabo noua ſemper petendo. Et Sanctus Paulus admonet nos, *Vt cum gratiarum actione petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum*. Qui enim Sanctus eſt, debet amplius ſanctificari. *Vigeſimum* Totum illud bonum, quod a nobis exigit Deus, cum enim nihil illi dare poſſimus, niſi prius ab eo acceperimus, *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* Eo ipſo, quod Deus aliquid à nobis poſtulat, habemus ius ad idem ab eo petendum, ſicut ipſe docuit Mulierem Samaritanam; *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, &c. qui dicit tibi da mihi bibere, forſitan ab eo petijſſes &c.* Quaſi diceret, ſi tu me intellexiſſes, ex petitione mea animum ſumpſiſſes, vt aquam à me peteres, quam libentiſſimè dediſſem. Igitur dum imponit nobis amorem ſuum, patientiam, vel humilitatem, hortatur nos ad ea bona petenda, cum ea niſi ab ipſo habere non poſſimus.

Vltra autem prædicta Capitalia poſſumus adhibere plurima alia motiua, eaque Deo offerre, vt nos exaudiat. 1. quia ſic glorificabit proprium nomen; 2. quia faciet iuxta ſuam inclinationem, & conditionem. 3. quia voluntas eius eſt ſanctificatio noſtra. 4. quia facillimè poteſt nos bonis ſuis ditare, & à malis eripere. 5. quia omnium ſupremus Dominus eſt. 6. quia quanto maiora, & plura dabit, eo plenior, & ditior erit. 7. quia nullus eſt præter ipſum à quo poſſumus auxilium ſperare. 8. quia alijs plurimis ſe placabilem, & beneficum oſtendit. 9. quia ſibi faciet, quod nobis tribuet. 10. quia eum, ſi ſaluabimur, in perpetuas æternitates amabimus, & laudabimus. 11 quia eum in inferno non poterimus diligere. 12. quia nihil ſine ipſo poſſumus. 13. quia alias fruſtra tot tormenta, & Crucem paſſus erit. 14. quia plurimis, & potentibus hoſtibus vndique impetimur. 15. quia ſi permittit cadere, parcere debebit, alioquin vbi apparebunt miſericordiæ eius? 16. quia nulla vtilitas in ſanguine noſtro, nec in commodum ſuum noſtrum malum, & culpa redundat. 17. quia maiori dilectione nos amat, quam ipſi à nobis diligamur 18. quia & inimicis ſuis benefacit. 19. quia

eius

eius totaliter ſumus. 20, quia totus noſter eſt, totus nobis datus, & in noſtros vſus expenſus. 21 quia ipſe nobis omne bonum meruit. 22. vt Z[illegible] honorem, & gloriam Aeterni Patris. 23. quia ab ipſo d[illegible] inſpiramur, vt poſtulemus ſalutem. 24. quia multas gratias nobis conceſſit peccantibus, & non pœnitentibus. 25. quia eſt Aduocatus noſter in Cælis apud Patrem, & interpellat pro nobis. 26. quia dum degebat in terris vltro offerebat ſalutem, & quærebat, qui eam vellet, & ſic Paralitico inquit, vis ſanus fieri? & alibi, ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat. 27. quia in Sacramento Altaris ſe ipſum donauit nobis, qui toto Orbe prætioſior eſt. 28. quia plus noſtram ſalutem, quam propriam humanitatem amauit, hãc enim cruciatibus, opprobrijs, & morti pro nobis expoſuit. 29. quia ſuas delicias, et gaudia in habitatione, & dulci communicatione animarum noſtrarum poſuit, *Deliciæ enim meæ inquit, eſſe cum filijs hominum,* & alibi *vt habeant gaudium meum* impletum *in ſe met ipſis.*

CAPVT XXIII.

Magna à Deo petenda ſunt.

APud homines, quia ſunt parũ propenſi ad largiendũ, & benefaciendum, & quia quæ alijs donant, ſibi detrahunt, ſolet reddere faciliorem conſequutionem rei, quæ à paupere petitur, ſi ſit res vilis, minoris præcij, & parui momenti. Non ſic apud Deum, qui diues eſt in miſericordia, qui eſt fons inexhauſtus omnium bonorum, de cuius aquis eo plus ſemper accipiendum remanet, quo plus accipitur, qui infinitam dicit inclinationem ſicut & bonitatem communicandi ſe, & ſua bona, & elargiendo diteſcit, non minoratur, quare cum ſit oppoſitæ conditionis ab hominibus neſcit cum eo negotiari, parumque nouit eius naturam, qui pro rebus exigui ponderis ſupplicat. Magna imo maxima à Deo petenda ſunt, & quo maiora poſtulantur, eo redditur facilior conſequutio, & illi magis [illegible] placet

placet Oratio; Nec à bonis petendis ipſe met Deus excludendus, imo quia eſt ipſe primum, & maximum bonum, & omne bonum, ante omnia alia bona, & ſuper omnia alia bona, & ſi neceſſe ſit, prætermiſsis cæteris alijs bonis, Deus eſt petendus; & qui neglecto eo ſe ad poſtulandas nugas, vel res minoris momenti diuertit, vtique dignitati, maieſtati, & granditati tanti doni, & infinitæ beneuolentiæ, quæ illud parata eſt concedere, iniuriam facit. Hoc optimè nouerat S. Auguſtinus, qui dicebat; *Amat omnino te Deus, ergo quodcumque petieris dabit tibi; dilata cor tuum, exerce tuam auaritiam, conſidera quis eſt, qui tibi promittit*. Deus ergo eſt, qui promittit ſe omnia daturum, quæ cor noſtrum deſiderat, & bene nouerat, quod nihil præter ſe ipſum noſtri poterat cordis deſideria explere, ſiquidem vnicum bonū eſt, ad quod nati ſumus, quod conſequenter nos ſatiat, & ſic ſe ipſum daturum ſe iure iurando obſtrinxit; Deum ergo ipſum petamus, nam petendo deſiderabimus, deſiderando amabimus, amando poſſidebimus, & ſic ſubſcripta erit, & ſtatim exaudita Oratio noſtra. Deum ipſum in orationibus noſtris continuo petamus, nam cum eo in nos venient omnia pariter bona, cum eo manſuetudo, humilitas, caſtitas, obedientia, & cæteræ virtutes ad ipſum pertinentes. Ipſum petamus, vt ſubito exaudiatur Oratio noſtra, nam ſe ipſum negare non poteſt.

Verum quia ipſe non ſe negat, ſed nos poſſumus illum à nobis noſtris peccatis expellere, & quia in loco tentationum verſamur, vndique circumdati infirmitatibus, inimicis, malis habitibus, inclinationibus inordinatis, vt ſine eius gratia impoſsibile ſit non cadere, non vinci, non labi in crimina, ſit potiſsima Oratio noſtra, vt Deus ſua miſericordia nos præueniat, comitetur, & ſubſequatur, nec vnquam ceſſemus ad eum clamare ne permittat nos cadere; Vt autem hæc oratio, & obſecratio ſit efficacior; cum homines peccare ſoleant ex duplici motiuo vel cupiditatis erga aliquod bonum apparens, vel timoris alicuius mali imminentis ſi non peccent, debemus in Oratione renuntiare cuicunque bono, & voluptati, quam peccando conſequi poſſemus, immo renuntiare ipſi met noſtræ libertati, vt Deus nobiſcum vtatur ſua omnipotentia inferendo etiam vim noſtræ libertati, & impediendo voluntatem eamque

detinendo

Digitized by Google

detinendo ne labatur in crimen, & ſimiliter proponamus quamcumque pænam, & laborem ſubire potius, quam peccare. Et vt hic actus ſit magis Deo gratus, & meritorius, debet purgari intentio, & proteſtari, non hoc nos petere, vt fugiamus ſupplicia, quæ culpam comitantur, ſed ne Deum noſtrum ſuper omnia dilectum offendamus, & ideo paratiſsimos nos eſſe, ſi ipſi ita placet, ferre omnem illam pænam, quæ noſtris delictis deberetur, à quibus nos ſua miſericordia dignatur eripere. Et ne propter noſtrā indignitatē, ingratitudinem, & præterita peccata ab hac gratia excludamur, debemus eam petere propter infinitam ſuam charitatem, & miſericordiam, propter infallibilem ſui promiſsionem, & propter infinita merita Chriſti Domini, nec ab hac petitione vnquam die, vel nocte ceſſare.

Doctrinæ hoc capite traditæ, quod à Deo ſcilicet magna, & maxima petenda ſunt, idoneam nobis ſe exhibet Magiſtram Sancta Mater Eccleſia, cæleſti Spiritu edocta, & diuina Sapientia plena, ſiquidem in omnibus Orationibus, Collectis, tam Diuini Officij, quam Sacroſancti Sacrificij Miſſæ, ſemper à Deo maxima petit; ſcilicet vel remiſſionem peccatorum, vel liberationem à periculis, quæ imminent, vel immunitatem ab omnibus malis, vel vitam æternam, & ſimilia; vnde eam ſequi, & imitari nos decet, & tempus prætioſiſsimum Orationis, & agendi cum Deo, non leuibus occupare, ſed cæleſtia, grandia, & æterna in eo negotiari.

CAPVT XXIV.

Non eſt differenda Oratio.

SIcut Deus O. M. ex veneno creat antidotum, & ex malis bona facit, ſic è conuerſo Dæmon ex medicinis educit venena, vertit cæleſtia pharmaca in perniciem; Hinc eſt, quod ex benigniſſima voluntate Dei ſemper parata nobis beneficia neceſſaria ad ſalutem concedere, ac ex promiſſione infallibili ea elargiendi ſi requirantur, ſolet proponere, & ſuadere vt differatur vel poſt dies, menſes, annos vel vſque ad finem vitæ Oratio; ſiquidem ſemper certi ſumus obtenturos, quod deſideramus. Sanè verſipellis eſt ſuggeſtio iſta, plurimumq; damni afferens, ni penitus repellatur importunus Tentator. Apparet *primo* falſitas ſuggeſtionis, quia cuiuſcumque noſtræ actionis finis debet eſſe gloria, & Dei honor, exequi illius diuinam voluntatem, eique perfectè placere; Certi autem ſumus, quod ipſi rem gratiſſimam facimus, ipſum honoramus, glorificamus, & colimus, ſi ad eius miſericordiam confugimus, deque noſtris neceſsitatibus, & auxilijs efficacibus tractemus, ita vt hortatus nos fuerit ad nunquam interruptam petitionem, *Sine intermiſſione orate*. Cur ergo toto illo tempore intermedio nolumus Deo noſtro gratificari, & placere, ſed inutiliter dictum tempus conſumere? *Secundo* apparet falſitas ſuggeſtionis, quia cum Oratio ſit opus meritorium, & per eam quis valeat ſemper magis apud Deum ditari, & lucrari bona ſpiritualia, gratiæ, & gloriæ, manifeſta ſtultitia eſt tempus inutiliter perdere, & tot ac tantas occaſiones lucri prætermittere. *Tertio* apparet falſitas ſuggeſtionis, quia nemo eſt certus de tempore futuro, nec craſtinam diem Deus promittit licet promittat craſtina die pænitentes recepturum; at ſit dies craſtina, tempus futurum certum, ſatis incertum eſt an tunc temporis aliquis ſit habiturus diſpoſitionem congruã ad orandum vt oportet, & per conſequens ad impetrandum; an non

quilibet in ſe expertus eſt, quot in Oratione ſubiaceat diſtractionibus,euagationibus mentis, vt vix valeat ad Deum mentem eleuare? Itaque qui promiſit daturum petenti omnia neceſſaria ad ſalutem,non promiſit daturum diſpoſitiones quandocumque homo voluerit, cum ea, dum gratioſè offerebatur, vti noluit, *quia fronte capillata, poſt hæc occaſio calua*. Non eſt ergo vnquam differenda Oratio, ſed ſine intermiſſione facienda.

Sed vt in funiculis Adam ad perpetuò orandum trahatur cor noſtrum, ſuauiſſimum funem, & validiſſimum non triplicem tantum, ſed ſeptumplicem elaboremus, ſiue catenulam ſeptem anulis intextam componamus, qua animus ad orationem fortiter, & dulciter alliciatur,& vt ita dicã captiuetur; 1.in continua nos neceſsitate verſari itineris conficiendi vel ad gloriam, vel ad pœnam æternam, verſus Cœlum,vel infernum, benè vel malè agendi, placendi, vel diſplicẽdi Deo.2. carere ex nobis viribus ad conſequendum primum, & ſecundum fugiendum. 3. eſſe in Dei poteſtate, cõferre nobis auxilia efficaciſſima,quibus infallibiliter primũ conſequamur,& ſecundum deuitemus 4. extare irreuocabile Dei decretum iure iurandò firmatum, concedendi dicta auxilia, ſi in nomine Ieſu Chriſti fuerint petita; quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. 5. placere Deo, quod ab ipſo talia beneficia, ſeu auxilia petantur, ita vt ipſe met roget nos, cogat, & præceptis compellat ad petendum. 6. incertam rem eſſe ac dubiam an ille ſit auxilia daturus niſi petantur, imò eſſe rem certiſſimam niſi petantur, non ea ſaltem cum perſeuerantia largiturum. 7. in ipſo ſolo eſſe poteſtatem ea conferendi.

Non enim eſt aliud nomen ſub cęlo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri; & non eſt alius qui pugnet pro nobis niſi tu Deus noſter.

CA-

C A P V T XXV.

Contra aliam tentationem Dæmonis inducentis diffidentiam in Oratione.

Totum hoc Caput eſt V. Patris ad verbum, in latinum tamen verſum.

QVia Dæmon videt nos præ manibus habere remediũ adeo facile, ſicut eſt Oratio, quo poſsimus eius inſidias declinare, & à manibus erui, varijs artibus, & totis viribus nititur nos à ſancto hoc exercitio auocare, & eo ſicut conuenit non vti, vnde conueniens erit eius aperire fallacias. Solet ergo hoſtis noſter aſſumere officium paraphraſtes, & interpretis S. Scripturæ, & ſtudet interius ſuggerere aliquos ſenſus, & explicationes fini ſuo idoneas, vt non percipiamus vim verborum Sacræ Scripturæ, vel falsò intelligamus, & ita perſeueremus in tenebris ignorantiæ, ſicut cum hæreticis & egit, & agit, quos detinet in ſuis met erroribus deceptos, & captiuos Sacra ipſa Scriptura. Quando autem in apertam hereſim inducere non valet, ſaltem effundit tenebras in intellectu, vt non conſideremus, vel attingamus veritatem rerum reuelatarum nobis per fidem diuinam, quæ vtiq; ſi conſiderarentur, & penetrarentur, vt oportet, efficaciſsimę forent pro conuerſione cuiuslibet duri, & lapidei cordis. Sit exẽplum. Audimus adeo magnam promiſsionem Chriſti Domini *Amen amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis*. Adeſt inde Dæmon gloſſator, & interpres; Hoc dixit Dominus noſter Apoſtolis ſuis, & Diſcipulis, non debet pro omnibus accipi, ſeu credi eſſe dictum Vniuerſis; Si reſpondemus, Sanctos Patres aſſerere neminem licet maximum peccatorẽ ab ea excludi dummodo petat neceſſaria ad ſalutem propriã; Ille iterum obijcit, ſit hoc verũ, tamen tot requiruntur conditiones ad hoc vt petitio fiat ſicut oportet, & decet, ac obtineatur à Deo, quod petitur, ſpectans ad ſalutem, vt vano labore conſumaris in petendo; non ne ſiquidem vides quoties poſtulaſti, pulſaſti, & tamen per ſingulos dies magis ſemper obnoxius viuis imperfectionibus? Solet etiam hæc ten-

Digitized by Google

tatio ab amore proprio foueri,& augeri qui cũ naturaliter fugiat laborẽ,& faſtidium, faciliter etiam ſuadetur, ne aſſumat moleſtiam illam, & paruam defatigationem, quam in ſe experitur dum ad interiora ſe colligit, & auocat ab alijs cogitationibus, vt Deo vniatur, & eiuſdem petat auxilium.

Ex hoc ergo conueniens erit, vt videamus quas conditiones requirat noſtra Petitio, vt talis ſit, quæ mereatur à Deo infallibiliter accipere, quod poſtulamus, experiemur enim non eſſe tot, nec tam difficiles conditiones, ex quibus animo cadamus in eleuatione noſtri cordis ad Deum, & in exigendo ab eo gratiam; & auxilium ſicut promiſit.

Igitur ſuppoſito diuino auxilio, ſine quo nec Ieſum nominare valemus. S. Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 15. quatuor ponit conditiones, quæ ſi ſimul concurrant, infallibiliter impetrabimus, quod petimus. *Prima conditio eſt*, vt id quod petimus, pro nobis petamus, non quia non debeamus, & poſſimus etiam orare, & exorare pro alijs, ſed quia non eſt ita infallibile vt impetremus, ſiquidem alter pro quo petimus, ex eo quod ipſe pro ſe nec deſideret, nec petat talem gratiam à Deo, poterit eſſe inidoneus,& incapax qui recipiat, quod Deus promiſit, nam Deus poſtulāti concedere, & dare promiſit *Omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit inuenit &c.* Quando autem pro nobis petimus, & à Deo gratiam aliquam deſideramus, iam ex parte noſtra, vnam quā Deus pro ſuorum munerum elargitione conditionem requirit, habemus, ſcilicet vt petatur, quare ſi aliæ tres conditiones, quas inferius ſubdam, non deſint, infallibiliter obtinebimus, quod petimus. Ecce quam facilis eſt prima conditio, dum aliquis pro ſe orat. *Secunda conditio eſt*, petere res conducentes, & conuenientes ſaluti animæ, vt enim dicebat glorioſus Pater S. Auguſtinus, *Non petitur in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra ſalutẽ.* Quis autem non videt, quam facilis ſit præſens conditio? Quis enim adeo demens, vt velit à Deo petere id quod non conuenit, vel officit propriæ ſaluti? *Tertia conditio eſt*; piè petere, per quam innoteſcit nobis qualis debeat eſſe intentio illius, qui petit, vt docet Caietanus loco citato, ſicut per præcedentem explicabatur, qualis debeat eſſe res, quæ petitur. Igitur non ſolum petitio noſtra debet eſſe de re bona, & ſaluti noſtræ conuenienti, ſed & bona debet eſſe [illegible] inten-

intentio, & finis, ad quem dirigitur, ſcilicet non noſtra gloria, & noſtra vtilitas, ſed diuinæ expletio voluntatis; poſſet etenim dari caſus, vt quis bonum peteret, ſed ex fine inordinato, v. g. ſi quis à Tiranno cruciaretur, vt fidem negaret, & martyr ad ferenda tormenta vires à Deo poſtularet ex vana gloria, & vt magni fieret ab hominibus; hæc petitio licet de re bona, tamen quia procederet ex illo fine vitiato, certiſſimum eſt, quod exaudiri non mereretur; ſed ſi res, quæ petitur, ſit bona, & conueniẽs noſtræ ſaluti, & ex pia, & recta intẽtione fiat, infallibiliter obtinebitur, concurrentibus alijs conditionibus, quas explicamus. Ecce nec tertia conditio, quam Deus requirit, adeò difficilis eſt, vt ab ea terreamur, & recedamus à petendo; quod etenim cor adeo durum dari poterit, vt velit à Deo petere conuenientia propriæ ſaluti, vt eiſdem Deum offendat, & non potius vt eiuſdem ſatisfaciat ſanctiſſimæ voluntati? *Quarta conditio eſt* perſeuerantia. Hæc intelligitur exigi ad impetrandum infallibiliter neceſſaria ad ſalutem pro tempore futuro; quibus autẽ de præſenti indigemus, firmiſſimè debemus credere Deum de præſenti daturum, *Cum ſit adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*. Quo tamen in futurum indigebimus non eſt infallibile nos conſequuturos, ſi prætermittimus in poſterum petere; licet & fieri poſſit, vt pro Oratione hodierna nos Deus cras à peccando cuſtodiat, quamuis cras hoc petere non cogitemus; ſed hoc vt dictum eſt, non eſt certum, & infallibile. Deus enim promiſit dare petenti, aperire pulſanti, vnde euenire poſſet, vt prætermiſſa ex noſtra parte Oratione, prætermitteret Deus dare, & ſi pulſare prætermittimus, ipſe oſtium claudat.

Ad excludendam etiam tentationem diffidentiæ, ſeu ad confidentiam augendam aduertendum eſt, non eſſe neceſſarium ad petendum à Deo, vt conuenit, & ad impetrandũ infallibiliter aliquod donum, quod abſoluta certitudine et omnem formidinem excludente, credam, & mihi perſuadeam, promittamque me impetraturum; euenire ſiquidem poteſt me ſicut oportet petere, & tamẽ timeam an re vera ſit talis mea petitio, & per conſequens timeã, an ſim impetraturus quod poſtulo; ſicut è contra aliquis poſſet ſibi certo ſuadere, & promittere, ſe aliquam gratiam conſequuturum,

& tamen non conſequatur; talis enim fiducia ſine ſpeciali reuelatione bona non eſt. Sufficit ergo, vt ego ex mea parte meliori modo quo poſſim, vel cognoſcam debere fieri, vt auxilium, & donum quod poſco obtineatur; illudeã petere, an autẽ talis fuerit vel non fuerit petitio, debet illud Apoſtoli reſponderi, *Sed neque me ipſum iudico; qui autem iudicat me Dominus eſt. Et nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*. Idem dicitur de actu contritionis, ad quem debemus conari; vtrum autem poſt conatum fuerit verus actus contritionis, ſciri certo à nobis non poteſt ſine ſpeciali reuelatione, ſicut nec ſciri nos eſſe in Gratia, vt docet Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 9. ibique optimè hanc doctrinam declarat. Vt ergo concludamus, quid ex parte noſtra agendum ſit; primum eſt, credere fide certiſſima, & ſine timore, Deum poſſe concedere, quod poſtulo, & eſt ſaluti conueniens; tum eſſe infinitè miſericordiæ, & ardentiſſimo amore deſiderare, neceſſaria ad ſalutem largiri, imo promiſiſſe largiri, ſi peterem vt oportet, tum etiam mutuare, & donare mihi ſuæ Sanctiſſimæ Paſſionis, & mortis merita, vt in eorum virtute peterem; ſecundum vero cum hac fide viua certiſſima, & inuiolabili conari petere gratiam, quam deſidero. Si autem certitudo haberi non poteſt, an petitio facta fuerit, ſicut oportet, neceſſe eſt, vt conformemus voluntatem noſtram cum voluntate Dei, qui non vult nos habere hanc certitudinem, vt totaliter proiiciamus nos in brachia ſuæ ſanctiſsimæ, & paternæ Prouidentiæ, & nolimus plus ſcire, quam ipſi placeat, *Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*. Magnam nobis exhibet Dominus miſericordiam, & beneficium, quod cum ſimus adeo viles, conceſſerit medium tam facile, & ſuaue, quo valeamus ab eo obtinere, & ſperare omne bonum, ſicut eſt Oratio, & omne bonum ab eo petendo.

CAPVT

CAPVT VLTIMVM.

Quædam adnotantur pro exercitio Orationis vtiliſſima.

PRimum quod in hoc capite ſe offert, ad hoc vt optimè noſtra procedat Oratio, eſt, vt ante omnia orans in ipſa Oratione cognoſcat defectus, errores, imperfectionem, inaduertentiam, euagationem mentis, paruam attentionem, & indebitum modum procedendi cum Deo in Oratione, aliaque peccata venialia, quæ fortè dum orat committit, ratione quorum debet ſe agnoſcere non ſolum indignum, qui exaudiatur, ſed qui permittatur aſſiſtere ante conſpectum tantæ Maieſtatis, quam dum pro præteritis placare eique ſatisfacere debet, nouis irritat imperpectionibus, & ad iracundiam prouocat; Sic ergo homo compungatur, humilietur, & vt omni diuino beneficio indignus infinitam benignitatem Dei roget, ne iuxta ſua merita, & indignitatem ſecum agat, ſed ſecundum immenſam pietatem, & dignationem, in quam ſperat, & confidit, quæ ſicut exceſſit malitiam ſuam, dum in cœno grauium peccatorum voluebatur, ſic nunc ſuperet indignitatem ſuam dum imperfectè orat, dicendo cum Eccleſia; *Preces meæ non ſunt dignæ, ſed tu bonus fac benigne*; Hic ſanè modus tractandi cum Deo in Oratione vtiliſſimus eſt, & aptiſſimus ad mouendam diuinam benignitatem, vt noſtris ſuccurrat neceſſitatibus.

Non ſic autem eſt intelligenda hæc doctrina, vt ſolum figatur oculus mentis, & noſtræ conſiderationis in noſtris defectibus, diſtractionibus, & imperfectionibus, ſed debemus ſecernere, & recognoſcere, quod eſt noſtrū, & quod eſt Dei, & ſuum cuique proprium tribuere. Noſtrum vt dictum eſt, ſunt diſtractiones, euagationes, culpæ. Deuotio autem, attentio, reuerentia, illuminationes, ſenſus, & affectus boni, ſunt Dei, & ſicut Dei ſunt, ſic currit obligatio recognitionis ab eodem, & ipſum laudandi, cum ex nobis, vt oportet orare neſciamus, & non ſimus ſufficientes aliquid

boni cogitare ex nobis, quaſi ex nobis. Equidem magni momenti eſt pro ſpirituali profectu, vt non ſolum ſentiamus à Deo eſſe gratiam, pro qua in Oratione inſtamus, ſed & humiliter fateamur, & agnoſcamus, ex ſpeciali gratia congruam Orationem, qua peteretur, & impetraretur fuiſſe conceſſam; ne fortè falsò ſuperbiamus ex noſtra diligentia, & peritia in orando deueniſſe impetrationes beneficiorum, eſſet enim maxima præſumptio, quæ ſicut redderet indignos, ſic & expoliaret obtentis. Ex nobis non habemus niſi malum, modus autem ſcitè orandi inter præcipua bona numeratur; Dei ergo eſt, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt; per conſequens ipſe laudandus, & ſolus vt auctor, ſiue donator glorificandus.

Quia tamen propter noſtras imperfectiones ſæpe accidit nos tempore Orationis inueniri admodũ diffuſos diſtractos, & mente vagos, nec poſſe cor ad Deum eleuare eique in Oratione vniri, vt tanto malo aliquod afferatur remedium, & ne tẽpus adeo prætioſum inutiliter conſumatur, optimum, & perutile conſilium eſt, quando mentaliter non poſſumus, vocaliter orare, ſed ſubmiſſa voce, ac ſi nobiſcũ loqueremur; qui ergo in tali diſtractione, & inhabilitate recollectionis internę reperitur, expleat voce omnes partes Orationis, meditationẽ gratiarum actionem, oblationẽ, & petitionem, exprimatq; verbis extern s internos ſenſus, veritates, & actus diuerſarum virtutum, prout opportunitas exigit ſic enim facilius ſe colliget, & attentius orabit, formando partes orationis in ſe, ac ſi legeret eas in aliquo libro; & ſic aſſueſcat facere, quod in ſe eſt, vt attentè oret, & vniatur cum Deo ſuo, interimque offerat quod poteſt Deo, qui eius bonam proſpiciens voluntatem, tandem donum conferet perfectæ Orationis. Commendat hunc modum ſe agendi tempore diſtractionum, & euagationum mentis, multorum experientia fœliciſſima, qui tali medio multum in hoc ſancto exercitio profecerunt, & Dei gratia tandem de ſe ipſis multiplices retulerunt coronas. Et hoc idem indicauit Chriſtus Dominus Dilectiſſimæ Sponſæ ſuæ Sanctæ Geltrudi; Cum enim aliquando Chriſtus Dominus alloquens Sponſam ſuam conquereretur de hominibus, qui negligerent adeo facile medium conſequendi ſuam æter-

nam

nam ſalutem, quale eſt ad ipſum cum fiducia recurrere; reſpondit ei S. Geltrudis, quomodo poſſunt homines habere fiduciam hanc, niſi tu illis des, cum ſit donum tuum fiduciam habere? Cui Chriſtus Dominus; ſaltem homines facerent, quod poſſunt verbis rogando, agendo, & tractãdo mecum ſuas neceſſitates, & ſalutem, ſi mente id nequeunt explere; quod reſponſum ad rem noſtram valde notandum eſt.

Tandem in fine Orationis debemus gratias agere Domino Deo noſtro pro audientia, quam exhibuit, & tolerantia, qua vſus eſt nobiſcum, veniamque poſtulare pro defectibus commiſſis. Vltimo antequam à loco Orationis diſcedamus debemus facere, & erumpere in expreſsiones amoris, gratitudinis, reuerentiæ, & humilitatis, & intenſiori affectu, quo poſſumus, ſicut mos eſt inter amicos dum ab inuicem ſeparantur; ſic enim anima multum accenditur erga Deum, ac faciliter poterit calorem in Oratione concæptum conſeruare, cui quidem omnis eſt adhibenda, & impendenda diligentia, vt verum præcipuumque fructum ex Oratione noſtra percipiamus.

IN ORATIONEM DOMINICALEM EXPOSITIO.

Q*VO affectu V. Pater Alexander Orationem Dominicam, ſic dictam, quia eam nos Dominus noſter Ieſus Chriſtus docuit, coluerit, dilexerit, & pro theſauro incomparabili, ac prætioſiſſimo habuerit, ſatis indicant, quæ in eius laudem idem V. Pater ſcripſit in ſuo Pauperum Manuale Theſauro* 22. *qui inſcribitur Memoriale Dominicum; Benè dictum, de Dilecto nunquam ſatis, ſic iſte deuotus Dei ſeruus in dilectiſſimam Orationem eloquentior, ac ex amore facundior, omnes ingenij ſui vires in ea commendanda exercet, & affectui, ac genio proprio ſeruiens totus eſt in eius præconijs*. O dulcis Dominica Oratio, *inter cætera exclamat*; Theſaurus mihi plenus, & indeficiens, primum mihi puero in labijs inſtillata,& poſtrema in ore ſenis futura: Vna tu mihi es pro omni ſcientia, & doctrina, pro omnium librorum bibliotheca. Vna tu mihi ſufficis in via,& pro pane ad veſcendum, & pro indumento ad cooperiendum; & pro auro ad diuitias, & pro omnibus delicijs ad voluptatem, & pro vnico, & præcipuo merito ad gloriam. Tu es portus, tu ſalus, tu vita, tu cæleſtis doctrinæ ſcola es, in qua Deus eſt totum, quod addiſcitur, via qua tenditur, totum per quod ad ſummam veritatis notitiam peruenitur. O dulciſſimum memoriale; tu Paradiſus deliciarum, ſanctarum mentium delectatio, & intimi guſtus inhæxauſta dulcedo. Tu negotiorum cœleſtium apotheca, in qua videlicet illarum mercium ſumma reconditur, quibus terræ viuentium poſſeſsio comparatur, fælix commercium,

mercium, vbi terrenis cæleſtia, humanis diuina iunguntur; fælix negotiatio, vbi pro lucro æterna vita proponitur, ad quam emendam quidquid requiritur etiamſi multum ſit ſolum ſufficit quod per te, & in te habetur. Aue ò Dominica Oratio, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu, inter omnes Orationes, & benedictus venter, qui te portauit, & benedicta vbera vnde fluxiſti, & benedictus Magiſter qui te nos docuit, Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Tu placas Deum, lætificas Angelos, redoles Sanctis, penetras Cælos, poſtulata reportas, terres Dæmones, aduerſarios ſuperas immutas homines, vires reparas, roboras mentem, cor illuminas, voluntatem inflammas, deuotionem paris, vnis animam Deo, deprecantem comples dulcedine, & te frequentantem delectabiliter facis ſemper cum Deo conuerſari. O Beatiſſima Oratio, virtutum nutrix vitiorum interemptrix, culpæ venia, peccatorum abolitio, interuentrix Mundi, ſalus hominum, charitatis mater, Iuſtitiæ regula, prudentiæ ſpeculum, ſanctitatis decus, ſcientiæ lumen, ſapientiæ cellarium; domeſtica Dei, fiducia animæ medicamentum puſillanimitatis, gaudium cordis, fida huius peregrinationis comes, mæſtorum conſolatio, impugnatorum impenetrabile ſcutum, ſecretorum Dei cognitio, humilitatis norma, clauis fidei, pignus æternæ Gloriæ, prælibatio futuræ fælicitatis, ſecuritatis fons, Angelorum imitatrix iuſtorum exultatio, pacis pelagus, Dæmonum fugatrix quieſcentium refugium, conſcientiæ ornamentum, additamentum gratiæ, Amoris incentiuum, Ianua Cæli, petitionum nuntia, auxiliatrix ſtrenua, mediatrix præcipua, & Cœleſtium Sacramentorum optima reſeratrix. In te nihil curuum, nihil ſordidum, nihil mancum, nihil reperitur obſcurum, ſed tota pulchra es & formoſa, tota perfecta, & ſpecioſa in delicijs tuis, & omnium donorum fæcunda, ſemper hilarem, ſemper iucundum, ſemper diuitem, ſemper magnanimum, & beatum exhibes tui amatorem. Nunquam explicat organum vocis, quod tu ſapis interiori guſtu, & cordis medulla. Illi te nouerunt, qui te diligunt, illi præconia tuæ laudis agnoſcunt, qui te frequentant, qui in te meditantur die, ac nocte, qui te in corde ſuo, & in ore ſuo deuotè ſemper cuſtodiunt, & in tui amoris amplexibus fæliciter re-

quieſcunt. Me etiam tuæ laudis imparem fateor, ſed vnum pro certo ſcio (ò memoriale benedictum) quod & indubitanter affirmo, quia quis quis in tui meditatione, & in tui aſsidua coram Deo præſentatione, & oblatione perſeuerabit, ipſe quidem te Deo offeret, ſed tu offeres ipſi Deum &c.

Hæc ex abundantia cordis loquutus eſt, & eructauit Ven. Pater in Orationis Dominicæ laudes, & quia amor ſubtiles, & ſpecioſiſſimas de amata re ingerit, & ſuggerit ſpeculationes, & arcana eiuſdem amanti pandit, ac reuelat, non immeritò in interiora ſuauiſſimi huius memorialis introductus Pater Alexander occulta Sapientiæ Dei agnouit, in cellam vinariam cæleſtis amoris admiſſus inebriatus eſt Charitate, vt inde egreſſus eius dulcedinem cęteris participaret. Hinc plurimum commendatam expoſitionem in Orationem Dominicam compoſuit, quam dum diligentiſſimè quæro, vt communi bono publicarem, inuenire non potui; Incidit ſolum in meas manus cuiuſdam Nouitij eiuſdem Ven. Patris, vt ſupra dixi in Tractatu de Oratione quoddam compendium, quo ſingulis diebus, ſummam exortationum ſui Magiſtri adnotabat; & quia pluribus hic exortationibus explicuit Orationem Dominicalem, ſic ſummariè eiuſdem ſenſus arcanos adnotatos habeo, quos colligere, & in tractatulum redigere operæ pratium duxi, ne ſaltem eiuſdem doctrina careamus.

CAPVT PRIMVM.

In Oratione Dominica tota ſcientia Orationis mentalis includitur, ſed pro his, qui eam deuotè recitant.

PLura agendo de Oratione Mentali, & de modo in ea procedendi eiuſque partibus dicta ſunt, vtilitati tamen omnium fidelium ſapientiſsimus Magiſter, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus conſulens in compendium, & ſummarium redegit, cum Eccleſiam ſuam docuit orare illa dulciſsima, ac planè arcana Oratione, quæ ex tanto auctore Dominicalis dicta eſt, ſcilicet *Pater noſter, qui es in Cælis, ſanctificetur nomen tuum; Adueniat Regnum tuũ, fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in Terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; & dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris; Et ne nos inducas in tentationẽ; ſed libera nos à malo. Amen.* Admiranda ſanè, & ſuo digna Magiſtro Oratio, in qua colligitur quidquid ad Dei gloriam, noſtramque abſolutiſſimam perfectionem deſiderari poterat, & adunantur omnia præcepta, & modi ſcitè orandi, vt qui eam vt par eſt didicerit, ſcientiam habeat vocis, & impetrandi cuncta optabilia à Deo; Licet autem adeo ſublimis ſit, tamen aſsiduitate vileſcit, & quia quotidie præ manibus habemus, paruì eam facimus, nec debita deuotione, & admiratione colimus. Vt ergo fructosè à nobis dicatur, non ore tenus, & ſolis labijs, ac præproperè & inconſideratè, ſed ſedatè, & cum profunda attentione eius verba, & petitiones pronuntiare, & recitare debemus. Quod vtique patet in primo eius verbo; *Pater noſter*, quo nihil dulcius, nihil amabilius, nihil iucundius, ſuauius, glorioſius excogitari poteſt; quo etenim magis aſcendere poterant deſideria noſtra, vota noſtra, noſtra ambitio, quàm habere Deum Omnipotentem, Cæli, Terræque Creatorem in noſtrum Patrẽ? Nihilominus niſi attentè conſideretur hæc ſumma digni-

tas parum vel nihil verbum adeo dulce nos monet, nec inducit, & promouet in nobis illam confidentiam, quam Deus requirit pro diſpoſitione ad impetranda poſtulata, & neceſſaria ad ſalutem; vt ſcilicet recurramus ad ipſum eadem fiducia, qua filius in ſuis neceſsitatibus ad Patrem pro opportuno auxilio recurrit; eo ipſo equidem, quod cogitamus nos Patrem adire, dilatatur noſtrum cor, accenduntur noua deſideria, concipitur noua ſpes obtinendi, & omnes exercentur conditiones pro congrua oratione neceſſariæ. Idem eſt de cæteris verbis, & petitionibus, ac proinde operæ prætium erit, & proficuus labor orationis Dominicæ Sacramenta aperire, & eius ſenſum exponere.

CAPVT II.

Explicatur primum verbum Pater, & de fiducia in Deum ex illo concipienda.

QVia præcipuum medium ad obtinenda diuina beneficia eſt fiducia in Deum, & ſpes firma impetrandi ab eius bonitate poſtulata, dignatus eſt Magiſter noſter Chriſtus hoc tanto bono, & inæſtimabili theſauro nos in primo verbo ſuæ orationis implere, quippe qui ſummè amans noſtri, ſummè etiam cupiebat nos in noſtris petitionibus exaudiri; nec efficacius hoc exequi poterat, quam in principio orationis exhibendo Deum, qui orari debet, in Patrem. *Pater*. Valeat argumentum à ſimili; imò à minori ad maius. Nullus titulus aptior in humanis ad ingerendam confidentiam recipiendi ab aliquo licet offenſo neceſſaria ad benè eſſe, quam conſiderando in eo rationem Paternitatis, quod ſcilicet dederit eſſe. Certus obtinendi bona deſiderata, & veniam delicti commiſsi accedit Pater ad Filium, quia Pater eſt, nec poteſt abijcere, & contemnere quem genuit; Licet iratus, placabitur, filio reconciliabitur, nec à ſuis bonis excludet. Nulla autem eſt comparabilitas inter Patrem Cæleſtem, & terrenum, ac per conſequens, ſi tantam vim habet ad generandam fiduciam in corde filij conſideratio Patris terreni, quam non debebit ingerere conſideratio Patris Cæleſtis?

Nec deſunt plures, & grauiſsimæ rationes, quæ euidenter oſtendant, hunc incomparabilem exceſſum Patris noſtri Cæleſtis, *Prima ratio*, quam S. Ioannes Chryſoſtomus expendit, quia filius in humanis ſæpiſsimè Patrem damnificat, vel in ſubſtantijs, & in diuitijs eas prodigendo, vel iniurijs, etiam in ſua met perſona male eam tractando; tanta eſt autem vis amoris Paterni, vt ſi filius incidat in periculum vitæ, vel aliquod grauiſsimum malum plus doleat Pater de tali malo filij, quam de damno ſibi ab eo illato, commoueturque ſuper eum ſua viſcera, vt ſi valeat a malo illo eripiat. Deo autem per peccatum nullum malum, vel nocumentum realiter inferimus, non enim ſubiacet noſtris exceſsibus, nec eius ſumma beatitudo poteſt in aliquo vel exiguo minorari, quanto ergo fiducialius pænitens peccator ad eum debet accedere, in eiuſque bonitate confidere, quod parcet filio, à quo in nullo damnificatus eſt? Videtur hæc ratio efficaciſſima, & aptiſſima ad confirmandum cor noſtrum in fiducia bonitatis Patris noſtri Cæleſtis. *Secunda ratio* quia totius fundamentum fiduciæ in Filio erga Patrem, eſt generatio, qua eſſe à Patre accepit, & hanc conſiderans iure optimo ſibi omnia à Patre filius promittit. At hæc ratio incompatabiliter magis valet ad concipiendam fiduciam in Patre Cæleſti; primò quia Deus ſolus creauit animam filij, quæ eſt nobilior, excellentior, ac potior pars illius; Secundo quia adhuc reſpectu effectus qui generationi Patris terreni correſpondet, primas partes ſibi vendicat Deus, ſiquidem illa eſt cauſa ſecunda, & particularis, ac minus principalis, at hic eſt vniuerſalis, prima, & principalis, in cuius virtute etiã agit Pater humanus, ac proinde maior fiducia cõcipienda eſt de Deo, à quo eſt totum, quod ſumus, quam de Patre terreno. *Tertia ratio*, quia Pater terrenus ſemel tantum concurrit ad generationem filij, quando ſcilicet prima vice ſuum ei communicauit eſſe; non ſic Pater Cæleſtis, ſed ſicut continuò nos conſeruat, ita & producit, cum conſeruatio ſit continuata productio, ac proinde ſi accepiſſe ſemel à Patre terreno eſſe tantam nobis erga ipſum ingerit confidentiam, multo maiorem debet ingerere toties, & ſemper idem eſſe à Patre Cæleſti recipere. *Quarta ratio*, quia amor Matris tenerior, & viuacior ſolet eſſe erga filium, quam Patris, magis

enim

enim pro eo laborauit, tum quia per nouem menſes plurimis incommodis eum ſuo vtero geſtauit, cum ſummo dolore peperit, tum quia proprio lacte nutriuit; Licet ergo Patris officium erga nos Deus exerceat, ad ſui tamen amoris energiam explicandam affectum ſuum Matris comparat dilectioni, imò eam excedere demonſtrat dicens: *Nunquid poteſt Mater obliuiſci infantis vteri ſui? etſi illa oblita fuerit, ego autem non obliuiſcar tui*. Nec immeritò; fuimus enim filij doloris eius, ac maximis laboribus, doloribus, ſanguine, vitaque ſua, vitam nobis comparauit, & proprijs carnibus paſcit, ac ſuauiſſimo ſanguine inebriat, quod ſanè de nulla matre legitur, imò oppoſitum, cum multæ ad effugiendam mortem ſibi ex filiorum carnibus alimenta pararint; ex quo nemo eſt, qui non videat quanto maiorē fiduciam teneamur habere in Deo Patre noſtro, quam in Patre, vel in matre terrena. *Quinta ratio* quia Pater terrenus inuoluntariè genuit filium, id eſt non præuidens, nec ſciens quis, vel qualis futurus eſſet, & ideo dum ab eo contemnitur, vel eum perditam conſpicit viuere vitā in perniciem domus, & dedecus familiæ, pænitet, & dolet eum genuiſſe, & ſi tot mala prænoſſet, prælegiſſet eo carere, ſtirpemque areſcere; At Pater noſter Cæleſtis præuidit ingratitudinem noſtram vidit mala, quæ facturi ſumus, & quomodo eius donis in viam iniuriam armabimur, & tamen licet ſic malos, & peſſimos præuiſos voluntariè genuit nos verbo veritatis, nec noſtra ſcelera impedimento fuerunt, quo minus plurimis beneficijs flueret in nos fons ſuæ benignifſimæ bonitatis; quæ ratio benè expenſa, ſicut apertiſſimè oſtendit multitudinem diuinæ Pietatis, ſic efficaciſſima eſt ad generandam in nobis intenſiſſimam confidentiā erga eandem. *Sexta ratio* quia ſi Pater terrenus habens filium malum, poteſtatem haberet eum ad meliorem frugem reducendi, nullum dubium eſſe poteſt, quin ſtatim faceret, eo magis ſi id filius peteret, & apud eum inſtaret pro mutatione ſuę vitæ, & pro impetratione bonitatis. Quis ergo vnquam poterit vel leuiter hæſitare, cum in manu Patris noſtri Cæleſtis ſit cor noſtrum, & noſtra voluntas non obtenturos ab ipſo ſalutem animæ, emendationem vitæ, ſi ab eo ipsā petimus? *Si vos cum ſitis mali* inquit Magiſter noſter, & veritas Chriſtus, *noſtis bona data dare filijs*

veſtris

veſtris, quanto magis Pater veſter Cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?

Sic ergo duritia, ingratitudo, & mala diſpoſitio cordis noſtri ſola eſſe poteſt in cauſa, ſi minorem fiduciam habeamus ad Dominum Deum noſtrum; ipſe dulciſſimo hoc nomine *Patris* inuitat, & allicit nos, vt miſereatur noſtri, *Omnis enim, qui petit accipit*; *Omnis* non ſolum Iuſtus, ideſt filius obediens, & Patri per omnia placens, ſed etiam iniuſtus, ideſt filius inobediens, qui Patris diſciplinam non patitur. Licet ergo peccatores accedamus, tamen cũ ille pluat ſuper iuſtos, & iniuſtos, & Solem ſuum oriri faciat ſuper bonos, & malos, debemus petere illum Solem, & pluuiam, quam ſuper peccatores ſpargit, quales nos ſumus, nec diffidere, licet multiplicibus delictis, & peccatis nos eſſe obnoxios ſentiamus, pręſtabilis enim eſt ſuper malitia Pater noſter Cœleſtis.

Et hanc eius benigniſſimam voluntatem in filios malos ſatis nobis declarat caſus Adæ. Hic in ſummo honore a Deo conditus, totius Orbis Princeps conſtitutus, non minus naturalibus donis, quam diuinis ditatus muneribus, ingratiſſimus contra adeo inſignem Benefactorem ſurrexit, excuſſit è collo ſuo leuiſſimum iugum præcepti de non edendo de ligno ſcientiæ boni, & mali, & pro nihilo habuit Deum ſuum contemnere; Nec hic peruerſitas ipſius terminatur; Non enim poſt commiſſum delictum ſtatim doluit, ſed in iniqua voluntate perſeuerans, ſicut nec culpam ſuam agnoſcebat, ſic nec ſollicitus erat veniam petiturus ad Deum pænitens redire. Quid è contra Deus? Licet offenſus, prior ad Adam venit, non ſicut merita huius exigebant in æternum perditurus, non ſpirans iras, & furorem, non conterens montes ante faciem ſuam, ſed ineffabili benignitate, & manſuetudine eum quærit, & vocat, & vocando ad reſipiſcendum inuitat, nec tam puniturus, quam emendaturus, ac grauitatem peccati eius animo ingeſſurus maledicit terræ in opere ſuo dicens, *Spinas, & tribulos germinabit tibi*. Non tamen reſipiſcit Adam, delictum ſuum non agnoſcit, non veniam poſtulat, imò addens peccatum peccato, quaſi reum propriæ iniquitatis inſimulat Deum, in ipſumque refundit patratum ſcelus, dicens, *Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi,*

Digitized by Google

Quaſi ipſe Creator præſtiterit occaſionem delinquendi, & per conſequẽs fuerit delicti cauſa,& auctor.Quis niſi factũ crederet? Non indignatur tamen, nec exuit beneuolentiam ſuam Deus, ſed maiora tunc ei cogitat, ac promittit conferre beneficia, ſiquidem loco vindictæ parat remedium proprijs manibus elaborans tunicas pelliceas eius cooperit nuditatem, & maledixit ſerpenti dicens, *Ipſa conteret caput tuum* alludens ad Beatiſſimam Virginem; quaſi conſolaretur Adam, & Euam vt fiduciam haberent, nec deſperarent, cum ad illud peccatum delendum venturus eſſet in mortali carne ipſe Deus. Vnde tanta benignitas, patientia manſuetudo, & dilectio Dei erga Adam peccatorem? Non aliunde certè, niſi quia Deus Pater erat, & paternum exhibebat affectum. Sed quid in Adam immoramur? Quiſque ad ſe ipſum oculos mentis conuertat, quoties Deum grauiſſimè offendit, ac in ſuum Creatorem iniurius Diuinam Maieſtatem contempſit? Si iuxta propria merita retribuendum fuiſſet nobis, vtique conſumpti perijſſemus; & tamen Deus tot tantaque contulit ingratis beneficia. Cur hoc? Quia Pater eſt.

CAPVT III.

Explicatur ſecundum Verbum Noſter, *& de fiducia quam ingerit.*

SI nomen Patris ineffabili nos replenit fiducia, & amore, non minoris eſt efficaciæ, quod ſequitur *noſter*, additque calcaria, quibus noſtræ excitentur voluntates, vt ad eum curramus, eumque ſuper omnia diligamus. Triplici autem ratione noſter dicitur Deus, & quælibet flammea eſt ad incendenda corda noſtra diuinæ charitatis igne. *Prima ratio* quare Deus dicatur noſter, eſt donatio, quam de ſe ipſo fecit nobis; non enim ſatis fuit eius amori, vt eſſet noſter Pater generatione, ſiue creatione communicando nobis eſſe, ſed voluit eſſe noſter ſpecialiſſimo hoc titulo, quia ſe nobis liberaliter dedit, & donauit.

Digitized by Google

uit. Sicut ſi aliquis Pater humanus ex nimia dilectione erga ſuum filium, non ſolum ei cederet facultates, & bona omnia, quibus frueretur, ſed ſe ipſum traderet filio poſſidendum; vtique hic filius poſſet illi dicere tu es meus,non ſolum generatione, quatenus eſſe quod habeo, à te recepi, & tua in me eſt ſubſtantia, ſed etiam ex donatione facta, & ideo ſpeciali quodam iure, & maiori confidentia poſſet ad Patrem recurrere tanquam ad Perſonam ſpecialius ſuam, ac proinde magis ei obſtrinctam, & debitricem, vt ſubueniret in neceſsitatibus, vt iuſtæ ſatisfaceret voluntati. Simili modo nobiſcum egit Deus noſter, & qui Pater erat dando eſſe quo viuimus, voluit eſſe noſter ex dono ſui ipſius, donando enim Vnigenitum ſuum, & ſe ipſum donauit, cũ Chriſtus dicat, *Ego, & Pater vnum ſumus*. *Secunda ratio* quare dicatur noſter eſt ex vnione fraternitatis, quam cum Chriſto Domino eius filio naturali dicimus. Hæc autem fraternitatis vnio tanta eſt, vt noſtræ neceſsitates reputentur ipſius Chriſti Domini, qui non ſolum dignatus eſt appellare Apoſtolos, & Diſcipulos fratres ſuos, ſed etiam inquit, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, & in iudicio vniuerſali dicturus eſt Electis, venite Benedicti Patris mei, percipite regnum, quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. ſic indigens in noſtris neceſsitatibus, & miſerijs. Hinc autem quis non videt quo amore valeamus, & debeamus ad Deum recurrere, & qua fiducia auxilia deſiderata õbtinendi repræſentare illi noſtras calamitates, & indigentias, quibus frater noſter Ieſus Chriſtus verus Deus de Deo vero communicat? Dicitur ergo Pater noſter, quia eſt communis & Chriſti Domini, & noſtri. *Tertia ratio*, quare dicatur noſter, eſt ex communione omnium fidelium tam in Cælis, quam in terris degentium; eſt enim omnium Pater,& dicendo noſter, & non meus augetur indicibiliter ſpes, quod petitiones noſtræ exaudientur, cum omnes ſimul dicimus, & oramus, Pater noſter; Licet etenim loco ſeparati viuamus, tamen in Deo omniũ, cum oramus, orationes vniuntur, vnde ſi Oratio mea fuerit minus Deo accepta, acceptabilior reddetur ex oratione tot Sanctorum, qui ſimul mecum orant, & dicunt Pater noſter &c. Quod certè ſi benè perpenderetur magnam ingereret in Oratione lætitiã, & confidentiam,cum videamus

orationes noſtras iuuari, & ſociari orationibus omnium Sanctorum, quibus communicamus.

CAPVT IV.

Promouetur magis fiducia ex Verbis ſequentibus Qui es in Coelis.

SEquitur *qui es in Cœlis*, & oſtenditur locus, in quo Pater noſter debet conueniri, vt ab eo petamus, & præteritorum indulgentiam, & ad noſtram ſalutem neceſſaria, & ex huius loci deſignatione corroboratur plurimum noſtra ſpes, & certitudo poſtulata impetrandi. Deus certè per ſuam immenſitatem vbique eſt, imò per intimum illapſum non ſolum non abeſt ab vnoquoque noſtrum, ſed intimè adeſt, & vt ita dicam vnitur; quæ ergo neceſsitas aſcendendi in Cælum, vt Patrem hunc inuocaremus, qui ſic nobis eſt proximus? Licet tamen Deus vbique ſit, non ideo vbique eadem operatur, nec æqualiter diuina eius attributa oſtenduntur; Sic dicitur ſpecialiter eſſe in Cœlo, quia inibi explicatur eius Gloria, bonitas, & pietas, & quia in Cælo ſingulariter effundit flumina ſuæ benignitatis, cum homines, & Angelos in eo aſſumat ad conſortium propriæ fęlicitatis, reddatque ab omni malo immunes, & in æternum beatos. Sicut ergo in terris dantur apud nos quędam loca, quæ vel ob eorum ſanctitatem, vt ſunt Eccleſiæ Deo dicatæ, vel ob maieſtatem, & reuerentiã Perſonæ incolentis, vt ſunt Principum palatia, quæ confugientibus reis immunitatem concedunt, ita vt in eis non poſsint à miniſtris Iuſtitiæ capi, vel puniri, quia ſiquidẽ non rigori iuſtitiæ, ſed benignitati miſericordiæ apta noſcuntur; Sic Deus noſter ſuam habet domum, & palatium, in quo cum amicis ſuis fœliciter viuit, & epulatur, & ſunt Cæli, in quibus non iuſtitia, ſed miſericordia exercetur, ac ſicut ab eis exulat dolor, et gemitus, ſic & rigor, & punitio. Ita ergo Pater noſter conuenitur in Cælis, in loco, vbi regnat Pietas, vbi ſola dominatur benignitas, imperat miſericordia; vnde licet

rei,

Digitized by Google

rei, et multarum culparum conſcij, adhuc tamen fiducialiter accedere poſſumus, & obtenturos ſperare, quæcunq; iuſta, et ſaluti æternæ congruentia petierimus; ſiquidem omne donum de ſurſum eſt, vbi non iuſtitia, ſed miſericordia principatur, ſic omnis, qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.

CAPVT V.

Explicatur prima Petitio Sanctificetur Nomen tuum.

ET hæc verba, quæ primam petitionem continent plena ſunt fiduciæ, & ſpei, noſque perfectiſsimam artẽ orandi edocent, vt quaſi non poſsit non concedere Deus, quæ noſtro bono congrua petierimus. Sapientiſsimus noſter Magiſter inſtruit nos quomodo in ipſo principio Patris noſtri Cæleſtis captemus beneuolentiam, ſeu dicamus quibus armis cor eius vulneremus, vel quaſi incantationibus captiuemus vt poſtulata nequeat denegare, nouit enim Dei conditionem, qui vtpote ſummè bonus, omnia propter ſe operatur, ac proinde nihil magis zelat, quam ſui nominis gloriam; ad hanc Creaturas condidit, hanc vt tributum debitum exigit, & de hac proteſtatur, *honorem meum nemini dabo*; Igitur Chriſtus Dominus monet nos vt ante omnia pro hac diuini nominis gloria apud Deum ſupplicemus, & inſtemus; & ita noſtra intentio in ſubſequentibus petitionibus, quæ noſtram vtilitatem concernere videntur, purificetur ſcilicet *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; dimitte nobis debita noſtra; & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*; Præmiſſa enim petitione de glorificatione, & ſanctificatione nominis Dei cæteræ ad hanc & propter hanc diriguntur, quatenus non niſi propter gloriam ſui nominis bona nobis vtilia, nec deſiderare, nec petere velimus; Ex quo videtur, quod rogando Deum, vt propter honorem ſui nominis quem adeo zelat, aliquid concedat, inducatur ipſi quædam neceſsi-

tas

Digitized by Google

-tas concedendi, de quo ſupplicatur. Itaque hoc eſt primum præceptum nobis in orãdo à Christo Domino traditum, vt in noſtris orationibus intentionem purificemus, & finis primarius petendi ſit, vt ſanctificetur nomen Dei in nobis, & in omnibus, ideſt vt magnificetur, & exaltetur nomen illius.

Additur vis pro concipienda fiducia in Deum, ſi conſideremus quod petimus, *Sanctificetur nomen tuum*. Nec dubium, quin Deus ſit infinitè Sanctus, vnde Angeli ei inceſſabiliter in Cælo canunt *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & ipſe præcepit nobis, vt ſimus Sancti, ſicut ipſe Sanctus eſt. Sanctitas autem conſiſtit, vt non ſolum benefiat amicis, & dignis, ſed etiam inimicis, & indignis, nec ſolum tribuat vnicuique quod ſuum eſt, ſcilicet, quòd ei ex mera iuſtitia debetur, nam & homines communiter hoc faciunt, ſed etiam vt ſuperabundanter tribuat; vnde ille vir ſanctior, & perfectior exiſtimatur, qui plura ſuperogationis opera expleuerit. At in infinitum diuina ſanctitas noſtram licet maximam excellit, ac in infinitum magis propendit vt benefaciat etiam indignis, merita ſiquidem ſupplicum excedit, & vota in abundantia pietatis ſuæ Deus noſter, vt liberaliter dimittat, quæ conſcientia metuit, & adijciat, quod oratio non præſumit. Igitur magna cum fiducia habendi omnia quibus indigemus, poſſumus ad eum accedere dicendo, cum ſit infinitè Sanctus, vt ſuum nomen ſanctificetur, quod vtique maximè in ſalute peccatoris, in benefaciendo indignis ſanctificatur, manifeſtatur, & amatur.

Rurſus notandum eſt, quod Nomen Dei ſanctificatur, cum à Creatura intellectuali cognoſcitur, & amatur, ac proinde cum petimus nomen Dei ſanctificari, petimus in nobis glorificari per amorem tam noſtrum, quam omnium aliarum Creaturarum; At tota noſtra ſalus in cognitione, & amore Dei ſita eſt, ac per conſequens connectitur ſtrictiſsimo nexu cum Dei gloria, & ſanctificatione, ita dum pro hac ſupplicamus pro illa humiliter inſtamus; Ideo autem primariò, & directè fiunt petitiones, quæ immediatè concernunt gloriam Dei, non quæ explicitè præſeferunt noſtram vtilitatem, quia Deus in ſe ipſo, & eiuſdem gloria eſt finis ad quem noſtra ſalus ordinatur. Nec quocumque modo oramus vt ſanctificetur nomen Dei, hoc eſt

à nobis

à nobis cognoſcatur, & ametur ſed perfectiſsimo modo, qui ſit poſsibilis, & quomodo eum Beati cognoſcunt, & diligunt in Patria, vnde iuxta ſenſum S. Ioannis Chryſoſtomi, particula illa appoſita tertiæ petitioni Sicut in Cœlo, & in terra debet ſubintelligi, & in prima, & in ſecunda petitione, vt ſcilicet ſanctificetur nomen Dei, & adueniat Regnum Dei ſicut in Cælo, & in terra, & ſic etiam eiuſdem fiat voluntas.

Tandem non caret myſterio, quare potius Chriſtus Dominus pro glorificatione Cœleſtis Patris, ac per conſequens animarum noſtrarum profectu fecerit mentionem ſanctitatis, quam alterius perfectionis Dei propriæ. Non deerant plurima diuina attributa, quæ magnitudinē Creatoris indicarent, vt Immenſitas, omnipotentia, ſapientia, &c. ea tamen tacet, ſola producitur in medium ſanctitas, qua Deus à nobis glorificetur; Ratio in promptu eſt, quia gloria Dei, vt diximus in ſalute noſtra conſiſtit, quam vtiq; Deus imitando conſequimur; Deum autem imitari in ſanctitate, & bonitate non in Omnipotentia &c. decebat; ideo quo magis quis per bona opera Deum imitatur, eo magis Deum laudat, & glorificat, cum omnis ſanctitas creata ſit quædam participatio, & deriuatio ſanctitatis increatæ Dei; Hinc eſt quod Beatiſsima Virgo Maria ſingulariter ſuper omnes puras Creaturas, iure potuit ob ſuam excellentiſsimam ſanctitatem, & ineffabilem puritatem canere, & dicere, *Magnificat anima mea Dominum*, ſcilicet per ſanctitatem animæ meæ cognoſcitur, exaltatur, magnificatur, & ſanctificatur Deus meus. Hinc eſt etiam quod ſilentio præteritis cæteris diuinis perfectionibus ſingulariter & vnicè de ſanctitate Deo Seraphim plaudunt dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & ipſemet potius quam in alio nomine in hoc laudari vult, vt eius Spiritu edocta canit Eccleſia, *Benedictus Deus in donis ſuis, & Sanctus in operibus ſuis*, vt videlicet ſic magis inflammemur ad imitandam, & exprimendam in nobis eius ſanctitatem, & adimpleamus quod Chriſtus Dominus mandauit nobis, dicens, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* Quantam autem dilectionem erga Deum Patrem adeo bonum, nobiſque beneficum, concipere debeamus, dum videmus

adeo

adeo ſtrictu nexu colligaſſe gloriam ſuam, & ſalutem noſtram, vt hanc eodem zelo, quo illam zelet, nec exaltetur, & glorificetur niſi in noſtra exaltatione, glorificatione, & ſanctitate, quis eſt tam cæcus, qui non cernat, tam durus corde, qui non ſentiat? O ineffabilis beneuolentia, eoque dignisſima, cuius per omnium virtutum exercitia, & ſuper omnia per Charitatem ardentiſsimam, à nobis quæratur honor, & gloria, & vt eam magis laudare, glorificare, & exaltare valeamus, magis etiam ac magis ſtudeamus nos ipſos ſanctificare, vt ſic ſicut decet nomen Dei ſanctificetur.

CAPVT VI.

Explicatur ſecunda Petitio Adueniat Regnum tuum.

ET in hac ſecunda Petitione Deo rem ſibi gratiſſimam poſtulamus ſiquidem regnandi omnibus ineſt auiditas, imo talis apud homines, vt non defuerit, qui diceret, *Si violandum eſt ius, regnandi gratia, violandum eſt; cæteris rebus pietatem colas*. Si autem hominibus, qui natura ſerui naſcuntur adeo placet Regnum; cui ex natura regnare conuenit, & eſſentialiter Rex eſt, omniumque ſæculorum, an in Regno proprio dominari non erit acceptiſsimum? Ita & eius orando beneuolentiam captamus, & fiduciam ſemper maiorem concipimus obtinendi, quæ petimus, non enim poterit negare, quod ipſe ardentiſſimè cupit, vt fiat. Petimus ergo vt veniat regnum ſuum, hoc eſt, vt ipſe ſicut eſt Dominus noſtri ſic ſuper nos regnet, ſuamque exerceat iuriſdictionem, & dominium, nec quocunque modo, ſed perfectiſſimo ſcilicet vt ſuperius ex Chryſoſtomo notatum eſt, ſicut in Cœlo, & in terra.

Vt autem perfectio Regni Dei, pro qua in ſecunda hac petitione poſtulamus perfectius innoteſcat, ſciendum eſt, quod tripliciter Deus regnat ſuper ſuas Creaturas, ſcilicet per

per naturam, per gratiam, & per Gloriam. Primum Regnum eſt commune omnibus Creaturis tam animatis, quam inanimatis, intellectiuis, & non intellectiuis, ſuper omnes enim vtpote ſolus conditor abſolutiſſima poteſtate principatur Deus, & in eis, ac de eis poteſt diſponere quomodocumque ſuæ voluntati placuerit, & nemo dicere ei poteſt, cur ita facis? Secundum Regnum extenditur ſolum ſuper Creaturas intellectuales, in quibus eſt tanquam obiectum cognitum & amatum, eaſque per gratiam ſuam ſpeciali modo inhabitat, dirigit, regit, ac gubernatur; verũ licet eis dominetur abſoluto dominio, & per propriam earum voluntatem ſibi tradito, non tamen eſt vndequaque perfectum, ſiquidem & Iuſti ſæpius labuntur, & ſaltem leuiter peccant, ac diuina transgrediuntur mandata, vnde aliquam in eis partem ſibi nititur licet imperfectè, & ſecundum quid habere vel Dœmon, vel Mundus, vel Amor, proprius. Tertium Regnum per Gloriam, in quo in Cœlis ſuper Beatos principatur, perfectiſſimum, & totale eſt, ſolus enim regnat Deus in anima, in potentiis, in operibus Sanctorum, qui fæliciſſimè propria infirmitate exuti induerunt gloriam, & Maieſtatem Dei ſui, ipſique ſimillimi redditi ſunt, videntes eum non per ſpeciem, & in enygmate, ſed facie ad faciem ſicuti eſt in ſe ipſo. Huic perfectiſſimo regno ſuſpiramus, ad hoc diriguntur vota, & deſideria noſtra, hoc enixè poſtulamus, vt excluſo à nobis quolibet alio Dominante, ſolus in nobis imperet Deus, nec noſtra membra, ſenſus, potentiæ, facultates, Spiritus, Vita, Anima alterius legi parere nouerint niſi Dei, quod vtique Eccleſia Sancta quotidie in Officio Diuino ad primam nos expreſsè petere docet, monet, & præcipit dum in vltima Oratione ſic Deum præcatur, *Dirigere, & ſanctificare, regere, & gubernare dignare Domine Deus Rex Cæli, & Terræ hodie corda, & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, vt hic, & in æternum te auxiliante ſalui, & liberi eſſe mereamur Saluator Mundi &c.*

Non tamen, quia ſic ſuper nos petimus aduenire Regnum Dei, vt nihil in nobis ſit, cui non perfectiſſimè dominetur, obliniſcimur noſtræ vtilitatis, & profectus. Infinita Chriſti Magiſtri, ac admirabilis Sapientia vtrunque vnica peti-

tione complexa eſt, dum etenim pro perfecto Regno Dei inſtamus, vtique implicitè, & ſecreto pro noſtra ſalute ſupplicamus, quæ non niſi in prædicto Regno inuenitur. Quouſque Deus totaliter non regnat in nobis, nunquam in nobis ipſis pace fruimur, ſed inter inquietudines, & turbationes miſeram viuimus vitam; imo hæc eſt præcipua miſeria, qua in hoc exilio laboramus, quod cum Dœmon, Mundus, & Caro conentur ſemper habere aliquam partem ſuper nos, continuo inquietent nos bellis, varijſque paſſionibus, & deſiderijs exagitent, vt non immerito cor impij quaſi mare feruens, quod nunquam quieſcit, prædicauerit Propheta; ſtatim autem vt cor humanum perfectè ſubditur Deo, fit in eo tranquillitas magna, ſedantur tempeſtates, quieſcunt fluctus, ridet ſerenitas, & vndique floret Pax & gaudium; Sicut ergo antiqui Patres vnicè deſiderabant aduentum Filij Dei, & omnes eorum Orationes pro eodem inſtabant vt iure Chriſtus dici poſſet *Deſideratus cunctis Gentibus* ſic præſentes Iuſti toti ſunt, vt obtineant, & veniat ſuper eos Regnum eiuſdem Filij Dei, in quo vt diximus mirabili nexu Diuina Sapientia, & ſuam Gloriam, & noſtrum vltimum finem adeoque perfectam fælicitatem, & ſalutem copulauit.

CA-

CAPVT VII.

Explicatur Tertia Petitio Fiat Voluntas tua ſicut in Cœlo, & in Terra.

DVabus petitionibus ſuperioribus diuini Nominis gloriam, Regnique extenſionem poſtulauimus; ſed quia ſapientiſſimus, & benigniſſimus Conditor gloriam ſuam cum noſtra vtilitate ſociauit, nec vult ab inuicem ſeparari, docet nos in tertia petitione orare pro medijs neceſſarijs ad ſalutem conſequendam, quæ in Regno Dei, & in glorificatione, ac ſanctificatione nominis eiuſdem ſplendet, & emicat. Hæc autem media vnicè neceſſaria, ſunt adimpletio præceptorum, & diuinæ voluntatis exequutio vnde petimus ***Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in Terra***. Sanè non mediocrem, imò immenſam lætitiam, & conſolationem apta eſt noſtris cordibus hæc tertia petitio ingerere, qua Deus voluit nos ab eo requirere, vt dignetur operari in nobis perfectiſsimam conformitatem cum ſua voluntate; ſi enim impoſsibile eſt ſalutem æternam conſequi ſine perfecta obſeruantia mandatorum Dei, ſine adimpletione diuinæ voluntatis; quæ non niſi a Deo haberi poteſt, & ex alia parte ipſe met nos inſtruat, & hortetur vt eam petamus; quis igitur hæſitare poterit non accepturum? Vtique ſi negare vellet, non exigeret ſupplicari. Dum itaque imperat vt poſtulemus, dabit;& nos fiducialiter ei dicamus, ***Fiat voluntas tua*** ideſt peto Domine vt me facias adimplere voluntatem tuam, ſeruare mandata tua, tuiſque obſequi præceptis, quo vnico medio nomen tuum ſanctificabo, aduenîet in me Regnum tuum, & ſalutem meam conſequar.

Hinc euidenter apparet eo maiorem in nos beneuolentiã Deum oſtendere, & maiora conferre beneficia, ac proinde nos eidem ſtrictiori iure ac debito obſtrictos, quo ad altiorem perfectionem nos miſericorditer vocat. Nam vt humilis licet, generoſus tamen loquebatur Auguſtinus, ***Da Domine quod iubes, & iube quod vis***, nemo poteſt, nec

debet de ſua infirmitate diffidere, quamuis maximum ſit, arduum, & ſublime, quod præcipitur, ſi vna cum præcepto ad eius impletionem dantur efficaciſſimæ vires ab Omnipotente. Deus autem promiſit ſe omnia petentibus ad ſalutem neceſſaria daturum, præcipit vt petamus ſuæ in nobis voluntatis exequutionē, ſi ergo eius voluntas maiora à nobis requirit, maiora dabit, quibus, & ad meliora patranda firmabi mur, & abundantius cœleſtibus donis, ac auxilijs ditabimur, quo ſanctiores euadamus. Sic ergo quiſque animetur ad grandia, certus, quod quamlibet perfectionē, quam Deus à nobis requirat, debet ipſe præſtare; quid puſillanimis hæres? Terret ſublimitas ſanctitatis, cui ex ſtatu quem ſemel elegiſti, adſtringeris? An non audis Deum dicentem, pete vt faciam te facere voluntatem meam, vt gratiam conferam, qua diuinis pareas præceptis, auxilia validiſſima, & vires efficaciſſimas præſtem, quibus Euāgelica exequaris conſilia? Quid plura deſideras? Pete, & accipies, perfectionem, quam Deus requirit, ipſe præſtabit, & cum Deum adiutorem habeas, implere animo, hæroica concipe propoſita, & altiſſimum ſanctitatis gradum præfigas aſcendere.

Si autem omnes decet ex diuino adiutorio ad magna aſpirare, maximè decet Carmelitas Excalceatos Seraphicæ Virginis Tereſiæ filios vt tantam Matrem imitentur. Hæc humanæ infirmitatis oblita Spiritu Sancto plena ſatis arduum votum emiſit efficiendi ſemper quidquid vel conformius diuinæ voluntati, vel perfectius eſſe, & in maiorem Dei gloriam redundare intelligeret. Vt autem tam ſublimis voti perfectius adimpletionem, & ſine ſcrupulis aſſequeretur, aliud emiſit nō minus difficile, dependēdi ſcilicet ſemper in omnibus ſuis actionibus à ſuorum ſuperiorum voluntate; vt ſine hac nihil vnquam efficeret, adeoq; per eā ſibi notum fieret, quid diuinæ voluntati cōformius, & diuinæ gloriæ aptius foret. Et vt certius in hac re adeo graui Prælati procederent, Deuſque dignaretur illis copioſius ad Tereſiam dirigendam lumen communicare, tertium votum vouit, manifeſtandi videlicet ipſis Prælatis maiori claritate, qua poſſet, ſui cordis intima conſilia, & ſenſus; Hanc quam glorioſiſſima Virgo Tereſia excelſiſſimam perfectionem quærendi in omnibus maiorem Dei gloriam, voto iurauit,

uiꝗ conuenit ſanè Diſcalceatos ſaltem firmo propoſito ſtatuere, & ad eam aſſequendam eiſdem medijs vti, hoc eſt deliberato animo proponere nihil ſine obedientia operari, ab eaque pendere, vt nobis pateat, quid gloriæ Dei magis conducat, ac tandem determinare omni ſinceritate, veritate, & claritate eidem interiora ſua aperire. Nemo verbis valet explicare quam ſit proficuum pro vita ſpirituali, & ſpirituali profectu huiuſmodi monimentum, pro quo poteſt legi caput primum, & decimum libri fundationum S. Matris Tereſiæ, in quibus hæc doctrina traditur, quam ne degeneres filij reputemur, nobis ediſcere Carmelitis Diſcalceatis, & opere exercere incumbit.

CAPVT VIII.

Explicatur modus quo debeat fieri Diuina Voluntas.

QVia pondus, & meritum bonorum operum potius metiendum ex modo, quã ex ſubſtantia rei, nec nos tam ſaluent verba, quã aduerbia, ideſt non tam exequi, ſed benè exequi pia exercitia, non vtcumq; à Deo petimus vt in nobis eius fiat, & adimpleatur voluntas, ſed addimus modum, & perfectiſsimum *Sicut in Cælo, & in Terra*; Hęc autem perfectio poteſt ſpecialiter in tribus conſiſtere; *Primo* in Cælo diuina Charitas cum ſumma ſit, & totaliter dominetur, foras expellit ſeruilem timorem, vnde ex ſincero affectu, & amore filiali omnia à Beatis peraguntur; idem in nobis petimus compleri, vt diuinæ voluntati obtemperemus ex ſolo motiuo dilectionis, nec ad eam ſequendam moueamur vt ſerui timore pænæ, ſed vt filij ex affectu erga Patrem Cœleſtem, & amore virtutis. *Secundo* in Cælo in exequutione diuinæ voluntatis mirabilis ſplendet Ordo, ſiquidem vt docent Eccleſiæ Patres, Angeli, ad quorum conſortium homines admittuntur in plures Hierarchias diuiduntur, ineſtque inter eos debita, & ſapientiſſima ſubordinatio, ita vt ſuperiores purgent, & illuminent

Digitized by Google

lumineut inferiores; Sic pulcherrima politiâ dum Deus vel ſuam voluntatem manifeſtare, vel aliquod vult in Eccleſiam triumphantem vel militantem bonum effundere, prius notificat, & communicat Seraphim, qui ſunt ſupremi Principes Cęleſtis exercitus, per Seraphim deriuatur diuina influentia ad Cherubim, qui illis immediatè ſuccedunt, per hos ad Thronos, & ſic vſque ad Angelos infimi Chori, & per hos, qui humanæ cuſtodiæ deputantur, ad homines. Igitur eodem modo ſcilicet cum dependentia ad noſtros ſuperiores debet à nobis impleri diuina voluntas, vt nulla ſit noſtra actio, vel opus, quod à regula obedientiæ non dirigatur; Sic Eccleſia militans triumphanti reſpondebit, & huius in ſe referet formam, & imaginem, & ſicut ex tali ordine ſumma oritur in Cælo pax, tranquillitas, gaudium, & pulchritudo ſeu armonia, & conſonantia, ita erit & in terra, quod vt perfectiſsimè, & ad ſimilitudinē cæleſtium fiat, non ſolum debet in actibus exterioribus obſeruari, ſed etiam in motibus internis intellectus, & voluntatis, quantũ ſit poſsibile; Et hæc eſt via plana, & tuta, ſine offendiculo, & timore erroris, per quam qui abnegantes proprium iudicium, & ſemetipſos ambularunt, citiſsimè ad perfectionis culmen peruenerunt, qui autem è contra per viam propriæ voluntatis, & iudicij gradiuntur, licet ipſis videatur recta, nouiſsima tamen eius deducunt ad mortem, & perditionem. *Tertio* quia in Cælo obtinetur perfecta trasformatio Spiritus creati cum increato, & diuino, ideo fælices in Patria viuunt iam non ipſi, ſed Deus in eis, & omnis eorum voluntas eſt ad diuinam voluntatem implendam. Hanc in noſtris operibus puritatem intentionis deſideramus, & petimus dum dicimus *Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in Terra*. Ita vt ſola regula norma, cuiuſcumque noſtræ actionis ſiue internæ, ſiue externæ, ſit adimpletio diuinæ voluntatis, & ad eam vnicè dirigamus quidquid facimus, vel omittimus, quatenus opus faciamus, vel omittamus propter Deum, & eius beneplacitũ; V.g. ſi eundem eſt in Chorum; dicatur Domino, ibo vt tuam adimpleam voluntatem; ſi ieiunandum, offeratur abſtinentia ad exequendum beneplacitum Dei, ſic in cæteris bonis operibus, nec ſolum in exercitijs virtutum, ſed in actionibus neceſſarijs pro conſeruatione vitæ ſicut eſt manducare,

Digitized by Google

ducare, bibere, dormire, &c. quæ omnia ſemper dirigi debent vt fiat voluntas Dei, quia Deus vult; ſimiliter in omiſſionibus, occurrit occaſio aſpiciendi rem vanam audiendi curioſa, loquendi inutilia, &c. dicatur Deo, propter te Deus meus non aſpiciam, non audiam, non loquar, &c. vt tuæ diuinæ ſatisfaçiam voluntati, vt tibi rem gratam exhibeã. Indicibile eſt quam facile, & breui tempore ſumma acquiratur perfectio per hanc artem; Tria autem principaliter inde naſcuntur bona, *Primum* eſt augmentum meriti, ex hac enim directione opera, & omiſſiones alias bonæ, recipiunt quandam nouam dignitatem, & valorem ſupra naturalem, & propriam honeſtatem conuenientem vniquique vel ex obiecto immediato, vel ex materia, & cum perfectio hęc ſuperaddita deſumatur ab ipſo vltimo fine, eſt ſuperioris ordinis, & per conſequens incomparabiliter extollit meritum actionis. *Secundum bonum* eſt fortitudo quædam, & vis noua, quam ab actuali directione in Deũ, eiuſque voluntatem anima participat ad ſuperandam quãcumque difficultatem, quæ operi virtutis exequendo ſe opponeret; Repletur etiam cor quadam lætitia ſpirituali, & inde promptius alacrius, & intenſius, ac firmius operatur. *Tertium bonum* eſt inſignis victoria ſupra noſtras paſſiones, & præcipuè ſupra noſtrum amorem proprium, qui perpetuò inſidiatur profectui Spiritus, eo enim ipſo, quod aſſueſcimus non reſpicere in exercitijs virtutum noſtram vtilitatem, & commodum, ſed ſolum gloriam Dei, & eius voluntatem, paulatim anima ſe ipſam exuit, ac ſui ipſius obliuiſcitur, ac per conſequens tota eſt in cultu Dei, & non ipſa in ſe ſed Deus in illa viuit, quæ eſt quædam imago æternæ fælicitatis.

CA-

CAPVT IX.

Explicatur quarta Petitio Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

CONgruè poſtquam tribus petitionibus præcedentibus òrauimus pro gloria Dei, & in hac pro noſtra ſalute, auxilijſque neceſſarijs ad eam conſequendam, docet nos Chriſtus in quarta petere pro noſtris corporibus, & pro ſuſtentatione vitæ temporalis alimoniam dicendo Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Notandus eſt autem in primis ordo, quo corporis neceſſitatibus prouidere debeamus; licet enim dum viuimus in corpore, & huic ſit prouidendum de ſibi ad conſeruationem opportunis, non tamen ſecundum intentionem primariam, vt in eius ſeruitio ſiſtatur, ſed per ſecundariam intentionem, & in ordine ad aliud, nempe pro bono animæ vt ſeruiamus Deo, cum anima non ſit propter corpus, ſed corpus propter animam; Itaque dum petimus panem noſtrum, eo fine petendus eſt, vt ſanctificetur nomen Dei, vt adueniat Regnum ipſius ſuper nos, vt eius fiat voluntas, & ita iuxta monitum Magiſtri noſtri Chriſti primum quærimus Regnum Dei, ad Deum, ſuumque honorem omnia referendo; deinde petimus inſtanter panem quatenus noſtra ſubſtentatio vtilis, vel neceſſaria eſt, vt glorificetur, & ſanctificetur Deus in nobis. Sub nomine autem panis omnia neceſſaria ad temporalem vitam intelliguntur, dicimus *noſtrum* ideſt, qui ſit ſatis pro neceſſitate, cui ſubiacemus, non ſuperfluum, nam quod nobis ſupereſt, debetur pauperibus, qui ſibi illum iure propriæ mendicitatis vindicant. addimus *da nobis*, vt ſcilicet Deus det, à quo omne noſtrum bonum tam temporale, quam ſpirituale, quique omnia creat, conſeruat, regit, fouet, & viuificat; *hodie* autem ponitur, vt à nobis omnis diei craſtinæ tollatur ſollicitudo, vtpote incerti an ſimus victuri; vel ſecundo ponitur *hodie*,

vt ſcilicet

Digitized by Google

vt ſcilicet perpetuam nobis præberet occaſionem recurrendi ad Deum Patrem noſtrum, agendi quotidie cum ipſo, & hinc ex eius infinita bonitate participandi maiora bona, & excellentiora beneficia.

Non tamen his verbis ſolam corporalem refectionem quærimus, animæ etiam alendæ incumbimus cum oramus *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Animæ autem præcipuus cibus, quo creſcit roboratur, & pingueſcit, eſt Verbum Dei, nam iuxta Chriſti Domini doctrinam *Non in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo, quod procedit ex ore Dei*, & Oratio. Sanè eoſdem omnes effectus, quos panis ſenſibilis communicat corpori, participat menti, & Spiritui Oratio; alit enim eum, nutrit, augmentat, delectat, & lætificat; vnde iure merito Propheta hoc pane confirmatus gaudens canebat, *memor fui Dei, & delectatus ſum.* Sicut panis cæterorū ciborum eſt quoddam condimentum, vt ſine eo edi non valeant, & licet cæteri cibi faſtidium ſæpe & nauſeam ex longo vſu pariant, nunquam tamen panis; ita & Oratio omnium virtutum, & cuiuslibet alterius ſpiritualis exercitij condimentum; cum omnia per orationem, & cum oratione, vt interiori palato ſapiant peragi debeant, nec vnquam rectè facta tædio eſt. Tandem panis communis cibus eſt Pauperum & diuitum, ſubditorum, & Principum, nobilitatis, & plebis, nec quis ſine eo viuere valet; Communis alimonia eſt & Oratio, ea omnes indigent, tam perfecti, quam imperfecti, tam ſæculares, quam Religioſi, tam peccatores, quam Iuſti, tam incumbentes vitæ actiuæ, quam contemplatiuę, nec poſſibile eſt diu ſine illa viuere vita ſpirituali, & in virtutibus proficere, vt merito ex eius defectu doleret Propheta; *Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*, ideſt orationem.

Intelligitur etiam requiſitus à nobis ſub nomine panis ipſe met Deus, vnica vita, & ſuſtentatio, ac viuificatio noſtra, in quo omne noſtrum bonum, alimonia, gaudium, & ſine quo nihil eſt homo; ſpecialius autem petitur Auguſtiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo miniſtratur nobis Deus ipſe in noſtrum cibum paratus; Et hic à nobis ſumptus animam mirabiliter alit, eique non minus prodeſt, quam cibus, & panis materialis corpori;

Hoc tamen plus habet, quia panis vſualis noſter niſi realiter ſumatur non proficit, nec nutrit, aut reparat vires, alioſque effectus ſibi congruos parit, at Euchariſticus Panis etiamſi ſolo deſiderio, & ſpiritualiter tantum manducetur, adhuc nutrit animamque impinguat,& cæleſtibus replet bonis licet non in ea copia, & abundantia ſi ſpiritualiter, & ſacramentaliter acciperetur. O ſi tale eſſet deſiderium temporalium bonorum, vt ex ipſo ſolo ditaremur, & ab ipſa met fame ſatiaremur! Quam fælices,quam beatos ſe homines putarent! Quantum humana cupiditas ſuos dilataret affectus! Si enim modo dum angit, cruciat, nec paupertatem tollit, ſed auget, adhuc placet, & tranſitoria auidiſſimè eſurimus, quid ſi eſuries eſſet ſatietas, & ad eius menſuram daretur repletio? Deus bone! In rebus ſpiritualibus deſiderio pleni ſumus, appetitus ipſe edendi ſaturem reddit,& vt Chriſti bona guſtemus,ſufficit vt Chriſtum eſuriamus. Si Deum concupiſces, habes, poſſides,& cum infinitus ipſe ſit, & in infinitum communicabilis rationali Creaturæ, iuxta votum vnius cuiuſque ſe illi communicat; qui plus amat, plus deſiderat, plus poſſidet; vnde Chriſtus Dominus ſuo amori præmium paratum,Deum ipſum teſtabatur dicens, *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud Deum faciemus*. Summa certè fælicitas vt tantum quis poſſit de Deo ſuo habere, quantum vult, nec alius finis poſſidendi poſitus agnoſcatur, quam quis ſibi quiſque in ſuis votis,& cupiditate poſſidendi præfixerit.

Nec iuxta præſentem intelligentiā ſpiritualem vacat myſterio, quòd Euchariſticus Panis dicatur noſter,& non Dei, *Panem noſtrum quotidianum &c.* Eſt etenim vere noſter, quia nobis donatus, & cauſa noſtri Filius Dei factus eſt homo; propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, vt canit Eccleſia, & per conſequens iure donationis petimus in Euchariſtia Panem noſtrum, ideſt nobis donatum. Tandem ſapientiſsimè hæc quarta Petitio poſita eſt in medio Orationis Dominicæ, vt ſcilicet tres petitiones antecedant, & tres ſubſequantur, quia in hoc Pane ſcilicet Verbo Incarnato, & Euchariſtiæ Venerabili Sacramento dat nobis Deus pretium æquivalens

lens imò ſuperabundans ad obtinenda tam bona, quæ in primis tribus petitionibus poſtulamus, quam ad auertenda mala, quibus in ſequentibus vt liberemur, inſtamus; Chriſtus enim Dominus noſtra Redemptio, & propitiatio pro peccatis noſtris eſt, prætium noſtræ ſalutis, per quem & ab omni malo eruimur, & omni bono ditamur.

CAPVT X.

Cur Deus requirat à nobis vt pro noſtris peccatis ſatisfaciamus.

ANtequam quintam petitionem, in qua remiſsionem noſtrorum peccatorum quærimus, explicemus, dubij, quod animum pulſat, præmittere placuit ſolutionem. Certiſsimum eſt & vltra omnem controuerſiam, Chriſtum Dominum ſuo ſanguine, paſsione, & morte ſatisfeciſſe pro noſtris peccatis diuinę Iuſtitiæ non ſolum ad ſufficientiam, ſed etiam ad ſuperabundantiam; *Copioſa enim apud eum Redemptio, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*; Sic etiam meritus nobis eſt gratiam, & conſequenter æternam gloriam; ſic ſuperflua videtur noſtra pænitentia, noſtra ſatisfactio per opera pænalia, & cæterarum virtutum; quid ergo illam exigit Deus? Cur tam copioſis, & abbundantibus meritis, & ſatisfactione infinita Vnigeniti filij ſui dilectiſsimi non ſatisfit, vt requirat à nobis ſibi ſatisfieri? Sanè dubium multos ſui amantes, & inimicos Crucis Chriſti conuicit, vt ſequerentur deſideria carnis, & irent in adinuentionibus ſuis; ſed abſit hoc à fidei Catholicę filio, & ſingulariter à Carmelita Diſcalceato, qui impoſita ſibi Cruce tendit poſt veſtigia Redemptoris, & cum Paulo adimplet quæ deſunt in carne ſua paſsionibus Chriſti; multæ ſiquidem ſunt cauſæ, quæ hanc noſtram cooperationem, & ſatisfationem petere videntur; *Prima* pręcipua; & dogmatica, quia licet Chriſtus quantum eſt ex ſua parte obtulerit Deo Patri non ſolum æquiualens, ſed etiam

ſuperabundans prætium pro noſtra ſalute, pro remiſsione tam culpæ, quam pœnæ peccatis debitæ, pro conſequutione æternæ gloriæ, non tamen prodeſt nobis, niſi applicetur, quæ vtique applicatio fit medijs Sacramentis Baptiſmi, Pænitentiæ, Euchariſtiæ, &c. ſecundum diſpoſitionem eadem Sacramenta recipientis; & quia hæc diſpoſitio non ſolet eſſe perfecta, & adæquata, ſiquidem non ex toto corde homo conuertitur ad Deum ſuum poſt peccatum, nec eadem affectus intenſione, qua reſpexit, & ſe conuertit ad bonum commutabile per peccatum, inde eſt, quod non ſit capax recipiendi fructum adæquatum, & totalem paſſionis Chriſti, ſed ſolum partem, iuxta ſuam diſpoſitionē, & ideo indiget propria ſatisfactione vt ei tam quoad pœnam, tam quoad culpam peccatum remittatur. Certè ſi aliquis ex toto conatu cordis ſui ad Deum per dilectionem vel contritionem perfectam conuerteretur, vt fecit Sancta Maria Magdalena mereretur cum ipſa audire dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, & per vnicum actum applicaretur ipſi meritum ſatisfactionis Chriſti, vt alia non indigeret. Ex quo conari debemus maiori feruore, quo poſſumus vt ad Sacroſancta Sacramēta accedamus, vt ſic reddamur capaces abbundantioris fructus paſsionis Chriſti Domini. *Secunda ratio* cur Deus etiam exigat ſatisfactionem noſtram, eſt noſtra vtilitas, & profectus, vt ſcilicet per actus fidei, ſpei, pænitentiæ, & aliarū virtutum charitate informatos poſt conuerſionem magis, & magis ditemur augmentis gratiæ, & per conſequens gloriæ, nam actus, qui præcedunt iuſtificationem licet ad eam diſponant, non tamen aliquid merentur in ordine ad vitam æternam, cum ſint informes, & ſine gratia; è contra vero opera iuſtificationem ſubſequentia habent meritum de condigno ad augmentum gratiæ, & gloriæ. *Tertia cauſa* vt per exercitia pænitentiæ, & cęterarum virtutum impetremus à Deo, quæ mereri non poſſumus, & præcipuè donum perſeuerantiæ vſque in finem, quod non cadit ſub merito, adeoque vt illud conſequamur licet Chriſtus nobis meruerit, ſola nobis reſtat per orationem, & alia bona opera impetratio. *Quarta cauſa* vt in nobis referamus formam, & ſimilitudinem Ieſu Chriſti, oportet enim, vt docebat Apoſtolus conformes fieri imagini filii ſui, vt ſit

ipſe Primogenitus in multis fratribus, vnde ſicut Chriſtus Dominus fuit per omnia probatus & tentatus, & oportuit illum pati, vt ſic intraret in gloriam ſuam, ita decet & nos tentari, probari, laborare, & pati vt eandem gloriam conſequamur. *Quinta cauſa* eſt honos, & conſolatio noſtra, quatenus exhibitione operis poſſumus, & acceptis beneficijs gratitudinem, & tantæ bonitati dilectionem exhibere. Amor equidem probatur periculis, & non niſi inter pænas, & anguſtias vera emicat Charitas; ſic cum tot tantaſque gratias à diuina benignitate receperimus an non ſummi gaudij plenum erit vocari ex auxilio Dei cooperatores, & actores Gloriæ, & honoris Dei? Itaque maius nobis pietas ſuauiſſimi Redemptoris præſtitit beneficium exigendo etiam noſtram ſatisfactionem, & cooperationem, ac per conſequens cauſas ex ſua gratia, & meritis noſtræ ſalutis, quam ſi ab omni nos onere exemiſſet. Ac proinde iuſtum, & dignum eſt quantum licet operibus pęnitentiæ, ſuperogationis, & ſatisfactioni incumbere.

CAPVT XI.

Explicatur quinta Petitio Dimitte nobis debita noſtra ſicut dimittimus debitoribus noſtris.

CVm iam in ſuperioribus petitionibus poſtulatum ſit omne bonum tam ad ſalutem animæ, quam corporis idemnitatem pertinens, quia perfecta fælicitas requirit etiam omni malo carere, vt vndequaque perfectum libellum ſupplicem Deo Patri offerre nos Chriſtus Dominus doceat, libertatem, & exemptionem à cunctis malis præteritis præſentibus, & futuris petere in ſequentibus hortatur, & monet. Et primum pro quo poſtulatur, eſt, vt noſtra debita, quæ peccando contraximus dignetur nobis benignitas Cæleſtis Patris indulgere. Ex præcipuis anxietatibus quibus corda Seruorum Dei in hac vita præmuntur forte primum locum obtinet dubitatio, an anteactæ

vitæ

vitæ fuerint ſibi dimiſſa peccata, an eos ad veram amicitiam Deus aſſumpſerit, & ſecundum prçſentem ſtatum, ſint digni amore vel odio. Sciunt ſe deliquiſſe, & ex propriæ actionis merito ſecundum Dei iuſtitiam ad æternum ignem debuiſſe deſtinari; an autem per ſequentem pœnitentiam fuerit deletum, & reſciſſum Chirographum damnationis, dubium ſanè, & incertum; Hinc ſollicitudines, anguſtiæ, & pænè dixerim mortales agoniæ, quæ ſatis miſeram, & moleſtam ducere vitam cogunt; Sed Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Vere Pater amantiſſimus, qui non ferens ſuorum filiorum anguſtias, ſed eorum pœnis condolens prouidit in hac petitione quinta tanti mali leuamen, & afflictis corde dulciſſimam conſolationem; Licet enim noluerit ad augendum in dies noſtrum meritum, & vt in eius ſeruitio promptiores, & humiliores redderemur, noluerit inquam nobis fidei diuinæ de peccatorum remiſſione certitudinem impertiri, talem tamen dignatus eſt concedere, quæ & ſufficeret ad tollendam omnem importunam, & noxiam ſollicitudinem, & qua maior poſt fidem haberi, vel moraliter deſiderari non poſſit. Nec eſt difficile hanc veritatem oſtendere, ſi conſideremus quis ſit, qui nos docet, vt Deo dicamus, dimitte nobis debita noſtra; Eſt enim ipſe met Deus, qui non ſolum monet, ſed vrget, & orat, vt hanc indulgentiam ab eius pietate paterna requiramus, ipſe in noſtrum os ponit, dimitte; vnde non ſolum oſtendit ſibi gratiſſimam fore huiuſmodi petitionem, vt & Chriſtus S. Geltrudi reuelauit, maximè ſibi fore acceptum ſi ſupplicaret pro condonatione peccatorum aliorum; ſed etiam manifeſtè demonſtrat ſe eſſe paratiſſimum, imo quod vult, & optat dimittere nobis debita noſtra indulgentiamque prçteritarum culparum elargiri, & per conſequens ſatis certi eſſe poſſumus de impetratione veniæ, ſi eam ex vero corde petierimus. Secundo firmatur prædicta certitudo, quia hoc grauiſſimum negotium remiſſionis peccatorũ poſitum videtur in noſtris manibus, & poteſtate, ſiquidem datur menſura, & regula, ſecundum quam debeat fieri debitorum noſtrorum condonatio, ſcilicet ſicut nos noſtris debitoribus dimittimus. Si ergo iniurias, & moleſtias

paſſi

paſſi, tamen ex animo parcimus offenſoribus certiſſimi de venia conſequenda ad tribunal diuinæ miſericordiæ accedimus, nec vllum poteſt ſuboriri dubium non obtenturum remiſſionem, qui remiſit, nec ad Dei amicitiam reſumendum, qui in priſtinum dilectionis affectum reſtituit proximum ſuum. Et certe perfectio huiuſmodi condonandi iniurias infinitè perfectius reperitur in Deo, quam in hominibus, ſiquidem ille eſt omnis virtutis pelagus immenſum, à quo vix guttulas in eius comparatione Creaturæ participant; Cum ergo nos licet mali, & nullius ſanctitatis, nihilominus inimicis noſtris parcimus, iniuriarũ ab eis receptarum obliuiſcimur, & bona pro malis reddimus, ſane videbimur male de Deo noſtro ſentire, ſi iuxta id quod noſtris aduerſarijs fecimus, eb eo petamus vt nobiſcũ agat, & hæſitare poterimus an ſit dimiſſurus noſtra delicta, & bona pro noſtris malis redditurus. Igitur ſpe, & fiducia pleni clamemus ad Patrem noſtrum, dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ne ſit filius melior Patre, ſeruus Domino, riuulus Fonte, lucerna ſole, Creatura Creatore. Si quis autem in remittendis iniurijs adhuc pateretur difficultatem, nec ſe ſuperare in condonandis offenſis poſſet, hac ipſa petitione ad benignitatem, & facilitatem erga proximos ſuos inducitur; admonetur muneris ſui, vt qui optat ſibi Deum placabilem, mitem ſe alijs exhibeat, & qui orat inſufficiens debito centum millium talentorum, pauculos denarios promptè ſuo Debitori condonet; Sic diuina Sapientia, ac bonitas mirabili nexu noſtra cum ſuis negotia ſociauit, & inuicem nos, vt ſecum vniret, Charitate conſociat. Igitur qui in remittendis iniurijs difficultatem experitur, debet etiam ſpeciali hac intentione, vt ab eo tollatur, & concedatur facilitas, præſentem quintam petitionem ſæpius repetere. Tandem vt perfectiſſima eſſet conſolatio ſeruorum ſuorum inſtituit Chriſtus Dominus in ſua Eccleſia Sacramentum Pænitentiæ, in quo vel ipſa corporis aure audirent ſententiam abſolutoriam de præteritis delictis. Cum enim Sacerdos in Tribunali huius Sacramenti fungatur vice Chriſti Domini, & eius loco ſedeat, & iudicet, dum ipſe auctoritate ſibi conceſſa pęnitenti dicit *Abſoluo te ab omnibus peccatis tuis*, idem pronunciat & Chriſtus, & eodem decreto

remanet

Digitized by Google

remanet ſolutū in Cœlis, quod in terris ſoluitur. Sicut ergo ſi pœnitens immediatè à Chriſto Domino audiret, abſoluo, ſic eadem verba ab ore Sacerdotis percipiendo confidere debet ſe coram Deo abſolutum, ſibi eſſe præterita peccata dimiſſa, redditam gratiæ habitualis ſtolam; pro qua ne amplius eam contaminet, & ne canis ad vomitum redeat, iuſtum eſt, vt viuat ſollicitus, vnde præſenti ſapientiſſimè ſequens adnectitur Petitio, *Ne nos inducas in tentationem.*

CAPVT XII.

Explicatur ſexta Petitio, Ne nos inducas in tentationem.

SI præteritorum delictorum memoria iuſtoſ torquet, neſcientes, an ſint odio, vel amore digni, vt in ſuperioribus vidimus; non minus imò magis eos angit, & præmit periculum ne in eadem, vel maiora labantur; Adeo enim ex ſe voluntas noſtra prona eſt ad malum, adeo debilis, & infirma ad bonum, vt ſi permitteretur dæmoni ſecundum ſuas vires, odiumque, quo genus humanum proſequitur, eam tentationibus impetere, nullum eſſet vel enormiſſimum ſcelus, in quod miſera non prolaberetur; hinc non eſt peccatum factum ab aliquo homine, quod ab altero cōmitti non valeat, niſi Dei omnipotēti auxilio, & gratia miſericordiſſimè præueniatur, & à caſu liberetur; quo vtique auxilio non ſolum in dies, ſed in ſingula quæque momenta indigemus. Vt autem miſericors Dominus moleſtiſſimæ dubitationi de remiſſione præteritorum peccatorum ſuperiori petitione prouidit, ſic verè Pater totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, anguſtię ſeruorum ſuorum ex timore relabendi in culpas anteactæ vitæ, præſenti petitione ſolamen parat, cum docet nos vt oremus *Et ne nos inducas in tentationem*; ideſt ne permittas vſque adeo creſcere tentationem, & ea vehementer nos vrgeri, vt ei prębeamus aſſenſum,

aſſenſum, & nouis culpis, ac criminibus implicemur, ne permittas nos à tentatione vinci, & ſuperari, vt iterum in tuas iniurias armemur. Sicut autem alias pluries ponderauimus, ſignum euidens eſt dum nos Deus ipſe admonet vt petamus, & inſtemus apud eum pro auxilio neceſſario, gratiaque efficaci ad vincendas tentationes, quod ex ſua parte paratiſsimus eſt, & efficaciter vult huiuſmodi validiſsimum auxilium præſtare, ac cum victoria, & profectu noſtro à tentationibus eripere. Secundo corroboratur ſpes noſtra, & moleſta anxietas leuatur, quia eundem quem credimus largitorem veniæ de præteritis, credimus & præſeruatorem à futuris culpis, nec enim ille minus pronus eſt ad condonanda commiſſa, quam ad præcauenda imminentia, & certe in humanis difficilius videtur primũ, quam ſecundum; nec ipſe perfectus Redemptor, & Liberator agnoſceretur, niſi præſtaret vtrunque; perfecti ſiquidem medici eſt mala, et infirmitates non ſolum expellere cum venerint, ſed impedire ne veniant; Tandem vtrunque ſuis pænis, doloribus, paſsione, opprobrijs, & morte nobis meritus eſt Chriſtus Dominus, ſiquidem ſanguine ſuo prætioſiſsimo præparauit nobis præteritorum criminum remiſsionem, & perſeuerantiam in bonis operibus, & immunitatem à culpa vſque ad finem vitæ, cum ſola in Cælo coronetur perſeuerantia; Sicut autem meritum remiſsionis nobis ſpecialiter in Sacramento pœnitentiæ applicatur, ſic præſeruationis in auguſtiſsimo Sacramento Euchariſtiæ, quare vt eius participes reddamur, ex noſtra parte nõ requiritur, niſi vt aſsiduis orationibus, & præcibus petamus, *Et ne nos inducas in tentationem*; qui enim pænitentibus promiſit, & largitur veniam, promiſit, & non negabit perſeuerantiam perſeueranter petentibus. Equidem excepta fidei certitudine, nihil certius credere vel ſperare poſſumus, quam vtriuſque huius ſummi mali præteriti, & futuri, accidentibus noſtris poſtulationibus, libertatem, & ab vtroque timore quo cruciantur Iuſti, leuamen; Fundatur hæc certitudo vel maximè in ipſo Dominicæ Incarnationis myſterio quod in hoc Aduentu à Sancta Matre Eccleſia recolitur, & celebratur à nobis. Vt enim D. Thomas docet, & communiter loquuntur Sancti Patres fuit per ſe Chriſtus prædeſtinatus Redemptor generis humani præſtita eius Miſsionis

 occaſio-

Digitized by Google

occaſione à noſtris culpis, nam niſi Adam peccaſſet filius Dei non fuiſſet incarnatus; Dum ergo Anima Chriſti fuit primo creata, Verbo Dei vnita, & innumeris bonis locupletata, aliquo modo conſtituta eſt ex illis omnibus muneribus debitrix noſtris culpis, licet enim tanquam à cauſa effectiua receperit omnia à diuina bonitate, miſericordia, & omnipotentia, tamen ſaltem vt occaſio noſtræ culpæ concurrerunt, & meruerunt, vt ea reciperet, vnde potuit Eccleſia canere, O fælix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Si autem inter ſe comparentur, quæ ex occaſione noſtrorũ peccatorum Chriſtus habuit, & liberatio à culpis noſtris præteritis, & futuris, nulla apparebit proportio, ſed illa in infinitum hanc excedent, cum Sacratiſsima illa Humanitas ſit aſſumpta ad conſortiũ Diuinitatis, & ex communicatione Idiomatum ille Homo ſit Deus infinitus, immenſus, cum cæteris diuinis perfectionibus. Hinc orta eſt fames illa, & ardentiſsima ſitis ſalutis noſtræ, quā Chriſtus Dominus æſtuabat; hinc deſiderium paſsionis, Crucis, pœnarum, & mortis ad noſtram ſalutem procurandam, vnde & dicebat, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor*. Totum enim, quod erat, noſtræ ſaluti debere optimè nouerat; Hinc etiam illæ voces eiuſdem dilectiſsimi noſtri Redemptoris, non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus; miſericordiam volo, & non ſacrificium, non veni vocare Iuſtos, ſed peccatores. Quis igitur hæc cogitans amplius valeat hæſitare, vel dubitare poterit, ſe à Chriſto Domino, & præteritarum veniam, & immunitatem à futuris culpis, ſi petat, non recepturum; eo magis cum ipſe ſit tam bonæ conditionis, vt non ſolum bonum pro bono, ſed etiam pro malo reddat? Sane ſi adeo pauperes ſumus, vt nihil boni ad offerendum habeamus, ſatis ſit ipſa met peccata offerre; nec dubium quin Chriſtus Dominus, innumeris diues ob peccata noſtra theſauris, ſalutem impertiatur. Explicemus exemplo, & medici, quia ſe talem dicere, & exhibere dignatus eſt Saluator noſter. Si aliquis Rex cupidus ſanitatis alicuius ſerui ſibi cariſsimi infirmi, medicum peritum vocaret, eique centum millia auri talenta daret, vt ſolueret ab ægritudine famulum, ſi pro medicina conficienda ad morbum expellendum, impendi deberet minima pecu-

nia,

nia, v. g. vnum Iulium, an non libentiſsimè ad eam parandam vnum iulium medicus expenderet? Medicus inſtitutus eſt animarum noſtrarum Chriſtus Dominus; & quis poterit vel mente concipere immenſas diuitias, quibus pro hoc munere exequendo ditatus fuit? Deus factus eſt, conſtitutus Caput Angelorum, & hominum, totiuſque Creaturæ Iudex, Dominus, & Rector; Vt ſanitatem perfectam nobis impertiatur vnus ſufficit ſuorum oculorum intuitus, vt patet in Matthæo Publicano, in Petro negante; an ergo non nefas erit, vel leuiter dubitare, dimiſſurum nos cum noſtris infirmitatibus accedentes ad eum, & inſtanter petentes dimitte nobis debita noſtra, & ne nos inducas in tentationem? Qui libet itaque peccator vel maximus animum concipiat, fiducialiter recurrat ad Thronum gratiæ Chriſti, cum enim propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcenderit de Cœlis, incarnatus, & paſſus ſit, negotium noſtrorum peccatorum eſt proprium, & ſpeciale ipſius, eique ex officio incumbit noſtram ſalutem procurare, cum ob eandem à Deo tot bona receperit, propterea canebat Propheta, *Verumtamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis, quoniam tu es Domine ſpes mea.*

Si quis verò licet per multos dies, menſes, & annos poſtulauerit à Deo, ne permitteret eum in aliquos defectus cadere, & tamen ſemper infirmus in eoſdem prolabitur, & à tentatione pro cuius Victoria inſtabat, ſuperatur, non ideo debet vel nimis affligi, vel animo cadere, ſpemque deponere, nam ſæpe Deus vt inquit Diuus Auguſtinus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem, hoc eſt ſæpe Deus denegat auxilium efficax ad ſuperandam tentationem, permittitque relapſum in eaſdem imperfectiones pro maiori bono, & profectu ſeruorum ſuorum, vt ſcilicet magis humilientur, propriamque agnoſcant miſeriam, vt de ſe ipſis totaliter diffidentes, ſpem ſuam in diuino auxilio collocent, ac frequentius, & feruentius orent, petant, & ad diuinam pietatem currant; Interim tamen dum in hac vita manemus nunquam ceſſare debemus ab hac oratione, & ne nos inducas in tentationem, cùm enim abſolutè bonum ſit omni vel leui peccato carere, debemus hanc gratiam, & im-

Digitized by Google

munitatem à qualibet minima culpa ſemper poſtulare, quo deſiderio, & petitione non ſolum plurimæ impediuntur imperfectiones, abolentur præteritæ, ſed etiam magis, ac magis mundatur cor, & diuinæ vnioni, ac charitati diſponitur.

CAPVT VLTIMVM.

Explicatur Vltima Petitio. Sed libera nos à malo. Amen.

SI diuina Bonitas bonum pro malo reddit, ſcilicet cum nihil habeamus de noſtro, quod illi offeramus, niſi peccata, illis retribuit pro præteritis remiſſionem, pro futuris præſeruationem, quid immenſis, & infinitis meritis Chriſti Domini non dabit? Et cum pro nobis ille meritus ſit, quid in eorum virtute nobis poterit denegare? Hinc Benigniſsimus Saluator quæcumque vel maxima ſperare nos docens, in hac vltima Petitione admonet vt à Deo omnis boni plenitudinem poſtulemus; non enim poteſt eſſe negatio, & excluſio mali niſi per bonum, nec qualecumque vel limitatum bonum ipſe nobis meruit, ſed omne, ſine reſtrictione, ac menſura. Petimus autem liberari à malo in communi, non determinando qualitatem, & conditionem huius mali, vt intelligeretur de omni malo tam pœnæ, quam culpæ, tam corporis, quam animæ, tam pertinentis ad vitam temporalem, & præſentem, quam futuram, tam huius temporis, quam æternitatis, in quantum tale malum poſſet eſſe impeditiuum, vel diminutiuum noſtræ ſalutis, & ſic ex conſequenti poſcimus omne bonum, quatenus eidem ſaluti non aduerſatur, & quia neſcimus in particulari, quod malum vel bonum nobis ſit proficuum, vel nociuum ad ſalutem obtinendam,

Digitized by Google

nendam, ideo totum Deo remittimus, vt ſicût ipſi viſum fuerit expediens, ſic faciat, digneturque nos in omnibus noſtris actionibus dirigere iuxta ſuauiſsimum ordinem diuinæ ſuæ Sapientiæ, & Prouidentiæ, ſatiſque nobis eſt, eum orare, vt nos ab omni malo liberet.

Petitionibus ſupradictis additur *Amen*. Adeo enim nos Deus cupit eſſe certos de impetratione Gratiæ, & cum tali fiducia vult nos ad ipſum accedere, vt vel in ipſa petitione ſtatim ſupplicationibus noſtris annuat, & libello noſtro ſupplici fauorabiliter reſcribat. Certe apud Principes terrenos non ſic res agitur; apud ſe per longum tempus ſubditorum ſupplicationes detinent, eas examinant, conſiderant, & diſcutiunt, nec niſi cum difficultate ſignatas reſtituunt; At Deus noſter vix audit nos ad ſe clamantes, & exaudit, vix recipit noſtras petitiones, & quod petitur concedit, & nos exauditos ore ipſo noſtro vt fateamur præcipit, dum ſubdimus *Amen*, quod eſt reſcriptum Gratiæ, & idem ac fiat. Signatur ſpecialiter hoc myſterium vt aduertit Cathechiſmus Romanus inter Miſſarum Solemnia; Nam Sacerdos in Miſſa gerens perſonam Chriſti Domini Orationem Dominicalem recitat, vſque ad vltimam petitionem, quæ vel à miniſtro nomine Populi, vel à Choro ſubditur ſed libera nos à malo, in qua vt diximus omnes ſupradictæ petitiones quaſi clauduntur, quippe in ea per liberationem ab omni malo, conceſsionem omnis boni nobis conuenientis requirimus; Tunc Sacerdos ex perſona eiuſdem Chriſti; quam repræſentat, reſpondet ſubmiſſa voce *Amen*, quod eſt gratioſa ſignatio noſtri memorialis, & denotat fiat, concedatur; ita ſit vt petitur. Dicitur autem illud Amen ſubmiſſa voce, non propter incertitudinem impetrationis Gratiæ, ſed propter obſcuritatem fidei, in qua ſecundum ſtatum præſentem tenemur ambulare; vnde eius tenebris inuoluuntur cætera myſteria noſtræ Religionis, Gratia, Charitas &c. ita & benigna ſubſcriptio noſtræ Orationis.

Vnum tantum addendum, quod ſicut Oratio Dominicalis compendium eſt totius Euangelicæ Doctrinæ, ſic qui cuperet quaſi compendium, & Breuiarium eiuſdem

Digitized by Google

dem Orationis componere, petat diuinam miſericordiam, vel dicendo cum Pſalmiſta, Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam; vel fac mecum ſecundum miſericordiam tuam, vt enim conſideranti facilè apparere poterit, omnibus ſeptem petitionibus ſuperius explicatis vna poſtulatur Diuina Miſericordia.

LAVS DEO.

Digitized by Google